






SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE
RI
TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE

35. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA
A
MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA
TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

HUSZADIK KÖTET.

PEST, 1870.
EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGÁNAK KIADÁSAI.

TÖRÖK-MAGYAR-KORI TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. Első osztály: I. II. köt. Okmánytár a Hódoltság történetéhez Magyarországon Szilády Áron és Szilágyi Sándortól. I. II. köt. XXX és 458 és 489 l. 5 frt.

— — — III. IV. köt. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár, szerk. és jegyzetekkel ellátták Szilády Áron és Szilágyi Sándor. I. II. k. VIII és 490 és 524 l. meg egy tábla 6 frt., külön mindenik kötet 3 frt.

— — — V. köt. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár, u. azoktól. 540 l. fűzve 3 frt 80 kr.

M. TÖRTÉNELMI TÁR. I. köt. X. és 266 l. egy pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — II. köt. 215 l. száz pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — III. köt. 284 l. egy czímerrajzzal 1 frt 40 kr.
— — — IV. köt. 260 l. 2 frt 40 kr.
— — — V. köt. 231 l. 1 frt 40 kr.
— — — VI. köt. 264 l. egy pecsétrajzzal 1 frt 60 kr.
— — — VII. köt. 266 l. 1 frt. 60 kr.
— — — VIII. köt. 259 l. 4 kőirati táblával 1 frt 60 kr.
— — — IX. köt. 214 l. 1 frt 40 kr.
— — — X. köt. 210 l. aranybullák s okm. hasonmásaival 1 frt. 60 kr.
— — — XI. köt. 2.0 l. 1 frt 40 kr.
— — — XII köt. 292 l. 1 frt 70 kr.

Az egész tizenkét kötetes folyam ára tizenöt forint.

MAGYAR TÖRTÉNELMI TÁR. Új folyam I. kötete 1868. 252 l. 1 frt 40 kr.
— — II. kötete 1869. 282 l. 1 frt 80 kr.

MAGYAR LEVELES TÁR. I. köt.: Négyszáz magyar levél 1504—1560. Szalay Ágostontól. XX és 432 l. kilencz kőirató hasonmásos táblával 4 frt.

FEJÉR GYÖRGY MAGYARORSZÁGI OKMÁNYTÁRÁNAK betűrendű tárgymutatója, Czinár Mórtól. XVI és 549 l. 3 frt.

ÉVMUTATÓ Fejér György Okmánytárához. Knauz Nándor által. 44 l. 40 kr.

HUNYADIAK KORA MAGYARORSZÁGON Gr. Teleki Józseftől. I.–V., VI: 1 és X—XII. köt. Mindenik kötet ára 3 frt 65 kr. — (VI. köt. 2. része sajtó alatt.)

MAGYARORSZÁG HELYRAJZI TÖRTÉNETE. fő tekintettel az egyházi intézetekre vagyis a nevezetesebb városok, helységek, s azokban létezett egyházi intézetek, püspök megyék szerint rendezve. Rupp Jakabtól. Első kötet, két darabban. Az esztergami egyház-tartomány a hozzá tartozó püspökmegyékkel együtt. XVI:II és 807 l. 5 frt.

BUDA-PEST és környékének helyrajzi története. Rupp Jakabtól. Két térképpel. 506 l. 2 frt.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA. Magyar Történelmi Emlékek, egy-egy kötet ára 3 frt 15 kr. kivéve a következőket: I. osztály. XI. köt. (Árpádkori Okmánytár, VI. k.). II. oszt. XII. k. (Brutus I.), és XVI. köt. (Forgách) 1—4 frt. – XV. k. (Tököly, Nagy Ivántól) 4 frt 50 kr. — XVIII. köt. (Tököly, Tormától) 1 frt 20 kr. — **E nagy gyűjtemény tartalmát l. a boríték következő lapjain.**

MONUMENTA
HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XX.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

2

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

20

HUSZADIK KÖTET.

PEST, 1870.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLIK

SZALAY LÁSZLÓ ÉS WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. R. TAGOK.


9

KILENCZEDIK KÖTET.

VEGYES LEVELEK.

1563—1569.

PEST, 1870.
EGGENBERGER FERDINÁND MAGYAR AKAD KÖNYVÁRUSNÁL



Nyomatott az „Athenaeum" nyomdájában. Pesten, 1870.

TARTALOM.

1563.

1564.

1567.

1568.

1569.

ANTONII VERANCII EPISTOLAE.

IV.

I.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

Prudentes et circumspecti domini, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Is Egregius Michael Serenyi nunc ex diuturna captivitate Turcarum Dei auxilio et bonorum beneficio sese eliberari cupiens, vadit ad dominationes Vestras subsidium eleemosynae ab eisdem petiturus, quem unite dominationibus Vestris commendamus; rogantes, ut quicquid in eum beneficii conferre poterint, velint id et in gratiam Domini et Christianitatis amore pietateque praestare, ut communi piorum hominum auxilio se ipsum possit ab hoc carcere, in quo tot annis delituit, expedire, in posterumque, ut antea, diligenti servitute sua Christianae Reipublicae prodesse. In reliquis dominationes Vestras feliciter valere optamus. Agriae die 9. Januarii 1563. 1523. máj. 25.

Antonius Verantius,
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis
et Borsodiensis mp.

II.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

1563. jan. 13. Prudentes et circumspecti, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Minthogi ennek eleote ayanlottak magwkat kegelmetek my nekewnk, es barathsagal is woltak kegelmetek mynekewnk, kyre nezwe my sem akaronk meghfeleotkezni, hanem issmeg az kegelmetek barathsagat meghakaryok wjtani. A mychoda agiwth ot Kassan ewntettwnk a Ferentz mesterel, kynek mwnkaiaerth fizettwnk is imar walamy 105 forinthot; de ha meghis wegre nem wjhetne az agiw dolgath, es a my wdvar byrank is ha megh kesneek az commissariusoknal, hogi oda nem mehetnek Kassara, keeriewk kegelmeteket azon elewbby barathsagerth es ayanlaserth, hogi ha walamybwl megh talalia a mester, legienek segitsegwl neky; ha pinz zwkseghes nekye, agyanak kegelmetek, es mi mint az elobenit es mint azt, kyt mostan adnok kegelmetek nekye, meghakaryok elegiteni kegelmeteknek. Annak felewtte az kegelmetek barathsaagat megwytyok, myvel nem akarwnk haaladatlanok lenny; hanem ismeg baratsagal akarwnk lenny kegelmeteknek. Isten tartcha megh kegelmeteket. Agriae die 13. Januarii 1563.

Antonius Verantius
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis
et Borsodiensis mp.

III.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

Prudentes et circumspecti, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Quam tristissima nova habemus, Passam Budensem cum copioso exercitu proximo die Veneris Buda egressum in oppido Jaszberen biduum transegisse, hodie vero in oppido Gyöngyös non ita procul ab Agria cum universo exercitu consedisse, habens secum falconetas aliquot ligonibus et fossoriis instructas, ac etiam non exiguam agrestium multitudinem, augerique quotidie illius exercitum, et expectari quotidie Temesvarino et Lippa Passarum adventum, in quem finem et quo animo, nescimus. At quia locus hic in maxima ope sit positus, et hostes accedere propinguius semper videntur, neque sit nobis diu firmum praesidium, quo illis resistere valeamus, si praeter spem et expectationem aliquid adversi in nos intentaverint. Propterea freti in vestro et aliorum vicinorum dominorum auxilio, quanto ocyus fieri poterit, dominationes Vestras requirendas esse duximus, easdem magnopere rogando, ut tam manifestis et instantibus periculis cognitis, quae non solum huic loco, sed reliquis etiam Regni partibus metui possunt, velint atque curent, quanto celerius fieri possit, secundum aliarum civitatum mutuam cointelligentiam, tercentos pedites huc Agriam expedire, et subsidia tamdiu dimittere, donec quo se hostes declinaverint, et quid acturi sint, certius cognosci poterit, ne alioquis locus hic, veluti imparatus, 1563. mart. 1.

et debito praesidio destitutus, ab hoste imminente discrimen quodpiam periculosum subeat. Ad haec celerem dominationum Vestrarum gentium praefatarum expeditionem expectamus, vosque bene valere cupimus. Agriae die 1. Martii 1563.

Antonius Verantius,
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis mp.

IV.

Maximilián római királynak Piopius Dénes modrusi püspök.

1563. martius. Sacra Regia Maiestas, Domine, domine mihi clementissime. Duo sunt potissimum, quae conservationi et reparationi rerum Agriensium spectare videntur, quibus nisi citissimum adsit per Sacratissimas Vestras Maiestates remedium, sequentur procul dubio tot damna et incommoda, quot forte vix postea reparari poterunt.

Primum est; quoniam iam locus ille destitutus est fere omni militum praesidio ex solutionum differentia, petit humiliter Reverendissimus dominus Agriensis Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates efficiant, infrascriptas has pecuniarum solutiones arci Agriensi de iure et de facto debitas, ut persolvant ii, quorum interest. Emericus enim quondam Thelekessy una cum gentibus Vestrarum Maiestatum, dum Capitaneus Cassoviensis existeret, percepit et consumpsit decimas Agrienses ex districtibus Helmecz,

Zemplin, Kyswarda, Kallo, Kazon et Vary in valore 3390 florenorum, uti patet ex cartulis eidem assignatis.

Anno quoque 1562. die 21. Junii Agriae facta et inita ratione cum domino Francisco Pestiensi de et super decimis arendatis ad rationem Vestrarum Maiestatum, praesentibus dominis Gregorio Bornemizza Scepusiensi Praeposito, Benedicto Bacchy contrascriba, Joanne Swkan et Matthia Litterato rationista domini Clementis Regy tum provisoris, remansit debitor ad 4000 florenos. Idem quoque eodem anno habuit decimas Agrienses ad rationem Vestrarum Maiestatum 2703 (florenorum), uti patet ex cartula arendationis eidem assignata. Annis etiam 1560. 1561. et 1562. omnes decimae Comitatus Zarand de mandato Camerae perceptae sunt ad Giulam, quae quotannis arendantur florenis 1200 aureis, quorum trium annorum summa faceret aureos 3600, monetae vero Hungaricae florenos 5400. Tota autem summa faceret 15,493.

Hic autem sciendum est, quod praeter totam praedictam summam, remanent et aliquot millia florenorum, quae erogata sunt ad intertenendos milites Agrienses, et ad alias arcis necessitates per provisores horum quatuor annorum proxime elapsorum; quae quidem pertinebant ad tertiam domini Episcopi Agriensis partem. De quibus postea erit cum eodem Reverendissimo Episcopo alias transigendum.

Et quoniam certo certius novit saepedictus dominus Episcopus, nullo posse fieri pacto, ut dominus Franciscus Pestiensis praedictam partem suam pecuniarum debitarum deponat; quippe qui ad tot sumptus, quos per haec confinia facere cogitur, vix sufficere potest; humiliter petit idem dominus Episcopus, ut Sacratissimae Vestrae Maiestates praefatam iubeant

fieri solutionem a Camera. Quae quidem et summam illam ad Giulam perceptam de iure deponere, aut per Capitaneum Giuliensem deponi facere deberet. Eadem quoque submissionc petit, ut haeredibus praedicti quondam Thelekessy praeciperet, ut vel illi summam ab eo debitam persolvere debeant, vel ex stipendiis eidem debitis (si quae tamen eidem deberentur) Camera iam dicta satisfaciat.

Ad haec accedit, quod et Magnifici domini Nicolaus Bathory, et Melchior Balassa, decimas haud contemnendas ad Agriam pertinentes perceperunt absque ulla arendatione aut solutione, pro quarum pretio humiliter idem dominus Episcopus petit, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates praecipiant, ut vel ipsi domini Magnifici praefati satisfaciant, vel ex eorum stipendiis Camera Agriensis pretium arendae in integrum restituat.

Quae quidem totalis summa praedicta, si simul hoc tempore suppeditaretur, maximae procul dubio esset rebus Agriensibus utilitati; in omnibus tamen idem dominus Episcopus in omnem eventum sese Vestrarum Maiestatum voluntati accomodare intendit.

Sunt praeterea, quae publicum Agriae statum conturbant. Militum ac nobilium loci illius incolarum coniuratio propter religionis causam tantum; quae quidem quam publicae tranquillitati obesse possit cum tempore, moderna Gallorum exempla, et antiqua Arianorum ac Donatistarum facta nos facile edocent. Est et militum deficientia, quae propter carentiam solutionum, tum propter non admissum illorum arbitrio concionatorem in dies etiam fit maior; adeo ut vix ducenti aut paulo plures Agriae inveniantur equites, pedites vero in tam exiguo reperiantur numero, ut

dedecus sit recensere. Quibus rebus Vestrarum Maiestatum prudentissimum sanissimumque iudicium requireret, ut provideretur in tempore, modum vero huius perquam necessariae provisionis non proponit dominus Episcopus, quia id totum prudentiae, voluntatique Sacratissimarum Vestrarum Maiestatum committit. Hoc tamen per me Eisdem Vestris humiliter nunciat, Maiestatibus, satis scilicet esse, ob Turcas, ab altera vero factiosos et rebelles timere absque eo, quod domi etiam tales sustineantur turbationes, quae ut plurimum talia parturiri solent incommoda, quibus nisi in tempore illis provideatur, nihil prorsus boni expectandum aut sperandum esse, non est qui ambigat. Neminem accusat dominus Episcopus, nemini detrahit; verum pro sua in Vestras Sacratissimas Maiestates fidelitate harum rerum tantum mentionem facit, quae commodo Regni, honori Vestrarum Maiestatum, et Christianae Reipublicae utilitati necessaria esse videntur. Humiliter etiam petit idem Reverendissimus dominus Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates dent mandata ad Comitatus Hewesiensem, Borsodiensem et Pestiensem; quatenus pro munitione arcis Agriensis dare teneantur currus et colonos; quandoquidem minuta ista servitia coloni Episcopatus, qui sunt perpauci, nequaquam possunt praestare omnia. Nobiles enim horum Comitatuum parum, Magnates vero nihil iuvant; quibus quidem Magnatibus, si Vestris Maiestatibus videretur, essent et peculiaria super his danda mandata.

Egregii quoque Ladislaus Zelemiry et Clemens Regy, qui quatuor annis elapsis fuerunt domini Episcopi provisores, annis inquam 1558. 1559. 1560. et 1561., multa habere dicuntur in suis regestris, quae

difficulter admitti possent et deberent, quare humiliter petit idem dominus Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates committerent viris aliquibus peritis et sinceris, qui Agriae ab illis rationem suae administrationis acciperent. Quod procul dubio non absque et Vestrarum Maiestatum, et loci illius Agriensis esset utilitate. Danda insuper essent ambobus praedictis mandata, ut vocati statim atque sine ulla tergiversatione Agriam ad dandam praedictae administrationis rationem venire haud recusarent.

Solent etiam per decimatores et iudices possessionum et officiales tam Dominorum quam Nobilium in decimis frugum, vinorum et bladorum multae fieri distractiones et dissipationes; quare idem dominus Episcopus humiliter proponit, ut Vestrae Sacratissimae Maiestatis dignentur Comitatibus Abawywar, Zemplin, Borsod, Beregh, Zabolch et Hewess per litteras serio committere, ut tam Domini, quam Nobiles ceterique Status et Ordines debeant ac teneantur colonos suos cogere ad haec, ut dum et quando unus notarius iuratus eiusdem domini Episcopi, ac rationista Vestrarum Maiestatum cum uno Canonico Capituli Agriensis ad perlustrandos praedictos dissipatores exierint, sub iuramento coloni eorum veritatem dicere teneantur, videlicet quot gelinias frugum et bladorum ac aliorum decimari solitorum, et quot cubulos vini eisdem decimatoribus unusquisque colonus dedit, et postea ad quem locum, et in cuius sive quorum usum expositae sunt vel conversae.

Eisdem etiam Comitatibus bonum esset, si per Maiestates Vestras Sacratissimas clementer praeciperetur, ut colonos suos praestare vellent in auxilium pro inducendis vinis ad Agriam pertinentibus; quae

quidem si pecuniis inducere vellent Agrienses, superflui satis et infiniti fere fierent sumptus. Quod quidem mandatum et alias dicit dominus Episcopus emanatum fuisse; nec id quidem immerito, maxime cum Episcopatus coloni in inferendis et lignis et lapidibus pro arcis munitione sint fere semper occupatissimi.

Essent et quae sequuntur (iudicio quidem Reverendissimi domini Agriensis) haud inutilia utrique arci, Agriensi videlicet et Giulensi. Ex quo enim Giula indigere videtur subsidio decimarum in Comitatu Zarand ad Agriam spectantium; non esset inconsultum, si Vestrae Sacratissimae Maiestates iuberent dominis de Camera, ut cum Reverendissimo domino Episcopo Vaciensi transigerent, ut applicatis praedictis decimis ad Giulam, per haec impacata tempora idem dominus Vaciensis concederet ad Agriam dari decimas in Comitatibus Kys Novograd, Pesth, Solth et Zolnok etc. possessionum, sicque Dominus Agriensis illas decimas in Zarand Giulae, Dominus vero Vaciensis praedictorum Comitatuum ac possessionum Agriae cederet. Qui quidem Dominus Vaciensis pretium suarum decimarum a Camera quotannis accipere posset iuxta transactionem, quam Vestrae Sacratissimae Maiestates cum eodem domino Vaciensi concluderent, hocque modo et Giulae necessitati prospicerent, et Agria subsidio debito non privaretur.

Exponit etiam saepedictus Dominus Agriensis omni in submissione Vestris Sacratissimis Maiestatibus, ipsum graviter tulisse, se fuisse apud Eas delatum, quod maiorem et meliorem partem vinorum decimalium vindemiae proximae tempore sibi ipsemet fecerit, et ea non in arce, sed in oppido collocaverit pro sua tertia parte cum iactura arcis. Scient igitur

Vestrae Sacratissimae Maiestates, quod cum provisor eiusdem domini Episcopi videret, non posse paratam pecuniam ad rationem partis suae suppeditare, vini attribuit decimalis cubulos 2993, quae vix vendi possit florenis 1500; eaque ut sua et suae partis tertiae deputata sub ipsa arce, extra tamen, in cellariis collocavit, ut vendantur suo tempore, et habeat sumptus, quando et ibi manebit, et in curiam accersetur. Quare humiliter supplicat Vestris Sacratissimis Maiestatibus, ne permittant tales sibi delatores insultare.

Addit quoque praeter haec omnia supradicta idem Reverendissimus Dominus Agriensis, quod hoc tempus maxime expeteret, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates ad illum dare mandatum dignarentur, et ad milites ac nobiles Agriam inhabitantes, ut eodem domino Episcopo eos requirente primo quoque tempore ad praefatum dominum Episcopum conveniant, idemque per iuramentum cognoscat ab illis, an in arce Agriensi fideliter permanebunt obsidione ingruente, quam alioqui Deus summoveat; quo sic in tanto inquilinorum loci illius numero sciat, quinam sint paenes eius fortunam permansuri.

Aliud quod valde ad arcis Agriensis, imo totius illius confinii conservationem conduceret, esset, ut aliquem finem tandem sortiretur tractatus per Sacratissimam Vestram Maiestatem cum Reverendissimo domino Agriensi incoeptus, quandoquidem sic stantibus rebus, nullus ex illius arcis capitaneus aut officialis novit, quid sit facturus, quod ad loci illius utilitatem spectat, suspensi sunt omnes animo, ignorantque, quid sequi ex hoc tractatu debeat. Sicque res Agrienses maximum patiuntur in dies detrimentum.

Quare cum hoc videat apertissime, dominus idem

Episcopus humiliter supplicat, ut pro confinii illius commodo dignetur Sacratissima Vestra Maiestas ab eo proposita in bonam partem accipere, quo et ipse a tot tragoediis liberetur, et loco illi melius consulatur.

Proponit igitur humiliter idem Reverendissimus dominus Episcopus, quod cum tot videat inutiles fieri proventuum Agriensium distractiones, milites quoque difficulter solutionum tarditatem sustinere, obque religionis causam adeo sibi infensos, ut nihil supra; adeo ut quacunque eos humanitate prosequatur, nihil ipsis fecisse arbitrentur, cum aut concionatores iuxta eorum voluntatem eis non concedat, aut si eis permittit, quum in civitatem ingredi non patitur libenter, pessimis eundem dominum Episcopum intuentur oculis. Videt praeterea locum illum esse inter omnia finitima longe observandum, neque consultum esse, leges ibi ecclesiasticas hoc praecipue tempore inter armorum strepitus vindicare, quandoquidem adeo subrepserunt novae istae opiniones, ut et pueri ipsi ac mulieres potius mortem subirent, quam ne digitum quidem ab institutis novatorum horum averterent pedem. Quae res si reprimi (aboleri enim facile nequit) a domino Episcopo temptatur, statim discessum minantur, illico se locum deserturos, atque ad alium illis benevolum dominum abituros palam ac publice profitentur. Quare haec omnia timens idem Reverendissimus, seque ad tantam vim retundendam satis cognoscat absque suppremo Sacratissimarum Vestrarum Maiestatum auxilio impotentem, humiliter supplicat, ut habita honoris ac dignitatis suae ratione Sacratissimae Vestrae Maiestates dignentur clementer Agriensibus rebus in eo providere, quod maxime videbitur proficere, et loco et confinio illi; quo amisso nulli est du-

bium, quin reliquum quoque Hungariae in maximo vertatur periculo.

Hinc est, quod idem Reverendissimus dominus Episcopus cuperet ex animo, ut Agriam a Vestris Sacratissimis Maiestatibus duae mitterentur principales personae; altera quarum esset tum nobilitate tum militia praestans, isque esset, qui et alibi haberet, quod in omnem, quem Deus avertat, malum eventum amittere posset. Hic autem omnibus praeesset militibus, arcem custodiret perpetuo, vice-capitaneum in civitate haberet, si non parem, saltem sibi similem. Altera vero is esset, qui omnium arcis aut Episcopatus proventuum curam haberet, quibus statutis temporibus stipendia tam peditibus, quam equitibus suppeditare, fruges ac vina in depositis pro quacunque ingruente necessitate, imo et aliquam summam pecuniarum quotannis servaret. Vellet idem dominus Episcopus, ut capitaneus, quem missurae erunt Sacratissimae Vestrae Maiestatas, una cum castellanis, esset ipsi domino Episcopo iuratus, et ipse illi, et omnes simul Vestris Sacratissimis Maiestatibus.

Et quoniam nunc iam in senectute sua cuperet aliquam quietem, humiliter supplicat, ut clementer Vestrae Sacratissimae Maiestates de loco aliquo particulari pro residentia sua providerent, ne post tot labores et servitia exiens Agria, fieret ex domino inquilinus, aut alicuius alterius, praeterquam Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum, quibus perpetuam dedicavit servitutem, subditus.

Petit etiam humiliter, ut praeter summam illam, quae illi ratione tertiae suae partis a Vestris Sacratissimis Maiestatibus ordinabitur, numerandam, permitterent eidem clementer, ut et iurisdictionem super

colonos Episcopatus haberet, et census ordinarios, una cum reliquis proventibus possessionariis, sibi et ibi commorari ad tempus, prout sibi videbitur expedire, clementer concederent; his, ut putat, legitimis de causis; ut scilicet cum contingeret, eundem Agriam reverti ad visitandam Ecclesiam suam, haberet et fruges, et vina, et alia victui suo necessaria; et ut etiam aliqua sibi restaret alicuius temporalis dominii species. Quod quidem a Vestris Sacratissimis Maiestatibus prius sibi intuitu servitiorum suorum clementissime fuerat et plene concessum, et ut tandem non videatur ob aliquod eius demeritum exclusus a dominio et administratione illius Episcopatus, hincque aemuli ipsius sumant occasionem, honori et existimationi eius detrahendi. Census siquidem ordinarius colonorum non excedit summam 500 florenorum, proventus vero frugum, vinorum, et aliarum rerum decimari solitarum, cum non sint omnes anni eiusdem aut fertilitatis, aut sterilitatis, sunt incerti.

Praeterea petit idem Reverendissimus dominus Agriensis omni cum humilitate, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates aliquem certum locum clementer ordinent, unde octo illa millia florenorum Hungaricalium sibi per Easdem Vestras Maiestates designata, annuatim, aut singulis statutis temporibus accipere seu habere posset, ne postea prae deficientia illius provisionis incommoda patiatur, et ex eadem nequeat Vestris Sacratissimis Maiestatibus, prout ipse perpetuo optat, in aliis negotiis inservire.

Ut autem aliqua ex parte Vestrae Sacratissimae Maiestates cognoscant id, quod in principio dictum est de distractionibus Agriensium proventuum, humiliter Eisdem significat ipse dominus Episcopus, quod cum

superfluis rationistarum, contrascribae, clavigerorum et capitaneorum stipendiis aliquot centena peditum, aut forte equitum possent interteneri. De reliquisque pro nunc tacendo, hoc tantum de capitaneis dicit, quod singuli annuatim habent ratione stipendiorum suorum mille et ducentos florenos in pecuniis, frumenti sectilia 150, ordei totidem, agnos totidem, vini cubulos 248. Quid vero ceteri habeant a Camera, facile poterunt Vestrae Sacratissimae Maiestates intelligere.

Humiliter tandem Vestris Sacratissimis Maiestatibus supplicat, ut ad obturanda malignorum ora, velint clementer per patentes litteras suas omnibus significare, quatenus ipse Reverendissimus dominus Agriensis non pro demeritis, aut alia illicita ratione compulsus fuerit, ad arcis custodiam, militum gubernationem, et administrationem proventuum relinquendam; verum quietis propriae gratia ad Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum manus ea omnia sponte et libere dedisse; nec ideo tamen sua eundem esse aut fuisse per Maiestates Vestras privatum dignitate. Haec autem meliori aut favorabiliori eo fiant modo, quo Sacratissimis videbitur Maiestatibus.

In reliquis omnibus omne studium ac diligentiam pro fideli erga Sacratissimas Vestras Maiestates suaque perpetua servitute offert, et exhibet sese ad omnes nutus, non tantum mandata Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum promptissimum.

V.

A római királynak válasza.

Regiae Romanorum etc. Maiestatis responsum.

Sacra Romanorum ac Bohemiae Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, benigne intellexit petitiones nomine Reverendissimi domini Episcopi Agriensis per Reverendissimum Episcopum Modrusiensem sibi nuper exhibitas. 1563. apr. 16.

Et primo quidem loco, quod ad caput principale rerum, videlicet Agriensem mutationem attinet, recordatur Sacra Regia Maiestas, per Sacratissimam Maiestatem, dum novissime Pragae ageret, hanc rem, et similes fere Episcopi Agriensis petitiones, se praesente propositas fuisse. Quibus auditis Maiestas Sua Caesarea, ut sequitur, benigne deliberavit; quae quidem Regia Maiestas ipsi domino Modrusiensi proponi voluit.

Videlicet, ut dictus Reverendissimus Agriensis pro sua sustentatione octo millibus florenorum Hungaricalium nomine pensionis annuae contentus, in posterum omnibus proventibus Agriensibus et iurisdictione temporali prorsus abstineat. Hoc saltem concesso, quod coloni Episcopatus operas suas in colendis domini Episcopi vineis gratis praestare teneantur. Quae quidem pensionis summa vel e proventibus Agriensibus, vel — si hoc domino Episcopo minus consultum videbitur — e pecuniis, quae alioqui Agriam in supplementum mittendae sunt, certo et annuatim ipsi

domino Episcopo numerari, atque ea de re certa assignatio fieri debebit.

Deinde ut praefatus Reverendissimus Episcopus Agria relicta Posonium se recipere, et illic habitare velit, donec aliqua in Regno Hungariae Praepositura vacaret, tunc enim ipsius rationem benigne esset habitura; ubi ipse Episcopus extra omne periculum, tot curis liberatus, Maiestatibus suis eo commodius inservire, suisque dandis consiliis praesto usui esse possit. Neque Maiestas Sua Caesarea intermissura est, quin litteris suis hanc mutationem Agriensem nullo ipsius domini Episcopi demerito institutam esse, declaratura sit.

Quod iuramentum, quo capitanei seu praefecti domino Episcopo, et ipse vicissim illis obstrictus esse debeat, concernit; si id eum sensum habeat, ut capitanei ipsum dominum Episcopum in rebus ecclesiasticis pro Episcopo agnoscere, Episcopus vero in temporalibus illos nequaquam turbare debeat, Maiestas Sua Caesarea ei utrinque praestando acquiescit.

Quod si itaque dictus Modrusiensis a Reverendissimo Agriensi hoc nomine quid ulterius agendi seu concludendi in mandatis habeat, id ut aperiat, seseque huic Maiestatis Suae Caesareae benignissimae voluntati et oblationi accomodare velit, Maiestas Sua Regia perquam benignissime requirit.

Ceterum ad solutionem decimarum per Franciscum Pestiensem et alios arendatores quod spectat, Maiestas Sua Regia hoc nomine a Camerae Hungaricae Consiliariis informationem petivit. Qua allata de praestanda competenti solutione clementer decernet.

Articuli petitionis exhibitae duo, de raritate militum Agriensium, et iuramento eorum, qui tempore

obsidionis permansuri essent, per Consiliarios Bellicos tractabuntur; tres vero de convectione frugum, vinorum etc. in Cancellaria expedientur Hungarica.

Decretum per Sacram,
Romanorum Regiam Maiestatem.
XV. Aprilis anno LXIII.

VI.

Piopius Dénesnek viszonválasza.

Replicatio Modrusiensis.

Responsurus humiliter iis, quae clementissime 1563. májns.
proposuit mihi Sacra Romanorum etc. Regia Maiestas in negotiis mutationis rerum Agriensium; primo quidem illud omni cum submissione praetermittendum non existimavi, quod forte ad hucusque Suae Regiae Maiestati non innotuit. Id autem est, ut quicquid egi, aut sum deinceps in hoc negotio acturus, non intuitu tantum Reverendissimi Agriensis Episcopi, verum publici confiniorum illorum, et privati loci illius Agriensis commodi gratia feci et tractavi. Novi siquidem, (quod) pendente hoc tractatu, nullus ex officialibus per Reverendissimum Agriensem constitutis scit, quidnam in arcis aut loci illius utilitatem perficere queat. Sunt etenim animo suppresso, et semper exitum huius tractatus expectantes, ad propria potius quam publica curanda propensi. Quod ego cum viderim non modicum rebus Agriensibus adferre damnum, nolui itineris

et aliorum incommodorum laborem recusare, certo certius sciens, finem huius negotii haud posse inutilem fore et Sacrae Regiae Maiestati, et Regno ipsi. Non possum tamen non ea Sacrae Regiae Maiestati proponere, quae mihi oratenus Reverendissimus Agriensis mandavit. Qnorum praecipuum et singulare est, ut dominio temporali nequaquam cedere vellet; dominio inquam colonorum saltem; videtur namque sibi cum huiusmodi abdicatione honori suo adeo male satisfactum, ut facile crediderim, si Sacra Regia Maiestas omnino hoc iuberet, ut a jurisdictione temporali prorsus abstineret, eundem non diu supervicturum; tanti facit existimationis suae, ut ipse cogitat, detrimentum.

Quare humiliter Sacrae Regiae Maiestati supplico, ne mihi hoc adscribere velit, ut nempe videar nolle voluntati Sacrae Regiae Maiestatis condescendere, sicut Eadem a me clementer requirit. Quandoquidem etiamsi omnimoda mihi ab ipso Reverendissimo Agriensi data sit in hoc tractatu concludendi facultas; hoc tamen semper excepit, ut dignitas sibi Episcopalis una cum temporali super colonos jurisdictione servaretur intacta. Hoc quidem possum Sacrae Maiestati praestare, ut tres modos, quibus et Sacrae Regiae Maiestatis voluntatis, et loci, et Reverendissimi etiam ratio non contemnenda haberetur, proponerem; quorum unum, si Sacrae Regiae Maiestati probabitur, non dubito, quin et Reverendissimus Agriensis amplectatur; sed simpliciter temporali dominio cedere nomine eiusdem Agriensis non possum. Non enim ego sum in hac causa principalis, sed me oportet iuxta mihi praescriptam formulam incedere. Ipse enim Reverendissimus Agriensis sic Sacrae Regiae Maiestati scripsit.

„Verum ii, de quibus ante memini, nulli id mihi laudi tribuentes, in eo potius videntur omnes conspirasse, ut excedam hoc Episcopatu toto, et ab omni jurisdictione eius me abdicem, quasi mente captus; perque pudorem et indignitatem meam cuncta transigam, quaecunque nunc mihi sunt cum Maiestatibus Vestris in tractatu. Quae qualia quamque sint honesta, quamque etiam fieri debeant ab homine sano, Maiestati Vestrae remitto judicanda; quum eiusmodi nec ego unquam cogitaverim, nedum optaverim, nec Maiestates Vestras putem etiam nunc velle."

Ubi apertissime potest Sacra Regia Maiestas ultimam in hoc negotio ipsius Reverendissimi Agriensis intentionem videre, quam ego non sequi nomine suo non possum, nec debeo; cum ipsemet manifestissimis id quoque reprimat verbis, prout in litteris ad Sacram Regiam Maiestatem facile est videre.

Mutatio igitur rerum Agriensium in hoc maxime consistere videtur, ut et Reverendissimo Agriensi non tantum de annuali satisfaciat pensione; verum etiam, qui praeficiendus loco illi erit, sit cum eodem Reverendissimo Agriensi concors et unanimis. Hoc autem non admodum facile esse videtur ut contingat, praesertim si ex Magnificis erit, qui arci Agriensi praeficiendus est. Verum tres modi, de quibus superius memineram, mihi occurrunt; unus ex quibus, judicio quidem meo, rebus Agriensibus valde prodesse poterit. Id quidem dixerim, praesupponendo semper Maiestatis Sacrae Regiae clementem voluntatem et assensum.

Primo namque oportunum mihi videretur (si tamen Sacra Regia Maiestas in hoc esset, ut Reverendissimo Agriensi locum residentiae extra Agriam

assignare vellet); quod saltem medietatem colonorum sibi concederet. Et hoc per litteras conabor ab eodem Reverendissimo Agriensi impetrare; quandoquidem nullo pacto, cum ego illinc discederem, ostendebat, se se aliter velle, nisi ut super omnibus jurisdictionem haberet, huius quoque rei rationem adducens, contradictionem nempe juramenti sui praestiti, de non alienandis scilicet Ecclesiae illius bonis. Cum autem ego videam, quod pro maiori bono, conservatione videlicet loci ac confinii, quae quidem universo Regno Hungariae, et adiacentibus etiam locis valde proderit; hoc fieri absque periurii incursione posse laborabo, ut per litteras ea, quae iam proposui, ipsi Reverendissimo Agriensi persuadeam, nec dubito, quin tandem assenciat. Hic autem primus modus praesupponit, praefectum Agriam mittendum unum ex Regni Baronibus futurum.

Secundo posset Maiestas Sacra Regia, dominus noster clementissimus, committere dominationibus Vestris Magnificis, ut certam quandam limitationem super proventibus colonorum Episcopatus illius, de quibus iam tenent regestrum, facerent, eamque summam, quam limitaverint, ex summa octo millium florenorum sibi promissorum exciperent, sicque relictis ipsi Reverendissimo Agriensi proventibus saepedictis, tanto minus in paratis pecuniis recipere teneretur.

Posset ultimo denique loco Sacra Regia Maiestas praeficere Agriae alium capitaneum, strenuum in militia, nobilem quidem, sed non ex Magnificis, et ibidem Reverendissimum Agriensem cum solito super colonos Episcopatu omnino, et octo illis millibus florenorum relinquere; qui et militum gubernationi, et proventuum ceterorum administrationi omnino cederet, maiorem-

que ac diligentiorem Ecclesiae illius curam praesens haberet, quam absens ei; loco etiam illi finitimo magis podesset duos consules, quam unicum habere dictatorem; alter quorum tanquam propria bona, alter vero tanquam sibi a Principe commendata illa omnia curaret, sicque utriusque virtute ac diligentia, quasi certatim, et Ecclesia et confinium servaretur, Reverendissimus quoque Agriensis ibidem absque alicuius alterius loci assignatione residens, posset etiam futuris temporibus, nec pigre quidem, Suis inservire Maiestatibus.

Hic autem tertius modus mihi magis probaretur; quandoquidem certo certius novi, quod absente Reverendissimo Episcopo Agriensi Capitulum vix consistere poterit. Non enim idem tempus est armorum et legum; et cum illic Capitulum periclitaretur, magnum profecto detrimentum rebus adferret Agriensibus, non tantum propter ecclesiasticam observantiam, quae Capitulo adempto procul dubio ibi periret, verum etiam propter continua subsidia, quae in omnibus confiniorum illorum et Regni necessitatibus a Capitularibus indefesse conferuntur, quae cum ego oculis propriis viderim, possum tuto Sacrae Regiae Maiestati affirmare.

Ad haec accedit etiam, quod hoc modo clementer a Sacra Regia Maiestate concesso, latrandi et murmurandi adversus Suae Regiae Maiestatis benignitatem et munificentiam, omnino tolleretur occasio. Non enim posset se forte continere Reverendissimus, quin cum aliis sui ordinis ecclesiasticis personis conquereretur, si quasi invitus ex Episcopatu, prius sibi a Maiestatibus suis donato, eiiceretur, hincque procul dubio occasio detrahendi tantae Maiestati oriretur.

Quod quidem etsi parum, imo nihil esset Serenissimo eius nomini derogaturum, non esset tamen sine aliquorum scandalo, et eorum maxime, qui de magnis maxima iudicare aut opinari consueverunt. Haec quoque non proponere, nisi fidelitas, qua perpetuo Sacris Maiestatibus teneor, me urgeret ad ea omnia in hoc negotio proponenda, quae et publicae utilitati, et particulari Sacrae Regiae Maiestatis honori et existimationi consulere videntur. Quomodocunque — — — — — — — —

VII.

Verancsics Antalnak Maximilián római király.

Maximilianus Secundus Divina faverile clementia Romanorum Rex Semper Augustus etc.

1563. máj. 25. Reverende fidelis nobis dilecte. Exposuit nobis Generosa et Magnifica nobis grata Sophia Patoczy, Magnifici Georgii Bebeci consors, quod quidam miles Agriensis, Thomas Baxay nuncupatus, indesinenter molestaret eam in bonis Gagy et eius pertinentiis, per Sacram Romanorum Caesaream Maiestatem dominum et genitorem nobis observandissimum superiore tempore eidem Bebeco ex gratia collatis; petens humillime, ut ei rei providere dignaremur. Quam eius petitionem aequitati consentaneam existimantes, tibi clementer mandamus, ut authoritate tua efficias, ne posthac dictus Baxay in bona illa sese violenter ingerat; sed si quid iuris in eis se habere praetendit, iuxta consuetudinem Regni id prosequatur, alioquin

gravem indignationem Caesareae Maiestatis incursurus sit. Datum in civitate Viennae die 25. mensis Maii anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romanorum primo, Bohemiae vero decimo quinto.

Maximilianus mp.

(P. H.) Ad mandatum domini Regis proprium.

Gebhart Welltzer mp.

H. Pieringer mp.

VIII.

Verancsics Antalnak Maximilián római király.

Maximilianus Secundus Divina favente clementia Romanorum Rex Semper Augustus etc.

Reverende fidelis nobis dilecte. Questus est apud 1563. jun. 27. nos Franciscus Török de Ennyug, Transylvanum, filium quondam Regis Joannis, a se et orphanis quondam fratris sui, oppidum Debreczen, tanquam quod iure haereditario ad se pertineat, redimere et alienare velle; quod quidem ab adposito ipsius Transylvani litterarum exemplo clarius cognosces. Eapropter Sacratissimae Caesareae Maiestatis etc. domini ac genitoris nobis observandissimi nomine tibi benigne praecipimus, ut nos, an oppidum illud ab ipso Transylvano tanquam haereditarium superioribus annis inscriptum, seu an Fisci Regii peculium sit? informes; et num, seu quo pacto haec, quam insituit, redemptio impediri possit seu debeat, diligenter deliberes, et nobis deinceps sententiam opinionemque tuam hac de re diserte

idque mature rescribas; executurus Eiusdem Maiestatis Caesareae et nostram perquam benignam voluntatem. Datae in civitate Viennae die vigesima septima mensis Junii anno a nato Christo millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romanorum primo, Bohemiae vero decimo quinto.

Maximilianus mp.

(P. H.)

Ad mandatum domini Regis proprium,
L. Puchler de Veittenes mp.

IX.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

1563. jul. 6. Prudentes et circumspecti domini, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Quoniam denuo indigemus opera vitrarii concivis dominationum Vestrarum ad conficiendas novas fenestras ecclesiae nostrae; rogamus itaque easdem, velint praefato vitrario potestatem huc veniendi facere, eumque cum instrumentis suis in isto curru nostro ad nos expedire; facturae in eo nobis rem pergratam, quam vicissim amicitia nostra recompensare volumus. Habet autem iam hic in promptu plumbum et vitra. Quod restat, optamus easdem bene valere. Agriae die 6. Julii 1563.

Antonius Verantius
Episcopis Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis,
et Borsodiensis Comitatuum mp.

X.

Az egri püspökök sírjairól Verancsics Antal.

Forte fortuna, quum haec Agriensis Ecclesia vitio pulverum bombardicorum, qui iuxta servabantur, ut fit in arcibus finitimis, bis fuisset passa incendium; anno primum M. D. XL. II., quo vacante eius sede Joannis et Ferdinandi Regum seditiosis temporibus Spectabilis et Magnifici domini Petri Perenny cura et auspiciis tenebatur; deinde M. D. L. II., quo iam Joanne Rege mortuo, Reverendissimi domini Nicolai Olahi Episcopi, ac Stephani Dobo provisoris eius tempore obsidebatur a Turcis, totus sepulchri huius Reverendissimi quondam domini Petri de Rozgon Episcopi Agriensis quintidecimi ab Episcopatu eiusdem Ecclesiae instituto, anno vero M. CCCC. XXX. VIII. mortui, lapis marmoreus, quo idem sepulchrum tegebatur, igne corruptus fuerat. 1568. julius.

Postea anno M. D. LX. III., quum ego Antonius Verancius, natione Dalmata, patria Sibenicensis, eiusdem Loci miseratione Divina Episcopus, zelotes domus Dei Altissimi, eandem Ecclesiam Agriensem, Turcis Budam sub Solimano Magno eorum Tyranno obtinentibus, et undique eidem viribus suis imminentibus, reparassem, non quidem in formam pristinam, sed in eam, quae extrema et plena omnium malorum Regni tempora permiserunt, hoc sepulchrum quoque restitui, et ossa tanti Episcopi, antecessoris mei, Christianae pietatis ergo collegi, exosculataque vene-

rabundo ore, hoc lapideo exiguoque conditorio clausi, et eidem sepulchro reddidi.

Sancta itaque ossa, requiescite in Domino, et resurrectionem laeta expectate. Est enim veracissimus, cui et vos olim credidistis, et nos modo credimus. Mihi vero ignoscite, si qua vos inquiete perturbavi. Non hoc malitia, sed pietate factum est. Deus Aeternus, et Christus eius filius, Dominus ac Redemptor noster benignissimus, in aeternum laudetur et glorificetur. Amen. Anno M. D. LX. III. mense Junio.

XI.

Verancsics Antal Eger várának parancsnokságától leléptvén, eziránt Ferdinánd császártól felmentést nyer.

Nos Ferdinandus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.

1563. dec. 1. Fatemur et recognoscimus his litteris nostris memoriae commendantes universorum et singulorum: Quod nos praesentis temporis perturbatione et periculis a vicino hoste, eoque formidolosissimo imminentibus moti, quum nostri sit muneris et officii, tum huius afflicti Regni nostri Hungariae saluti, tum ceterarum Christiani Imperii partium securitati consulere, plurimumque momenti in Agriae incolumitate situm intelligamus, tam ad dicti Regni nostri Hungariae conservationem, quam ad vicinorum Regnorum ac provinciarum Christianarum tranquillitatem, ac proinde

statum Agriae in aliam, quam quae hactenus fuit formam, reipsa et necessitate publica requirente, restaurandum adducendumque rati, cum fideli nobis dilecto Reverendo Antonio Verantio Episcopo Agriensi Consiliario nostro, in tractatum venimus, quo ipse Agria ad tempus cederet, eamque nostrae curae, providentiae atque tutelae concrederet atque commendaret, praefectura imposita, praesidioque militum ad praesentes opportunitatis contra hostium insidias atque improvisas impressiones ordinandam; etiam ipsius ad hoc consilio petitioneque accedente, qua non multo ante tempore hortabatur nos non minus pie, quam prudenter, ut ei arci atque oppido aliter et meliore quidem modo prospiceremus, quam ad hoc usque tempus prospectum fuerat, atque ut sibi alium locum pro sua residentia tribueremus, postulabat; ac in has infrascriptas tractatus conditiones benignum illi assensum tribuimus.

Primum: Ut dictus Reverendus Episcopus omnes et singulos Episcopatus proventus, deinde arces duas, Agriam et Zarwaskew cum colonis, eorumque servitiis; quo earundem arcium conservationi commodius et liberius valeamus consulere, totamque rerum Agriensium administrationem, tutelam, curam ac providentiam nobis ad tempus credat et commendet, propter praesentium temporum pericula.

(2). Retineat autem sibi omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam, cum jure Patronatus, quod habet a nobis donatum, super omnia beneficia ecclesiastica, et bona ac jura possessionaria dicti Episcopatus Agriensis, ne praefecti et moderatores Agrienses, vel donationibus, vel libertationibus, vel relaxationibus, vel similibus aliis titulis praedicta

bona et jura distrahant, in eius et Ecclesiae suae praeiudicium

(3). Ut nos mandemus expresse Praefecto, ne miseram plebem insolitis exactionibus et laboribus gravet, sed contentus sit ordinariis et consuetis, neve Episcopatus possessiones militibus in officia distribuat, unde vexatio colonorum, et desolatio memoratorum bonorum Episcopatus sequeretur, sed iuxta antiquam consuetudinem officiales adhibeat.

(4.) Ut mandemus eidem Praefecto, ut ad retinenda et tuenda ea jura supradicta, et existimationem in ipso Episcopatu, dicto Episcopo Agriensi omnino auxilio sit et protectioni.

(5.) Quod ad privilegia Episcopatus attinet, quum homines sint mortales, et incerta sit hora fati supremi, et successoribus eius, indemnitatique Ecclesiae consulere nos oporteat, privilegia Episcopatus apud Capitulum Posoniense pro secura custodia reponantur asserventurque.

(6.) Porro, ut pro illa Sede habeat receptum et locum residentiae commodum et securum, et proventuum pro sua portione cedentium certam conpensationem, conferimus eidem Praeposituram Twrociensem cum omnibus eius pertinentiis et utilitatibus, libere et pro suo arbitrio integre sine ulla pensione cuipiam ex ea praestanda possidendam tamdiu, donec Agria commode ei restitui poterit; et praeterea paratae pecuniae in monetis florenorum Rhenensium octo millia, quotannis eidem in tricesima nostra Zempciensi numeranda, et intra anni exitum persolvenda; atque initium a principio messis praesentis anni, calendis videlicet Augusti, sumendum decrevimus.

(7.) Praeterea, quum idem Episcopus non inten-

dat se abdicare praefato Episcopatui suo, et jurisdictionibus, arcibusque et colonis, ceterisque huiusmodi juribus suis, ne in quampiam diminutionem dignitatis suae Episcopalis, et rerum suarum aliarum iacturam decidat; annuimus ei ad eius humillimam petitionem, ut quoscunque capitaneos seu officiales successivis temporibus sumus constituturi in arcibus Episcopatus dicti, Agriensi et Zarwaskew, in eis deligendis et constituendis eius quoque opinionem et consilium clementer intelligamus, et ut eidem pro Episcopalis dignitatis respectu Praefectus sit iuratus, quod illum Episcopum et Patronum loci agnoscet, et si quando iusserimus, ei arcem resignabit, nec contra eius iura quicquam molietur, salvo nobis corporali dominio ad tempus; eundemque honorifice habebit, et ubi erit necesse, tuebitur a proteget.

(8.) Praeterea ut eo maiorem gratiae nostrae in se inclinationem memoratus Episcopus agnoscat, concessum ei etiam esto, ut coloni in pertinentiis Episcopatus ipsum dominum terrestrem et Episcopum agnoscant; modo ne in proventus et servitia arcis se ingerat. Licebit ei etiam vineas suas colere, quemadmodum ipsemet postulat, suo sumptu, suoque modo, absque arcis detrimento. Si quae porro vineae ab antiquo ad arcem pertinuisse compertae fuerint, eas ad arcem possidendas permittat.

(9.) Ubi autem Capitaneus noster Agriae collocandus ita, ut praemissum est, iuraverit; Reverendus Episcopus Agriensis Antonius Verantius illi administrationem Honoris Comitatuum, quorum ipse Comes est, Hewesiensis, et Borsodiensis, committat, uti is ipsius loco ea authoritate fungatur, et judicia administret, et iurium eius possessionariorum procurationem

obeat, et quaecunque controversiae et negotia colonorum inciderint, discernat, iuxta id, quod idem Episcopus sese obtulit facturum; ne multiplici gubernatione status loci perturbetur.

(10.) Liceat etiam ei de quartis statuere, quae jurisdictionem decimarum episcopalium sequuntur; ita tamen, ut parochis, et altaristis, et ceteris ecclesiasticis personis liberae eorum quartae relinquantur, ut habeant, unde sese sustentent; ne Ecclesiae subtractis beneficiis, parochis et ministris destituantur. Ac si quae essent quartae vel vineae Ecclesiarum aut altaristium, ubi illae parochis aut altaristis vacarent, curam adhibeat dictus Episcopus, ut personas idoneas substituat, eisque eiusmodi vineas, et quartas, atque beneficia conferat. Si tamen Catholici tales ministri non invenientur, Episcopus eorum pro suo arbitratu, qui Ecclesiae Agriensi serviunt, curam habeat; nec tamen easdem, sive parochias sive altaria, sectariis et alienis a dogmate Ecclesiae Catholicae conferat.

(11.) Quod ad habitationes attinet, concessae sunto ei habitationes solitae in arce Agriensi, cum Agriae fuerit, et alia domicilia eius usibus necessaria; ita tamen, ut eo absente Praefecto et officialibus eisdem habitationibus et repositoriis uti liceat.

(12.) Magister Scholae, Fiscalis, quatuor Capellani Praelati, nec non Procurator Episcopatus, Vicecomites duo Hewesiensis et Borsodiensis, Campanator et Subcustos de redditibus Episcopatus conserventur, si ab antiquo iis de redditibus sustentatio est suppeditata, pro veteri eius Ecclesiae consuetudine.

(13.) Sciat autem Reverendus Episcopus, demandatum esse Praefecto, et eius instructioni insertum, ut Clerum totius sui Episcopatus Agriensis per totam

Dioecesim existentem, specialiter vero Capitulum suum Agriense una secum, et Ecclesiam suam, et religionem Catholicam pro suis viribus tueatur et protegat, cum omnibus bonis et iuribus possessionariis eorundem, et in arce, et in oppido nullo modo, neque in pagis totius vallis Agriensis, et in villis eidem contiguis, quantum fieri poterit, concionateres et magistros scholarum haereticos teneri, foverique etc. patiatur, neve statum eundem Agriensem, quem reperit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

(14.) Quum porro frumentis et vinis ex huius anni messe atque vindemia collectis, Agriam toto anni decursu usque ad futuram messem, tam solutionibus, quam commeatibus provideri ac sustentari oporteat; frumenta proinde ac vina tum ex decimis Episcopatus, tum ex nonis aut aliis quibuscunque colonorum contributionibus consuetis ac legitimis contracta, et ceteros etiam proventus integre ac in universum, ac citra omnem divisionem necessitatibus Agriae cedat et relinquat. Nec secus reputet in ea parte, quam si haec transactio ante messis praeteritae exordia secum sit inita, cum tractatus inter nos et ipsum dudum antea fuerit institutus. Si quae vero ex superiorum annorum divisionibus, pro sua rata, frumenta et vina adhuc supersunt, illa salva ipsi sunto, et liberae eius dispositioni relinquuntor. Itidem etiam vina, quae ex eius vineis propriis provenerint, aut ipsius aere fuerint comparata, seu vina seu frumenta, aut aliter ipsi proprie obvenerint, relinquuntor.

(15.) Quantum ad decimas superioribus annis pro necessitate nostra ad provisionem Cassoviae, ceterorumque finium perceptas attinet, rationibus cum

dicto Episcopo subductis, id quod pro tertia parte deberi liquebit, ei sine difficultate praestetur.

(16.) Ubi autem Episcopus postulat, ne decimae per dispartitionem progressu temporis ab Episcopatu alienentur; sciat, non esse animum nostrum, ut illae aliis distribuantur, vel in diversa distrahantur; verum ut ad solutiones et necessitates Agriae conferantur, et imposterum iuri Episcopatus integre conserventur, etiamsi pro servitiis collatae quibuspiam fuerint decimae aliquae, qui eas pro tempore percipient. Cautum tamen esto, ne per hoc successivis temporibus tanquam haereditario iure ab eisdem usurpentur.

(17.) Si quid Episcopus comperietur de sua propria portione tertia ad necessitates Agrienses exposuisse, aequum censemus, ut id illi reponatur, idque clementer fieri demandabimus.

(18.) Quod spectat ad officialium rationes, si ii subductis calculis convicti fuerint, facturi sumus id, quod aequitas et justitia postulabit.

Atque haec praescripta omnia testamur et promittimus nos rata, grata et firma habituros et observaturos; harum nostrarum vigore et testimonio litterarum, quas pro maiori robore manu nostra propria signavimus, sigillique nostri secreti appensione communivimus. Datum in civitate nostra Viennae Austriae calendis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio; Regnorum nostrorum Romanorum tricesimo tertio, aliorum vero tricesimo septimo.

Ferdinandus mp.

Ad mandatum domini Electi
Imperatoris proprium,
Leon. Puchler de Weittenegg mp.
Erasmus Haidenreich mp.

XII.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, 1563. dec. 4.
Domine, domine Imperator mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Sacratissimae Maiestatis Vestrae humillimam commendationem. Egregius Franciscus Horwath de Petropolya alter Capitaneorum meorum Agriensium, quem mihi Sacratissima Maiestas Vestra clementer commendare dignata est, egestate et necessitate, qua nihil est importunius, impulsus, denuo accessit ad Sacratissimam Maiestatem Vestram, ut eidem quam humillime supplicet, quatenus eidem Sacratissima Maiestas Vestra iam tandem stipendia, quae de superioribus servitiis restant insoluta, benigne reddi mandaret, ac in servitio suo locum aliquem rursus e ordinem tribuere dignaretur. Quia vero a me vehementer contendit, ut supplicationem suam intercessione mea apud Maiestatem Vestram Sacratissimam adiuvarem, officium ei hoc minime denegare potui. Dignetur itaque, quaeso Sacratissimam Maiestatem Vestram, pro sua erga omnes benemeritos servitores Imperiali et Regia inclinatione eius personae et supplicationum gratiosam habere rationem, easque clementer exaudire; daturus sine dubio operam, ut fidem, diligentiam et industriam suam Sacratissimae Maiestati Vestrae magis ac magis approbare possit. Deus Optimus Maximus Maiestatem Vestram Sacratissimam diu in-

columem et felicem conservet. Posonii IIII. Decembris 1563.
Eiusdem Vestrae Sacratissimae
Caesareae et Catholicae Maiestatis
servitor subiectus et obedientissimus,
Agriensis mp.

Kívül : Sacratissimae Caesareae et Catholicae Romanorum ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regiae Maiestati etc. Domino, domino Imperatori mihi semper clementissimo.

XIII.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Ad Caesaream Maiestatem Agriensis.

1563. dec. 8. Quum semper ab initio summo studio contenderim voluntati ac mandatis Sacratissimae Maiestatis Vestrae subesse et obtemperare; ne hoc quoque tempore, quo de meis maximis rebus agitur, committam, ut ab Eadem notari atque argui possim, meo me verbo non stetisse. Et, si forte debito diutius pro aliquibus transactionis, mecum constituendae partibus institerim; non feci hoc, clementissime Imperator, quod voluissem Sacratissimam Maiestatem Vestram cogere contumacius ad aliquid, quod ipsa nolle se decrevisset; sed ut ostenderem, quantum habeam repositum in sua erga me clementia; sperraremque, quod, quae mihi antea ultro, non petenti, duos etiam Episcopatus

clementer contulerat, nunc iam petenti adeo summulam exiguam non esset negatura. Semper enim ab initio tractatus ductus sum ab iis, qui mecum etiam Agriae tractaverunt, spe et promissione octo millium florenorum Hungaricalium, de quo decretum quoque Serenissimi Regis fuit ad me transmissum. Verum, quia id gratiae mihi ab Eadem, nescio, quo malo meo fato, impetrari non liceat; illud saltem supplico, dignetur clementer exorari, ut pro florenis 8000 Hungaricalilibus septem millia Hungaricalium mihi in tricesima, uti iam dictum est, Zempciensi pendantur, humillime etiam contentus, ut, iuxta Sacratissimae Maiestatis Vestrae clementem deliberationem haec ipsa quoque annua pensio habeat exordium a prima die Augusti praesentis anni, sicque pendatur mihi pacifice, ne in ea assequenda molestiarum et impedimentorum aliquid sufferre cogar.

Hisque iam tandem ad finem perductis, humillime supplico, dignetur Maiestas Vestra clementer mandare, ut necessariae litterae et mandata, quae huc videntur facere, citra aliquam longam longiorem dilationem expediantur, possessioque eiusdem Praepositurae assignetur mihi; quia, ut sum modo, commode esse minime possum.

Praeterea dignetur etiam clementnr Maiestas Vestra expresse Camerae suae Hungaricae committere, ut praefatam summam septem millium florenorum Hungaricalium praesentis anni primo quoque tempore curet mihi integre, et sine dilationibus numerandam et persolvendam, quo de sustentatione mea anni ineuntis disponenda mihi provideam. Quia Praepositura nuda omnibus fructibus suis relinquetur, suntque adhuc longissime fructus novi.

Supplico etiam humillime, dignetur clementer Maiestas Vestra annuere, et praefatae Camerae suae in mandatis dare, quatenus iuxta modum et consuetudinem aliis quoque hactenus in eiusmodi deputationibus solitam, liceat mihi hominem meum proprium in dicta tricesima penes ipsos tricesimatores tamdiu tenere, donec summa ipsa septem millium florenorum Hungaricalium plenarie in meam rationem exigatur.

Quoniam vero missae sunt ad me quaedam tres appendices nomine Maiestates Vestrae, antea numquam a me auditae, neque intellectae; ut scilicet inprimis Conventum Praepositurae memoratae restaurem, exequutionesque ex eo juridicas fieri faciam, monachos et concionatores ac scholae magistros, aliaque in eo similia pro ecclesiastico more servem; deinde, ut Jesuitis quotannis florenos 400 pendam; postremo ut ex oppido Selye peditum ordinem, quoties usus periculosi temporis postulaverit, in arcem Vywar tenear transmittere : clementissime Imperator, quum mihi ab initio per Reverendissimum dominum Transsilvaniensem verbo Vestrae Caesareae Maiestatis Praepositura Turocensis oblata sit libera et immunis ab omni et pensione, et a quorumvis onerum obligamine; supplico Vestrae Caesareae Maiestati, dignetur etiam sic illam ad postremum mihi conferre. Quum indignissimum esset; si ego, permisso toto Episcopatu meo Agriensi commodis et tutelae totius Regni, quod non video ullum adhuc privatum hominem in hoc Regno fecisse, cogerer ex tam tenui beneficio Reverendissimi etiam domini Strigoniensis, qui tanta bona possideat, arcem defendere et sustentare; ceterum Jesuitis quoque esse tributarium.

Quae omnia quum Maiestas Vestra pro sua sapientia bene considerat; quum etiam mirer, ad quae redigar quorumdam suggestionibus; illa humillime polliceor: curam me fidelissime habiturum, ne quid Praepositurae Turocensi ecclesiastici muneris deficiat; habiturus etiam studium, ut reparetur, et exequutiones juridicae ex ea petantur; etiamsi de his non fuissem monitus.

Oppidani vero de Selye non sunt, clementissime Imperator, obligandi servituti arcis Vywar; quia hac ratione non essent futuri mei; nec ex eis ulla mihi utilitas proveniret. Alioqui Maiestas Vestra dignetur clementer meminisse, quod in proxima diaeta constitutum sit, quantum quaelibet bona vicinis arcibus finitimis servire et auxilio esse debeant. Igitur, si ad hanc publicam constitutionem privato etiam iugo aliena bona oporteret premere; Maiestas Vestra clementer videat, an hoc non esset contra et Deum, et omnem aequitatem; supplicoque, ut dignetur eos liberos mihi cum reliquis eiusdem Praepositurae colonis relinquere. Alioqui, quum ego non sim alienus ab incolumitate publica; id officii et discretionis remittant mihi, qui huiusmodi absurda suggerunt in medium; quum non solum Selye, sed etiam totus ille Comitatus teneatur arci Vywar adesse, periculo ingruente.

Jesuitis autem ut sim tributarius, obsecro Sacratissimam Maiestatem Vestram per Omnipotentem Deum, immo etiam per incolumitatem suam et omnium suorum, ne me gravet hoc onere. Alioqui, si quid talis indignitatis subire ac ferre commeruerim; mori ero paratior, quam huic rei subjici etvivere. Supplico itaque humillime, dignetur mihi Maiestas Vestra Caesarea, et in hoc, et in aliis rebus, esse gratiosa, ut Eidem ac

suis Serenissimis liberis, dominis meis clementissimis etiam imposterum non obscurus serviam. Quas Deus etc. Posonii 8. Decembris 1563.

XIV.

Magócsy Gáspár mint Eger vára ujonan kinevezett parancsnokának utasítása.

1563. dec. 10. Instructio Magnifico fideli nobis dilecto Casparo Magochy Comiti Comitatuum Bekes et Torna, et in praesentiarum Agriae designato Capitaneo nostro, data super negotiis in hoc officio summa fide et diligentia expediendis.

Ferdinandus etc : Primum est, quod idem Magochy propter eius dexteritatem reique militaris peritiam, et infracti animi constantiam, in Capitaneum nostrum Agriensem hisce creatus, constitutus et deputatus, in hoc suo officio, Agriam ipsam plurimum importantem, nec non Turcis et aliis adversariis nostris diu iam exosam, cum omnibus eius attinentiis integram et incolumem nobis, atque Regni nostri Hungarici Coronae conservare studeat, et in hac parte spei nostrae de eo conceptae respondeat.

Secundo. Hanc ipsam arcem, eiusque pertinentias et redditus absque speciali permissione nostra nemini quovis modo cedat; quam nobis vel Serenissimis liberis nostris, in hoc nostro Hungariae Regno nobis legitime successuris. Qui cum eam quandocunque repetierimus, sibi non sit integrum seu licitum, in cessione

vel resignatione ullam difficultatem aut tergiversationem facere.

Tertio. In hac nostra arce vel eius oppido, ordinarie praesidium quadringentorum equitum et trecentorum peditum alat. Et ex his centum et quinquaginta equites sub eiusmet, centum item sub vicegerentis suí vexillum, reliquos autem equites sub tres aut plures, si ita sibi videbitur, primarios, militari scientia et gravitate pollentes, de quorum fide, dexteritate et integritate non sit dubitandum, distribuat. Singulis item centenis peditum suos waywodas idoneos et probatae fidei homines praeficiat; adhibitis timpanistis, tubicinibus et vexilliferis pro more militari ad tantum equitum et peditum numerum necessariis. Et sub hoc ordine atque apparatu tam equites quam pedites a primordio officii sui, quamdiu in eo manserit, singulis tribus mensibus lustrandos exhibeat commissariis nostris, quibus huius rei munus pro varietate temporis demandaverimus.

Quarto. Concionatores amovendo vel introducendo, sive vero Ecclesiae ritus et ceremonias abolendo aut mutando, in religionis negotium sese non ingerat, militibusve aut aliis eius jurisdictioni subiectis eandem potestatem non faciat. Quin imo hanc curam iis relinquat, quibus ex officio incumbit; hos etiam tueatur et defendat, quando eos alii in eiusmodi eorum officiis offendere, impedire aut perturbare conabuntur. Insuper blasphematores, violentos, et aliis his similibus vitiis notatos, inter milites, cives, seu inquilinos non ferat; sed debito modo in exemplum aliorum tales puniat, ut simul honos Divinus et bona disciplina foveatur. In bona item Capituli Agriensis, seu aliorum ecclesiasticorum vel nobilium circa

Agriam residentium sese non ingerat, hisque iniuriam aut vim non inferat, nec a suis inferri patiatur. Cives denique oppidorum ad Agriam pertinentium juribus, privilegiis et libertatibus, praeter id, quod pro ipsorummet conservatione ad arcis sustentationem praestare debebunt, non deroget. Sed his omnibus pro more boni Christiani patrocinetur; tunc Divina sua Maiestas contra nominis sui hostes, ipsius et militum conatibus sine dubio successus felicissimos largietur.

Quinto. Inducias, quas cum Principe Turcarum inivimus, candide observet, eruptionibusve aut ullis aliis mediis, hostibus infringendi eas materiam non praebeat; pedites item vagabundos et praeda viventes, non foveat; quinimo mutuae tranquillitati studeat. Et ut milites, cives, et reliqui suae potestati subditi idem faciant, sui officii authoritate omnino efficiat, in eos graviter animadvertendo, qui hoc nostrum edictum excesserint; de reliquis vero finium nostrorum praefectis et inhabitatoribus inducias quovis modo violantibus, nos edoceat, et in eos animadvertendi curam nobis relinquat. Sin autem Turcae his omnibus non consideratis in ditione nostra milites seu subditos nostros opprimere, aut novis et a die firmataram induciarum inconsuetis contributionibus seu servitiis onerare conabuntur; tunc eos hostili modo persequi, capere et interficere poterit. Et si hoc modo praedam aliquam obtinebit, levata pro se eius praedae ad summum tertia parte, residuum militibus de more et consuetudine ipsorum distribuendum relinquat; signanter vero passas, zanczakos, et begos, si qui caperentur, nobis retineat atque transmittat.

Sexto. Agriae fortificationem colonorum opera, absque nimia tamen eorum gravamine, summo studio

prosequatur, et citra eam aedificia principaliora et plus necessaria semper primo absolvat; nova vero absque praecedente deliberatione architecturae peritorum per nos illuc mittendorum, quotiescunque de his moniti fuerimus, non aggrediatur; horum item sententiam postea in aedificatione recta imitetur. Et quia eiusmodi fabrica absque paratis pecuniis, quibus opificibus, lapicidis, fabris, carpentariis et his similibus solvatur, nec non instrumenta fossoria, funes, ferrum, et reliqua materia ematur, continuari prorsus nequeat; ideo ipse Magochy ad hos usus eam pecuniarum summam singulis annis fideliter impendat, de qua Commissarii nostri eo ablegandi, visa aedificiorum absolvendorum qualitate, cum eo convenient; de his etiam pecuniis singulis annis rationes reddat; et, si erit opus, exhibeat, quid quolibet anno aedificarit, numquid facti labores pecuniis impensis respondeant.

Septimo. Ad eventum inopinatae obsidionis in arce reponat, atque assidue in promptu habeat, eam omnis generis victualium copiam, quae justo eius praesidio, si non ultra, ad minus tamen sex integros menses sufficiat. Et si ea interdum propter vetustatem divendenda, aut recentibus commutanda erunt; iis temporibus id faciat, quando sibi nullum obsidionis periculum incumbere videbit.

Octavo. Procuret sedulo, ut bombardae, globi, pulveres et reliqua instrumenta bellica, non hinc inde in arce disiecta iaceant, sed in idoneo, et quoad eius fieri potest, ab ignis periculo remoto loco existant. Praefectus etiam eiusmodi nervorum bellicorum, et reliqui bombardarii, in conficiendis ignitis, renovandis confortandisque pulveribus, et his similibus officium ipsorum faciant. Et si in globis, ferro, funibus, instru-

mentis fossoriis, et huiusmodi rebus defectus reperietur, ipse eum istic resarciat ex proventibus arcis, cum ei non desit in Districtu Scepusiensi rerum istarum comparandarum copia; signanter vero salnitrum ab illorum locorum incolis, qui illud contribuendi occasionem habent, inter quos praecipue Debreczenienses commemoramus, potius quam pecuniam exigat, et eius competentem quantitatem in Agria ad futuros belli usus reponat; et si quid erit residuum, nobis ad reliquorum finium nostrorum usus impendat, quemadmodum hisce nostris eius rei exigendae potestatem sibi dedimus.

Et quia manifestum est, Agriam in eum statum devenisse, ut semper idoneo et sollicito capitaneo summopere egeat; ideo ipse continue, maxime vero obsidionis tempore in ea manere, neque insciis nobis inde quopiam discedere debeat.

De sumptibus vero ad praescripta omnia et singula praestanda, ut se praestiturum promisit, et reversalibus suis litteris confirmavit, necessariis, Consiliarii Camerae nostrae Aulicae cum eo conveniant. Cuius tamen conventionis articulos itidem manu et sigillo nostro roborabimus.

Ceterum ipsi hanc quoque facultatem dedimus, quod in primordio sui officii equites et pedites praescriptos, eorumque capitaneos, ipsemet assumere, et qui ei in rebus ad nostri et Regni emolumentum spectantibus non obediunt, vel quovis alio modo excedant officium, sive primarii viri fuerint, sive gregarii milites, ex sententia bonorum et legis peritorum virorum, primarios viros iuxta qualitatem delicti punire et exauthorare possit; dummodo quod quos dimiserit, et propter quod delictum id fecerit, quem denique in

dimissi locum substituere velit, nobis qualibet vice significet.

In constituendis etiam et perquirendis equitibus atque peditibus veteranorum militum nostrorum imprimis rationem habeat, extraneosque et ignotos, vel adversae parti faventes non recipiat, ne haec sibi data facultas irrita fiat.

Ad haec Supremis Capitaneis nostris, in Scepusio et ante Montanas Civitates constitutis, cum quibus mutuo correspondere debebit, commisimus, ut sibi auxilium ferant, quandocunque solus iis resistere non poterit, qui forte sibi proventus seu decimas eripere conabuntur.

Comitatus, item Magnates et nobiles Regni, quorum interest, interpellabimus, ut iuxta publicas Regni Hungariae constitutiones operarios ad Agriae fortificationem expediant, in eaque oblatos de singulis centenis subditis ternos equites continue alant, et in utroque puncto reipsa praestent, quod in Conventu Posonii proxime celebrato in se receperunt.

Quam denique limitationem certis quibusdam Magnatibus, Comitatibusque et Civitatibus Superiorum Regni Partium de maturo subsidio Agriae in obsidionis periculo ferendo, superioribus annis transmisimus, nunc quoque iisdem Magnatibus, Comitatibus et Civitatibus mediantibus Commissariis nostris ipsum Magochy investituris iterum ad memoriam revocabimus, mandabimusque ipsis, ut in eo periculo quisque designatum suum numerum in Agriam mittat, ibidemque tamdiu relinquat, donec auxiliares copiae nostrae eo pervenerint.

De obsidione item, quam forte Turcas, vel adversarios Agriae meditari ab exploratoribus nostris

intelligemus, ipsum tempestive edocebimus, et quae in hoc casu ad eius loci, totiusque Regni nostri conservationem et incolumitatem spectabunt, haud dubie suscipimus. E converso ipsemet quoque sibi fidos et idoneos exploratores constituere debebit, ne nobis propter fortuitos quoslibet rumores frustraneos sumptus faciat.

Postremo liberum erit nobis, quandocunque ipsum ab hoc officio amovere voluerimus, dummodo ipsum de hac nostra voluntate duobus mensibus antea certum reddiderimus; quod et ipse facere debebit, si in eo permanere noluerit.

Quia vero sibi de omnibus rebus et negotiis in tali loco finitimo plerumque emergentibus certus modus et ordo praescribi non potest, confidimus iccirco, ipsum Casparem Magochy pro sua summa erga nos fide, non solum praemissa, verum etiam cuncta alia negotia ad loci saepe dicti conservationem spectantia indefesso studio curaturum, et tam maturo consilio, quam opere et re ipsa praestiturum, quae a fidele et solicito capitaneo fieri et praestari possunt.

Et si ei graviora quaedam negotia occurrent, quam ingenii sui vires sufferre possunt, ad nos, vel nobis absentibus Serenissimos liberos nostros, et quos pro varietate temporis Supremos Capitaneos constituerimus, recurrat.

In quibus omnibus expressam gratioseque recognoscendam voluntatem nostram faciet. Datum Viennae 10. Decembris MDLXIII.

XV.

Verancsics Antalnak a turóczi prépostság adományoztatik.

Nos Ferdinandus etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis; quod nos attentis praeclaris virtutibus et meritis fidelis nostri Reverendi Anthonii Verantii Episcopi Ecclesiae Agriensis, Comitis perpetui Comitatus Hewesiensis et Consiliarii nostri, quibus eum nostra propria experientia praeditum esse cognovimus, et nihilominus pensantes eximiam devotionis et fidelitatis sinceritatem, qua idem honori et commodis Maiestatis Nostrae servire non cessat; eidem Praeposituram Conventus Ecclesiae Beatissimae Virginis Mariae in Comitatu Thurociensi existentem et habitam, per mortem fidelis nostri Reverendi quondam fratris Joannis Colosuariensis, Episcopi Ecclesiae Chanadiensis, eiusdem Praepositurae ultimi veri et legitimi possessoris, nunc de iure et de facto vacantem, authoritate juris Patronatus Regii, quod generaliter in omnibus Regni nostri Hungariae Ecclesiis more praedecessorum nostrorum, eiusdem Regni Hungariae Regum, felicis recordationis habemus, simul cum totalibus castris Znyo, nec non oppidis, villis etc. tam in dicto Comitatu Thurociensi, quam in aliis quibusvis Regni nostri Hungariae Comitatibus existentibus et habitis, ad eandem Praeposituram Thurociensem de jure et ab antiquo spectantibus pertinereque debenti- 1563. dec. 13.

bus, in commendam duximus dandam et conferendam. Ita tamen et istis sub conditionibus, ut idem Conventum Ecclesiae istius restauret, et in pristinum statum redigendo in integrum restituat; religionem eiusdem Conventus secundum regulam illius ordinis reformet; item ut in Conventum personas regulares et idoneas more aliorum Conventuum, prout scilicet ibidem ab antiquo consuetum, sed praeteritis hisce disturbiorum et bellorum temporibus intermissum fuit, intertenere, et per easdem executiones juridicas in Comitatibus eidem Praepositurae in faciendis executionibus ab antiquo subiectis, fieri curare; Divina officia, verbique Divini et sacramentorum administrationem debite peragi et obiri facere; doctum item et Catholicum ludimagistrum, quo iuventus in litteris et vera religione recte erudiri et institui possit, intertenere debeat et teneatur. Et quum praeterea fidelis nobis sincere dilectus Reverendus in Christo pater Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus et Sacretarius Cancellarius ac in Hungaria Locumtenens noster etc. in eiusdem Praepositurae oppido Sellye, hactenus usquedum Praepositurám illam tenuit, certum ordinem instituerit, secundum quem pedites et eorum decuriones tempore necessitatis arcem Wywar armati cum banderio et tympano militari praesidii causa intrare et ibi manere fuerant soliti; idem quoque secundum eandem ordinationem imposterum memorati oppidi Sellye inhabitatoribus committat, ut postulante necessitate ad mandatum provisoris et Capitanei in dicta arce Wywar pro tempore constitutorum, armati, ut dictum est, more militari pro praesidio in eandem arcem venire, ibique tamdiu, donec necessitas postulaverit, manere

et perseverare, ac Capitaneo ipsi in rebus bellicis omnem obedientiam praestare debeant et teneantur; imo eligimus et nominamus, damusque et conferimus, harum nostrarum tenore et testimonio mediante. Quocirca vos fidelem nostrum memoratum nobis syncere dilectum dominum Archiepiscopum Strigoniensem etc. praesentibus clementer hortamur, quatenus praefatum Anthonium Verantium in dicta Praepositura Thwroczensi ordinaria vestra authoritate canonice instituere, investire et confirmare non omittatis; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Wiennae XIII. die mensis Decembris anno Domini M^{o} D^{o} LX° III°.

XVI.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

Ad Serenissimum Archiducem Carolum.

Reverendissimus dominus Strigoniensis maxime instat apud Suam Maiestatem Caesaream, ne mihi Praepositura Turocensis libera, uti est promissa, conferatur; sed ut oppidum eius Selye obligetur servituti arcis suae Vywar. Quasi et arx ipsa Vywar, et Archiepiscopatus Strigoniensis colonos non haberet, et quidem multo plures, quam Praepositura illa. Et quia non facit hoc, quod admodum egeret opera illius miserae et tenuis plebeculae; sed tantummodo, ut indignationi suae, quam in me contraxit ob memoratam Praeposituram, satisfaciat: ad clementissimum Sereni- 1563. dec. 19.

tatis Vestrae praesidium confugio, supplicoque quam summisse, dignetur benigniter favere mihi apud suam Maiestatem Caesaream, ut id ipsum oppidum immune mihi relinquatur ab hoc vinculo. Quia sine dubio nulla bona diu salva permanere possunt, quibus a duabus partibus dominatur et praecipitur. Alioqui bene norunt Maiestates Vestrae, quanto studio ego semper fuerim, ut confinia vicinorum auxiliis non destituantur. Quo studio certae sint Maiestates Vestrae, quod arci quoque Vywar non sum defuturus; postquam incipiam eius esse accola; tantummodo non imponatur mihi hoc vinculum, scripto expressum, quod non solum me, sed etiam totum illum Comitatum concernit. Si autem ad publicam Comitiorum proximorum constitutionem de ferendis auxiliis finitimis locis, privatum etiam onus accesserit; videat clementer Vestra Serenitas, quo animo etiam illi miseri subditi erunt; quando intelligent, meo tempore sic se esse pressos. Supplico itaque humillime Serenitati Vestrae, dignetur mihi hoc favoris sui clementer impertiri et efficere, ne frustrer hac prima mea supplici petitione, quam ad eamdem detuli summa certe et spe, et fiducia, exoratorem me futurum. Deum interim etc. Posonii 19. Decembris 1563.

XVII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1564. jan. 25. Salutem opto et felicitatem. Litterae, quas per dominum Petrum Cippium missas accepi, magnum

mihi non solum gaudium, sed etiam consolationem exhibuerunt; imo eas ut quasi cuiusdam reconciliationis symbolum amplexus sum. Nam cum nullas habuissem ab anno et amplius, non sine ulla alienati a me animi suspicione degebam. Quas tamen cum perlegissem, solito suae benignitatis humanitatisque stilo plenas, moreque solito ad me scriptas, plane, crede mihi, serio consolatus sum. Quod enim aliud, quam Deum et dominationem Vestram Reverendissimam habeo vitae et familiae meae refugium? Certe nullum.

Porro, ut breviter ad praecipua eius epistolae capita respondeam. Quod mihi dominam Angelicam matrem nostram ita commendat, placet mihi; quin in eadem opinione sumus. Nam ego coram decedenti patri, et ipsi postea eadem promisi, et praestabo adiuvante Domino; modo ipsi a me id amoris et charitatis voluerint acceptare. Habeo enim curam honoris et existimationis domus nostrae, et habebo, donec vixero; utcunque a me accipietur, quia mirabilis gens est.

Quod autem scire cupit, si quae moriens pater mihi secreto mandata dedit; sciat, quod nulla, nisi ea quae in litteris per Joannem Crisanich missis, perscripseram.

Quod vero de migratione mea in domum paternam scribit, intellexi. An ego exul ab avitico habitaculo ulterius degam? Certe non faciam; nostram namque illam domum esse existimo. Et sicut per proximos nostros seniores eam collapsam vidimus; ita spero per novam hanc prolem iterum erigi, et in splendidiorem statum fundari brevi videbimus. Quod autem nunc ad aedificationem attinet; fient sedulo, quae fieri poterunt. Primo tamen loco cisterna perfici debet; quod

non tam ad commodum, quam ad existimationem et opinionem hominum attinet.

Ceterum quod eos homines, quos ad dominationem Vestram Reverendissimam misi, charos habeat ob meam commendationem, habeo gratias; quodque eos una cum nato et fratre mittere ad nos brevi promittat, cum ingenti desiderio expecto. Tardationis autem aliam causam non puto, nisi nimbum a Tragurio, qui concussit fruges nostras. Semper enim ex transverso occurrunt, qui panem filiorum praeripiunt. Atque utinam saltem gratitudinem praestarent. Nam voces quasdam hic sparserunt, parum nobis honorificas, licet mentientes.

Intellexi praeterea ex litteris puerorum, quod dominatio Vestra Reverendissima cum Fausto missura ęst etiam suum praeceptorem. Quod mihi superfluum esse videtur. Nos enim hic neque forum rerum venalium, neque coquinam habemus. Nam saepe nos solae cimulae caulium in lectum componunt. Quousque tamen hic fuerit, non deerit illi praeceptor. Fiat tamen ut dominationi Vestrae Reverendissimae placebit.

Ad eius posteriores litteras, quas per Ludovicum Celium missas accepi; aliud respondere non attinet, nisi quod mirum in modum probo compositionem illam cum Caesarea Maiestate, et credo, quod ad illam vivendi vitam, iam olim desideratam, nunc venire incipiet, omissa illa sanguinaria et carceraria, quae solis trasonibus conveniens est. Vere Regium opus est, tueri fines, et curare militiam; Praelati autem longe diversam administrationem exercent.

Ex hoc spero, quod dominatio Vestra Reverendissima iam soluta illis curis multiplicibus, facile impetrare poterit duos aut tres menses invisendi nostri

gratia; quod profecto et necesse est. O utinam illum diem saltim ego videre possim! si pater non potuit Reverendissimae dominationis. Ut autem sciat; emi in Cernice, quae villa est in suburbio, duas domunculas lapideas, quae sunt in curia pallacii eorum de Lignitit, et partem hortus, quae nondum solvi. Et haec pro tenendis animalibus minutis et vaccis loco certe valde commodo et propinquo; quem non ignorat dominus Joannes presbiter. Emi etiam totam possessionem Lucocich in insula Pernich; his de causis, quod scilicet erat nostrae contigua; sed hoc nihil esset, magis autem, quod olivetum et ficetum habeat egregium; potissimum vero, quod est possessio nostra olim avitica, et quod in ea domo parens noster natus sit. Sunt gognalia 16 in domo lapidea. Erit, si Deus voluerit, uni ex filiis satis commoda habitatio.

Quod reliquum est, opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et feliciter valere, una cum omnibus nostris, quos si nunc commode ad nos expedire non poterit, saltim Gregorium dignetur expedire. Salutem dico omnibus ibi, qui me cognoscunt. Ex Sibenico 25. die Januarii 1564.

Michael Verantius
frater et servitor.

Kivül. Reverendissimo domino, domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hewesiensi, Sacratissimae Caesareae Maiestatis Consiliario, domino suo observandissimo.

Redditae 8. Mar. Pos. 1564.

XIX.

De Andreis Jeromosnak Verancsicsnak Antal.

Ad Hieronymum de Andreis.

1564. febr. 2. Etsi nemo est mortalium, Hieronyme vir clarissime, qui non laudari desideret, quamvis etiam nulla sit laude dignus, nec in ordine laude dignorum hominum stationem obtineat; ea tamen sola laudatio honesta est et vera, quae a summis, a praestantibus, et a laudatis viris proveniat. Ut enim et ii non alios, quam similes sibi et laudare, et commendare consueverunt; ita et ab illis laudari, qui cum laude nihil commune habent, vituperium potius quam laus percipitur. Quod discrimen praecipue discemus, si nobiscum reputaverimus, qualesnam ii fuerint, a quibus laudamur.

Ego itaque laudatus proxime abs te una epistola, et epigrammate uno, de honoribus, de eloquentia, et de rara quadam, ut aiebas, rerum gerendarum industria atque peritia, placuit sane mihi plurimum, sed humano more, laudibus huiusmodi amplificari. Non id tamen propterea, quod ipsemet mihi placuissem, sed quod potius tibi placuerim in eo genere muneris, quod me tot legationibus summorum orbis Principum gessisse accidit, quodque a te et docto, et prudenti, et multis nominibus laudato, inque ista tua civitate Traguriense primariae nobilitatis viro fuerim laudatus.

Hac igitur ratione sis de his tuis partibus securus, quibus es erga me tam officiose functus. Nihil

enim eorum ommisisti, quae hoc argumento laude dignus amicus tuus desiderare abs te potuisset.

At videas, mi Hieronyme, ne ex ista tua laudatione, qua me tantopere amplificas, plus accedat tibi, quam mihi. Quum enim et tu, quod ego minime dubito, mirifice me veteris consuetudinis nostrae gratia diligas, et mea adhuc tota laus in cursu sit, necdum sudare ipse desierim, habens etiamnum in hoc senili statu, quibuscum contendam atque conflicter, illud eveniat, ut dicatur tibi, quod me valde amaveris, quodque intempestivus ea mihi tribueris, quae adhuc casui subiaceant, et successu carere possint. Nam et amore saepissime decipimur, et „laudandus est navigans, ubi in portum pervenerit," ait Beatus Gregorius.

Summa tamen rei haec est. Ut enim nulla laus ingrata est mortalibus, ita et nos, qui paulo a vulgo segregati sumus, tunc applaudemus laudibus huiusmodi, quum immortales esse coeperimus, ne quid haec aura temporalis, dum ea fruimur, aeternitati gloriae nobis adimat. Tuo tamen erga me amori ac studio responsurus, ita me et epistola tua, et epigramma affecit, ut utrumque opus saepius in manus sumpserim, et perlegerim, veterique tuo ingenio mirifice delectatus, qui iam nonnihil ultra senium in annis evagatus, etiamnum Musas suaviores colas, nec intermittis, dum vires suppetant, revisere Parnassi iuga.

Unde gratulatus tibi hunc optimum animi tui statum, precor etiam Deum immortalem, ut te in eo plurimos annos conservare velit. Interim vero amabis me, ut amas, et mei memineris, donec una esse poterimus, ubi tumultus Regni huius conquieverint. Reliquum est, ut me generosae dominae coniugi tuae, affini meae commendes, et ignoscas mihi, si etiam

versibus tibi non responderim. Dudum enim Reipublicae muneribus inauthorati et addicti studia pöetices reliquimus. Valeas incolumis, et felix. Posonii 2. Februarii 1564.

XX.

Verancsics Antalnak Hoberdánszki Kristóf.

1564. febr. 10. Reverendissime Domine etc. Volui de his Vestram dominationem Reverendissimam certiorem reddere, quae die huius mensis nona Egregius Simon Forgach cum misero sene, socro meo, eiusque filio in domo sua propria in possessione Nagitalia egerit, et quam enormia contra Vestram quoque dominationem Reverendissimam eidem Simoni Forgach primum Franciscus Kathay et Blasius Kamothy. duo eius precipui consiliarii ad omnia illicita eum irritantes et incitantes, proclamaverunt; deinde ipsemet Forgach ad Sacram Caesaream Regiamque Maiestatem perscribit. Quae qualianam sint. ego in praesentia literis significare non audeo; sed ubi Dominus Deus Vestram dominationem Reverendissimam reduxerit, personaliter eidem referam, et ab aliis quoque intelliget.

Quod igitur nunc ad priora attinet, praefatus Simon Forgach die memorata cum sexaginta equitibus, inter quos et dicti duo eius consiliarii fuerunt, summo adhuc mane existente, venit ad possessionem Vestrae Reverendissimae dominationis Nagitalia, ibique per totam diem commessationibus et compotatio-

nibus vacans, vina miserorum colonorum plenis sca, phys et hidriis violenter auferri fecit.

Inter eos autem praefatum quoque socrum meum, virum nobilem, non praeteriens, sed in eius domum servitoribus suis missis, ac eius cellarii perfractis hostiis, simili violentia illius vina auferri facere voluit. Verum filius dicti socri mei id illis concedere recusans, subito eum ad purgamenta domus extractum, tam diris verborum plagis fecit affici, ut donec hae litterae ad Vestram dominationem Reverendissimam perveniant, illum moriturum esse omnino credam.

Haec autem pater prae oculis suis fieri cernens, paternis visceribus super carissimi filii sui crudeli nece permotus, eius vitam non armis, sed precibus, et intercessionibus defendere voluit. At in eum praeatus Forgach ex temulentia sua irruens, adeo severe verberibus tractavit, ut tres dentes imbecilli et decrepito seni excusserit; similiter alios etiam quatuor colonos Vestrae dominationis Reverendissimae, qui tum sequestratum, et deprecatum eo confugerant, in tantum fecit vapulari, ut moribundi in stratis suis decumbant.

Et sic peractis his malis, circa noctem mediam Agriam est reversus, interim arcis porta, quod saepe iam in hoc finitimo loco contigit fieri, per castellanos et reliquos custodes aperta ei asservata.

Quoniam vero Reverendissima dominatio Vestra bene novit, ipsum Simonem Forgach a Sua Maiestate non in eum finem huc esse missum, ut miseros subditos destruat, sed ut potius defendat; quod ipse plane non facit, sed magis in singulis villis cum copiis suis destruit, et eorum calamitates adauget, in quibus Vestra dominatio Reverendissima bene novit illos

quotidie versari propter intollerabilem servitutem et solutionem, quam Turcis impendere coguntur.

Sed nec his contentus Simon Forgach, die sequenti proprium suum currum cum peditibus pixidariis misit in domum dicti miseri soceri mei, ac unum vas vini, quod melius habuit, violenter ex aedibus illius auferri fecit.

Ad haec, Reverendissimae domine, idem Simon Forgach proximis diebus in praesentia multorum militum iactabundus dixit, quod Episcopus Agriensis multa damna sibi fecerit, et capitaneatum, quo Agriensis ei prodiderit „nunc tamen et ipse (inquit) profecto nasturtium eius naribus contundam."

Quamobrem Vestram dominationem Reverendissimam propter Deum rogo, velit de huiusmodi enormitatibus Sacram Caesaream Maiestatem informare, supplicareque, ut Sua Sacra Maiestas, tum communis justitiae intuitu, tum ob merita fidelium servitiorum meorum, et antecessorum meorum, proximorum ac parentum, qui etiam crudelissima morte fidelitatem suam Maiestati Suae Sacrae testatam fecerunt, dignetur tam serium mandatum dare ad dominos Commissarios, qui cum Vestra dominatione Reverendissima Agriam sunt venturi, ut hanc indignissimam rem jure mediante hic Agriae, et non alibi, revideant, et iustitiam de ipso Simone Forgach mihi meoque afflicto socero administrent; ex quo ille iam senex et pauper existens, vel octavas, vel alia judicia longinqua sequi non potest. Mandabit etiam Sua Maiestas valde serio ipsi Simoni Forgach, ut super suis perpetratis violentiis his coram Commissariis Suae Maiestatis iure stare debeat.

Alioqui si Vestra dominatio Reverendissima de

his curam non gesserit, brevi et Tallia, et Maklar, et tota ista vallis desolabitur; credat enim Vestra dominatio Reverendissima, quod haec omnia in iniuriam eiusdem facit. Datum Agriae 10. Februarii 1564.

Christophorus Hobordansky
miles Agriensis.

XXI.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, 1564. febr. 13.
Domine, domine Imperator mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Sacratissimae Maiestatis Vestrae humillimam commendationem. Litteras Sacratissimae Maiestatis Vestrae datas die ultima Januarii, undecima accepi Februarii; quibus Eadem Maiestas Vestra Caesarea clementer dignata est significare mihi, quod magna dissipatio victualium fieret Agriae per homines et servitores meos; immo etiam quod ipse ego his paucis diebus hinc inde ultra centum et quinquaginta acervos frumenti distribuissem, vina vero partim vasis integris, partim minutim, quotidie educillari facerem. Monet postremo benigniter, ut transactionis mecum initae recordari debeam, et abstineam imposterum ab eiusmodi eorundem victualium alienatione, curemque arci Agriensi restitui, quicquid ex ea esset evectum, nisi velim in pensione mihi deputata iacturam facere.

Ad quae, clementissime Imperator, summisse respondendo :

(1.) Quoniam et pensio memorata, et alia, quaecunque mihi sunt in fortunis, a Maiestate Vestra sunt; eadem quoque semper non mea, sed Vestrae Caesareae Maiestatis agnosco. Unde peroptime transactionis mecum initae memor, ubi primum factus sum certior de eiusdem transactionis tota et serie et forma, mox provisori meo misi articulum de ratione proventuum anni 1563., eique praecepi firmitur et serio; ut omnes et singulos redditus episcopales anni memorati sciat esse Vestrae Caesareae Maiestatis, neque ex illis quicquam ad partem meam tertiam desumat, pro qua Camera Hungarica esset quotannis imposterum mihi responsura, quoad praesens transactio duraverit. Praeterea, ut satageret totis viribus eosdem redditus universos summa diligentia et fide colligere, reponere et conservare, ne quid ambo reprehensionis subeamus. Nec praetermisi simile mandatum etiam ad meos alios homines, quos habeo Agriae, dare, expresse ea particula adiecta, ut si quid aut vinorum, aut tritici et similium aliorum nomine partis meae tertiae percepissent, subito in provisoris manus restituere.

(2.) Quod vero ad acervos attinet; clementissime Imperator, totus Episcopatus vix tot acervos facit. Si tamen ego iusserim unum, aut centum et quinquaginta dumtaxat grana vendere vel erogare mea causa; nullam poenam refugio, quam mihi Maiestas Vestra inflixerit. Verum est, quod quattuor aut circiter quinque milites Agrienses, bene meriti de arce Agriensi, rogaverant me per litteras, ut curarem victualibus aliquibus eis subveniendum, postquam non essent pecuniae, scripseramque ad meum provisorem, ut talibus sub-

veniret, sed quantum fieri posset, et citra arcis commeatuum diminutionem. Quicquid alioqui ultra hoc post discessum meum Agria in his commiserit sive egerit, ego certe nescio. Verum quoniam nihil tale facere possit, quod contrascriba nesciat, qui illi semper adhaeret, tota eius administratio cognoscetur, quum officii sui rationem reddet.

De vinis vero, quae mihi sunt Agriae extra partem tertiam; certe admodum pauca sunt. Nec eorum venditio, de qua inimici mei non palam, sed occulte loquuntur, tanti est, ut Maiestatem Vestram Caesaream molestare, me vero criminari debuissent, tanquam hominem Agriae alienum. Idque tam cito, et adhuc in re viridi; quippe qui etiam absentem insectari non desinunt. Sed parcat illis Deus, quem credo benigne habiturum causae meae rationem.

(3.) Interim tamen Vestra Maiestas Caesarea dignetur clementer habere persuasum, nunquam me etiam in maxima mea necessitate manus meas ingessurum in episcopales redditus, donec — ut iam praemissum est — praesens stabit transactio. Supplico tantummodo humillime, ut Maiestas Vestra Sacratissima dignetur pro sua clementia et pietate benigne ministris suis mandare, ne in reliquis tam meam, quam Cleri mei jurisdictionem pro transactionis continentia molestare velint. Ut autem meus quoque provisor clementem hanc admonitionem a Caesarea Maiestate Vestra mihi factam intelligat; scripsi denuo ad illum, ut bene videat, quid agat, quia iam illi non cum Episcopo, sed cum Vestra Caesarea Maiestate erit negotium. Quam Deus Optimus Maximus diu incolumem et felicem servet. Posonii XIII. Februarii M° D° LX° IIII°.

XXII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1564. febr 16. Opto salutem et felicitatem. Exhibitor praesentium vocatur Stephanus filius cuiusdam Milan civis huius civitatis, frater autem Antonii, qui in castello festo coronationis combustus est. Profectus est autem eo pro quibusdam reculis dicti fratris sui. Optat favore dominationis Vestrae Reverendissimae eas consequi posse, si quae difficultas ei nasceretur, et noluit sine litteris meis discedere. Quoniam autem nostras est, dominatio Vestra Reverendissima, pro sua clementia illi, puto, non deerit.

Quod reliquum est, cum per dominum Michaelem Nardinum abunde scripserim, nunc quod addo, non habeo; nisi nos omnes bene valere, excepta domina Angelica, quae ex quodam apostemate nonnihil aegrotat; et cum summo desiderio expectari Gregorium nostrum, ita rebus nostris difficilibus exigentibus. etc.

Unum hoc ommiseram in litteris prioribus, quod hic adscribere putavi oportere; filius strenui capitanei domini Michaelis Lucich nomine Joannes, duxit uxorem Spaleti; filiam domini Francisci Giurminich, et adducturus est post festum Paschalium. Conveniens est, si dominatio Vestra Reverendissima aliquo honesto munusculo eam dignaretur, quod munus peroptime esset locatum. Quia idem dominus Capitaneus

cum hoc eius filio ita nos amant, dico ex corde, ac si eadem matre nati essemus; mihi praesertim in plurimis meis negotiis maximo usui sunt hic. Quod ut facias, rogo.

Mitto dominationi Vestrae Reverendissimae semina archichiocorum ex nostro horto proviano pro horto suo Posoniensi novo. Qui nunc ubique fructus est acceptissimus, et apud me magna in copia seminatur in terra humida et fimata. Post tertium annum divisa radice in plurimas plantas, totum hortum replere posset; hieme sub terra latet, et apud vos stramine cooperiri debet. Opto dominationem Vestrum Reverendissimam optime valere; qui pueros nostros, et alios salute meo nomine impertietur. Ex Sibenico 16. die Februarii 1564.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül. Reverendissimo Domino domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi, Sacratissimae Caesareae Maiestatis Consiliario, domino suo semper observandissimo.

Redditae Viennae 30. Martii 1564.

Responsum est eis.

XXIII.

Ferdinánd császárnak tanácsosai, kiknek egyike Verancsics Antal.

1564. mart. 1. Sacratissima Caesarea Maiestas, domine clementissime. Orationum et fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Vestrae Sacratissimae Maiestatis Caesareae humillimam commendationem. Vestra Sacratissima Maiestas Caesarea benigne recordari potest, quomodo fideles Ordines et Status Regni huius sui Hungariae in aliquot diaetis, et etiam in proxime praeteritis Comitiis Vestrae Sacratissimae Maiestati humillime supplicaverint de negotio redimendorum castrorum ad Austriam impignoratorum. *) Ad quam eorum supplicationem Vestra Sacratissima Maiestas clementer respondere dignata est, se cum dominis Austriacis in eorum diaeta tractaturum. Cum vero intelligamus, eosdem dominos Austriacos iussu Maiestatis Vestrae generalem conventum isthic Viennae nunc habere; hoc negotium voluimus Maiestati Vestrae Caesareae humillime in memoriam revocare, et eidem supplicare, dignetur cum ipsis dominis Austriacis superinde tractare, et pro castris illis ad Hungariam remittendis auctoritatem suam gratiose interponere, atque hanc nostram et totius Hungariae humilem supplicationem, ut iam tandem exaudiatur, bonumque finem sortiatur, benigne curare. Quod nos unacum toto hoc Vestrae

*) Értetnek Kismarton, Fraknó, Kabold, Szarvkő, Rohoncz, Kőszeg és Borostyánkő, melyek az 1491-ki békekötés által Ausztriánál hagyattak, és csak II. Ferdinánd alatt kapcsoltattak vissza Magyarországhoz

Sacratissímae Maiestatis Regno Hungariae ab Eadem servitiis nostris perpetuis et fidelibus promerebimur. Quod reliquum est, Deus Optimus Maximus Vestram Sacratissimam Maiestatem Caesaream, una cum Serenissimis Principibus liberis suis charissimis, dominis nostris clementissimis, felicissime et diutissime conservare dignetur. In cuius gratiam nos et fidelia servitia nostra iterum humiliter commendamus. Posonii prima Martii anno Domini 1564.

Eiusdem Vestrae Sacratissimae Maiestatis Caesareae
fideles et humiles sevitores et capellani
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Zagrabiensis mp.
Quinque-Ecclesiensis mp.
Wesprimiensis mp.

Mellékelve :

Memoriale pro Sacratissima Caesarea Maiestate.

Sacratissime Imperator, domine et domine clementissime. Cum fideles Sacrae Maiestatis Vestrae subditi Status et Ordines Regni Hungariae in proxime praeterito eorum Conventu Generali Sacratissimae Maiestati Vestrae humiliter supplicassent, quo clementer admittere dignaretur, ut arces illae, quae ad Austriam tenentur impignoratae, iuxta continentias contractus illius cum Serenissimis condam Friderico et Maximiliano Imperatoribus facti aequalia cum ipsis Hungariae regnicolis ferrent onera, tam in solvenda dica, quam in aliis publicis Regni oneribus; obtulit sese clementer Sacratissima Maiestas Vestra, quod

dummodo in primo Australium conventu ea de re humiliter admoneretur, velit haec postulata fidelium suorum Hungarorum ad provinciales suos Austriacos referre, et inspectis litteris quoque inscriptionis et oppignorationis id facere, quod aequitati et tenori contractus consonum fore iudicabit.

Similiter benigne sese obtulit Sacratissima Maiestas Vestra fidelibus suis Hungaris de revisione metarum inter Hungariam et Austriam, ac etiam permittenda redemptione arcium praedictarum ad Austriam impignoratarum supplicantibus, quod super hac eorum petitione per primam commoditatem cum dictis fidelibus suis Austriacis tractare velit. Ad quam quidem metarum revisionem Commissarii etiam sunt ex parte Hungarorum nominati : Dominus Episcopus Varadiensis Joannes Petew, Magister Matthaeus Protonotarius, et Emericus Hassagy.

Super his praedictis articulis, ut Sacratissima Maiestas Vestra Caesarea in hoc praesenti Australium Conventu clementer memor esse dignetur, supplicatur humillime omnium Regni Hungariae Statuum et Ordinum nomine.

XXIV.

Ferdinánd császár intézkedéséről Verancsics Antalnak kérésére.

(Jegyzőkönyvi kivonat)

1564. máj. 4. Sacra Romanorum Caesarea Maiestas, visa Reverendi domini Verantii, Agriensis Episcopi, suppli-

catione, de impartiendo sibi exemplo instructionis, quae data est Magnifico Caspari Magochy moderno Agriae Capitaneo, Eius Caesareae Maiestati exhibita, clementer decrevit, quod idem dominus Reverendus iustum peteret : eiusque instructionis copiam sibi fieri iussit, in iis scilicet articulis, qui eius personam atque administrationem concernunt. Hos itaque articulos idem dominus Episcopus cum praesentibus accipiet; atque inde optime noverit, quae ei partes a Capitaneo erunt expectandae; quae vicissim ipsi ab illo.

Ad praedam Turcicam quod attinet, quam Egregius Simon Forgach consecutus est, quando Agriam subrogatus est; donec eius loco novus stabiliretur capitaneus : Quandoquidem res ita se habet, quod idem Forgacius eo tempore potestatem in milites habuit, ut custodiret una cum illis arcem Agriensem et eius pertinentias, eademque ipse potestate et armis praedam illam obtinuit; nulla interim ex parte impedita provisorum domini Episcopi functione, seu quibuscumque eius ordinariis redditibus, qui absque dubio attenuabantur, nisi Forgachius in eadem sua potestate sese tam strenue gessisset; Maiestas Caesarea exiguam illam praedam eidem relinquendam decrevit. Quae etiamsi alia de ea ferretur sententia; non tamen integra cederet domino Episcopo : siquidem nova eius transactio multo ante inchoata fuit, quam Forgachio potestatem suam in milites assignaret.

H. Fieringer mp.
Decretum per Maiestatem,
Caesaream et Regiam
4. Maii anno 64.

XXV.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Ad Tranquillum Andronicum.

1564. jul. 16. Venisse te ex Dalmatia, laetor; et voluissem tua causa, si nunc istic esse possem, ut consuetudine mutua frueremur. Sed quoniam superioribus diebus Posonium non magno meo cum solatio diutius incoluerim; in Turocium meum secessi nonnihil, idque eo potissimum, ut statum loci huius constituam, et prospiciam rei familiari eius. Quo si excurreris, venies gratissimus hospes. Sin gravabere, propter incommoda, de quibus scripsisti; utere istic nostra domo tuo arbitratu, dum rediero. Quoniam ego etiam ad kalendas Augusti debebo esse Posonii, iussu Caesareae Maiestatis. Vale. Et oppido nostro Varallya sub Znio, arce Turociensi. 16. Junii 1564.

XXVI.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Transsilvaniensem Paulum Bornemissam.

1564. jun. 17. Quod Reverendissima dominatio Vestra serius ad meas litteras responderit die 13. mensis instantis,

causa mihi constitit. Nam quum iussissem currum expediri in eius diei crastinum, ut eandem inviserem gratia officii, forte fortuna hospes quidam intervenit, qui dixit, eam esse Tirnaviae, et agere ibidem in iudicio de controversia, quam habet cum Magnifico domino Bathory. Sic et Reverendissimae dominationis Vestrae serius responsum, et officium meum intermissum, satis est, puto, ex his excusatum.

De profectione sua cum Caesareis et Regiis commissionibus ad montanas civitates, et condoleo, et compatior illi, et vellem in robustiores id laborum reiici, immo etiam periculorum, quum iam ea loca latissime pervagentur a praedonibus Turcicis. Sed quoniam viris opus est in magnis et difficilibus rebus, praesertim hoc nostro praesenti saeculo, quo adeo virorum penuria laboremus, Reverendissima dominatio Vestra caute et bono milite comitata ambulet, ne quis insperatus sese casus iniiciat.

De Selye oppido meo recte iudicat. Est enim dignus locus habitatione, habeoque magnas gratias Reverendissimae dominationi Vestrae, quae me consolatione sua praeparat ad haec difficiliora principia tolleranda. Quae haud dubie non exiguam etiam spem mihi faciunt, ita futurum, ut ipsa scribit. Quoniam heri obequitaverim et recognoverim totum circuitum territorii Selye, Pered, et Kyralfalwa, reperique partes agrorum eorum aliquas, quae agricolationi meae desumptae, nihil est colonorum commodis decessurum, accommodaturus mihi praedia aliqua extra terminos quatuor locorum horum.

De suis aedificiis valde laetor; et Caesareo more facit, quae uti scriptum est de Augusto Caesare, quod qui Romam inventam latericiam, marmoream reddi-

derat; ita et Reverendissima dominatio Vestra ex Nitria prope lignea, faciet lapideam. Quod ut feliciter et ex sua sententia absolvat incolumis, et in diuturnum etiam aevum tam praeclaro opere perfruatur, Deum oro altissimum. Quum autem et ego iam Turocium cogito intra paucos dies proficisci, statu loci huius constituto, et Reverendissima dominatio Vestra publico negotio praepeditur; in aliud tempus differamus congressum nostrum, quem volo fieri Nitriae, donec etiam ego domum hanc Selyensem ita adornem et commodem, ut personae Vestrae dominationis Reverendissimae excipiendae et habendae sit digna et idonea. Advocatis vero iis utamur necesse est, quorum est facultas; mihi tamen omnino aliquis quaerendus et comparandus est, quem potero ceteris praestantiorem; quia mihi non deerunt lites propter metarum interceptionem. De novis rebus nec mihi quicquam est. Deus Reverendissimam Dominationem Vestram diu incolumem servet. In Selye 17. Junii 1564.

XXVII.

Oláh Miklós esztergami érseknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Strigoniensem Nicolaum Olahum.

1564. jun. 20. Quod ad me de instauratione Conventus Praepositurae Turociensis Reverendissima dominatio Vestra scripsit, intellexi; eique habeo maximas gratias de

admonitione huiusmodi, qua curat tantopere, ut Ecclesiis Dei consulatur. Equidem nihil nunc ago diligentius, quam ut hoc ipsum ad finem perducam, disposito imprimis plebano, concionatore et magistro scholae in oppido nostro Selye, in quo tamdiu ministri similes defuerunt. Quod ubi primum Domino adiuvante expedivero, Conventus curam aggrediar. In his autem me non esse somnolentum et immemorem, mitto exemplum dominationi Vestrae Reverendissimae earum litterarum, quas proxime cuidam amico dederam, super huiusmodi personis, ut videat fide oculata; curare me non segniter munera Episcopi, esto quod nullo etiam vinculo aut mandato obligarer, quia iam in Selye et ecclesiae, et cemiterii sordes mundantur, ac ruinae reparantur. Certa sit dominatio Vestra Reverendissima, quod Conventus quoque Turociensis claustri restitutio die noctuque me sollicitat. Nec terret ratio sumptuum, modo hominibus ad id idoneis non careremus. Quanto autem studio simus, ut domus Dei omni in loco, cui praesimus, debito honore et decore servetur, iam ex Agriense templo vel a suis propriis hominibus Reverendissima dominatio Vestra cognovit. Spero me pari modo Turociensi etiam non defuturum. Verum difficillime omnino est mihi, eos tot annorum defectus primo anno reparare, qui a me in hac Praepositura non solum hos, sed etiam complures alios exigant sumptus. Dabo tamen operam, ut Reverendissima dominatio Vestra in me semper habeat filium et suffraganeum obsequentem. Quod reliquum est, rogo eandem, ut fautorem et patronum meum singularem et confidentissimum, velit non gravate in omnibus his patrocinari mihi, tam apud Suas Maiestates, et in consiliis Dominorum, quam etiam in aliis, quaecun-

que aliunde contra me emergere continget. Quum enim praeter eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae nullum alium praeconium mihi constituerim, par etiam est, ut haec mea fiducia sentiat suos fructus evidenter. Deus Reverendissimam dominationem Vestram incolumem et felicem servet. Tyrnaviae 20. Junii 1564.

XXVIII.

Gróf a Salmis Eckiusnak Verancsics Antal.

Ad dominum Comitem a Salmis, dominum Eckium.

1564. jun. 24. Quoniam ad Magnificam dominationem Vestram diebus quoque superioribus satis abunde scripseramus de ratione teloniorum, quae sunt in hoc Regno Hungariae, quibusque etiam iuribus eorum immunitates servantur, et quae vel civitates, vel personae ab eorum solutionibus eximantur publicis Regni ac Principum decretis, attigique etiam de hoc nostro oppidi nostri Sellye, ne nunc quoque aliud scimus Magnificae dominationi Vestrae ad suas litteras rescribere, quam quae dudum eam a nobis intellexisse putemus. Nec existimamus, indigna nos postulare, ut originalia privilegia similium exceptionum, tam de quibus agunt cives Samariani, quam complures alii privatorum oppidorum, producantur, ut intelligere possimus, quibus de causis proventus nostrae huius Ecclesiae telonei translati sint in alios, jusque eius fuerit illi imminutum.

Et quamquam Sacratissimorum Principum nostrorum clementissimorum tam praesentium, quam qui eos praecesserunt, habeamus diplomata omni cum honore et reverentia; quia tamen ea conferre semper sunt soliti salvo iure alieno, quae nimirum tam ab antecessoribus suis, quam ab se ipsis iam antea quibuspiam fuere collata, ne nobis quoque ulla imputanda est contumacia, si jus nostrae Ecclesiae aequitate tueri velimus, donaque Principum chara, et summo loco habere apud nos contendamus. Quare Magnificam dominationem Vestram rogamus, velit ipsa etiam sic ad haec animum suum appellere, ut de his inter nos sancta aequitate modoque amicabili transigatur. Agitur enim de juribus haereditariis, quo ut uterque nostrum rite et constanter sua tueri debeat, ita neutri ab aequitate est recedendum, ne tandem iniuriae locus detur. Quod autem iidem Samariani cives ab aliis Praepositurae huius possessoribus non fuerint impediti, noverunt ipsi, quare hoc fecerunt; verum nos, si aeque non facimus, nullius propterea laedimus libertatem, quum nostram laedi non patiamur, et aequitati nos committamus, iuxta Regni Hungariae leges. Parati alioqui omnibus nostris officiis Magnificae dominationi Vestrae et gratificari et inservire solita et singulari nostra erga eandem observantia; tantummodo ne offendamur his in invicem, quae utrique nostrum defendenda sunt, ut haereditaria mea ecclesia, sua vero suis. In quibus alioqui, si Maiestates Suas Magnifica dominatio Vestra requisiverit, uti scribit in nomine Domini, eo hoc et nobis erit gratius. Quia unde legum promanat sanctitas, praerogativaeque jurium statuuntur; inde etiam aequitati huius nostrae Ecclesiae speranda est iusta judicii administratio.

Cui Magnificam quoque dominationem Vestram optimum fautorem fore non dubitamus, quae Ecclesias Dei semper et habuit, et habet commendatas. Deus Optimus Maximus eandem sospitet et felicitet in omne aevum, nosque amet, et iubeat nobis pro suo arbitratu. Ex Sellye 24. Junii 1564.

XXIX.

Dudics Sbardelatus Endrének Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Quinqueecclesiensem.

1564. jun. 26. Ego veni ad hoc oppidum meum Sellye, et credidi venisse me in ea omnia, quae mihi sunt a Caesarea Maiestate, domino nostro clementissimo, collata in litteris donationalibus, et in transactione mecum facta; verum longe secus cuncta reperi. Etenim Uriel quidam Magliny, Praepositurae huius olim Praepositus, sic cum iis unius oppidi magni, et trium villarum colonis transactionem fecit, ut sibi quotannis ducentos tantummodo florenos numeratae pecuniae penderent; reliquis omnibus utilitatibus et dominio ipso potirentur immunes a servitiis. Deus bone, quae insania, quae iactura! quae etiam indignitas! Tot terras, tot redditus, tot etiam utilitates, servitia, juraque Ecclesiae ducentis florenis quotannis vendere, et demum a perpetua eorundem bonorum alienatione quotidie vereri ac metuere!

Propterea quum huic alienationi bonorum Ecclesiae jure etiam legitimo mihi sit occurrendum, cum antecessores in ecclesiasticis bonis successorum infirmare et labefactare iura minime possunt, quicquid quisque in vita de suo fecerit, successores tamen in plena et integra jura succedunt; transactionem istam non laturus, edixi colonis, ut ad veteres consuetudines revertantur, et illis juribus ac modis mihi post Suas Maiestates subsint, quibus fuerunt sub Praepositis priorum temporum; ad quod quia aegre videntur esse reverturi, arbitrorque, quod etiam edocebunt de his Suas Maiestates, cupientes salvam sibi relinqui huiusmodi libertatem ab Uriele habitam, Reverendissimam dominationem Vestram rogo, velit id negotii mei habere apud Suas Maiestates, et ubi fuerit opus, commendatum; esset enim in maximum huius Ecclesiae praejudicium, si sic haec tanta bona alienantur in alienos, et eos quidem plebeos homines, cum et canones Sacri, et jura omnia Regni Hungariae clament, jus Ecclesiae bonorum non posse per antecessores successoribus adimi et infringi.

Et super hoc vellem, ut Reverendissima dominatio Vestra obtineret mihi a Suis Sacratissimis Maiestatibus ad hos colonos mandatum, ut non obstantibus quibuscumque cum praefato Uriele transactionibus, subsint et pareant mihi ac jurisdictioni meae, idque illis omnibus juribus et modis, quibus subiecti et obedientes fuere prisci temporis Praepositis. Ne omnino haec bona alienari contingat, quae etiam Reverendissimae dominationis Vestrae, et plurium aliorum, qui sunt nobis in Ecclesia Dei successuri, esse possint. Quod reliquum est, nova quae hic habere potui, a Reverendissimo et Illustrissimo domino nostro intelliget,

in cuius etiam gratia non gravabitur me conservare. Felix et incolumis diutissime valeat. Ex Sellye 26-ta Junii 1564.

XXX.

Magóchy Gáspárnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Dominum Casparem Magochy.

1564. jun. 28. Conquestum est nobis Capitulum nostrum, quod Magnifica dominatio Vestra limites quarundam terrarum suarum, tanquam ad nos pertinentes, fecisset noviter occupari; videlicet supra Wadkert, praedii Rewtewrhaza, inter Demyend ac Zalok et Roch, inter Zalok et Bakta, et supra Amagyery, quod est in suburbio oppidi nostri Agriensis. De quibus limitibus quoniam nobis sunt privilegia, et iam ab aliquo tempore in eo sumus, ut revisione ordinaria de hisdem limitibus inter nos et Capitulum nostrum revideatur, et transigatur; non est opus, ut ante tempus et praeter rationem aequitatemque communem de dictis limitibus vi usurpandis constituamus, quum ad haec etiam cum ipso Capitulo nostro conclusimus, ut eisdem limitibus, tam a nostris, quam ab eius subditis, ministrisque quies permittatur, donec nos Agriam veniemus, et dictam revisionem ordinariam exequamur.

Vestram itaque Magnificam dominationem volentes de his facere certiorem, postulamus, ut velit pro nunc supersedere ab huiusmodi novis occupationibus,

et quae iam curavit occupanda, remitti facere. Quia alioqui cum nostra bona cum bonis Capituli eadem sint et eiusdem Ecclesiae, non decet nos, quantum fieri possit, ita inter nos litigare, ut qui sunt inter sese alieni. Quapropter dominatio Vestra Magnifica potius ipsum Capitulum, qui sunt nostri fratres, et bona eius, aeque studere velit defendere, atque nostra; quum aequaliter Magnificae dominationi Vestrae sunt commendata. Nec id eidem pluribus suggerimus, quod sciamus eandem plurimum aequitatis esse studiosam, et natam esse magis ad benefaciendum, quam ad cuivis nocendum. Deus eandem servet diu incolumem. Ex oppido nostro Sellye 28. Junii 1564.

XXXI.

Heves vármegye közönségének Veranesics Antal.

Ad Comitatum Hewessiensem.

Aegerrime intelleximus vituperia, quibus Egregius Ladislaus Zenthgiergy Venerabilem Magistrum Franciscum Pesthiensem, Canonicum, Archidiaconum et Decanum Ecclesiae nostrae tam indigne, enormiter et contra omnia Divina atque humana iura superioribus diebus afflixerit; hocque eo magis offensi sumus, quod cum adhuc Regni judicia cum justitia sua non sint extincta, idem Ladislaus sua ipsemet manu, sibi per indebitam potentiam judicium administrare et satisfacere voluerit, contra omnes Regni leges; quicquid

1564. jun. 28.

idem Archidiaconus noster illi commiserit, si commisit; parum etiam memor, quod in Magistratu existens, non vi et sua manu, sed jure et legibus contra eundem agere debuerit, si quid in illum actionis habuisset.

Quocirca cum Capitulum nostrum idem esse reputamus, quod sumus nos, una in fraternitate et uno in corpore coniuncti, cuius etiam Divina ordinatione, et Maiestatum Suarum munificentia caput simus; sciant dominationes Vestrae Egregiae, non secus nos quoque ab eodem Egregio Ladislao esse offensos, atque ipsum meum Capitulum, et frater noster affectus indignissimis vituperiis, et alapis caesus.

Propterea nos etiam una cum ipso Capitulo nostro, ut supremus Comes Comitatus Hewessiensis, electioni eiusdem Ladislai Zenthgiergi ad officium Vice-Comitatus nostri, quem etiam sine scitu nostro eligere non conveniebat, contradicimus, et reclamamus cum protestatione, nequaquam illum fungi debere officio sibi collato, donec eidem Capitulo nostro, et nobis, et percusso etiam fratri nostro, judicium super hoc fuerit administratum eo in loco, in quo, et per quos judices Sacratissima Caesarea et Regia Maiestates, domini nostri clementissimi, benigne decreverint. Reliquum est, Egregias dominationes Vestras bene valere optamus. Ex oppido nostro Sellye 28. Junii 1564.

XXXII.

Pankotai Ferencz egri vicariusához Verancsics Antal.

Ad Franciscum Pankotanum Vicarium nostrum Agriensem.

Nosti cum aliis fratribus et concanonicis tuis, 1564. jul. 6.
nos Reverendissimum Hieronymum Domitium Berislavum, sic eius exigentibus meritis et virtutibus, ad Praepositturam capellae Beatae Mariae Virginis ad latus ipsius Ecclesiae nostrae Agriensis fundatae, de Praepositura Sancti Petri in eadem Ecclesia nostra existente, transtulisse, tam jure Ordinarii, quod omnibus Episcopis in Ecclesiae suae beneficiis competit, quam vigore juris patronatus, quod semper in hoc Regno Hungariae a Regia Maiestate in eos transfertur, quamprimum electi, et confirmati fuerint. Quum autem fratres nostri eidem Reverendissimo Hieronymo a nobis praefata Praepositura donato, de quodam jure patronatus suo mentionem fecissent, seque collationi nostrae opposuissent, et te praetenso suo jure ad eandem Praepositturam Beatae Mariae Virginis nobis praesentassent instituendum, voluimus hactenus praefati Hieronymi institutionem differre, ut nostrorum eorundem fratrum privilegia cognosceremus; quemadmodum jura volunt, Fisco, et Ecclesiae praesidi ab omnibus sua demonstrari iura, quorum vigore res ecclesiasticas possideant. Nunc quando rem diligenter et iuste expendimus, aperteque cognovimus, privilegia nobis a Capitulo nostro edita nulla in parte eorum jus

patronatus praetensum fovere; scientes etiam secundum decretales sanctiones, nullo modo posse privilegio jus patronatus in Ecclesiis constitui, quae patronatae fuerunt, ut universae sunt in hoc eodem Hungariae Regno Ecclesiae, et earum dignitates; eundem Reverendissimum Hieronymum nostrae donationis iam factae litteris munivimus. Mandamus ergo tibi, ut nullo modo te pro Praeposito memoratae Praepositurae Beatae Mariae Virginis geras, neque saepedictum Hieronymum ea in re molestes, silentium tibi superinde perpetuum imponentes, et nihilominus etiam praecipientes, ut tu vel subrogatus tuus eundem Hieronymum in persona nostra instituas et investias, recepto tamen prius ab eo solito iuramento, de non alienandis rebus Ecclesiae, et de aliis, quae in litteris donationalibus nostris continentur, rite obeundis ac perficiendis, et superinde in possessionem quoque induci atque installari facias, quantumcunque fratres nostri reclamaverint. Si autem nec tu, nec subrogatus tuus his litteris nostris obtemperare volueritis, nos ad ea juris remedia deveniemus, quae nobis competere adversus contumaces non ignoramus. Si praeterea iidem fratres nostri gravatos se idcirco fuerint arbitrati, nos, quae sacris canonibus praescribuntur in huiusmodi casibus, praestari illis non recusamus. Intelligent autem, nos nihil temere, aut per iniuriam fecisse; si voluerint vel a nobis, vel a jurisperitis informationem accipere, et poterunt rationes cognoscere; quia quomodocunque putaverint rem successuram, praedictus tamen Hieronymus nullo modo potest aut debet ea sibi iam collata Praepositura carere. Interim te certiorem paterne facientes, quod sicuti semper tibi faverimus, et bene voluerimus, ita tui etiam pro-

movendi atque ornandi curam nos non neglecturos, si te, prout opportunum fuerit, obedientiae nostrae subieceris. Secus ne feceris. Vale etc. Ex Varallya Znio arcis Turociensis 6. Julii 1564.

XXXIII.

Az egri káptalannak Verancsics Antal.

Ad Suum Capitulum.

Reverendi ac venerabiles fratres in Christo nobis dilecti, salutem et omne bonum. Edocti sumus de his a Reverendo Vicario nostro, quae vobis essent in praesentia controversiae cum Magnifico domino Gaspare Magochy, et cum Egregio Ladislao Zenthgierghy; maximeque doluimus de iniuriis utrinque illatis vobis. De quibus quidem non aliter sentimus, quam si in personam nostram accidissent. Propterea quales litteras et ad dominum Magochy et ad Comitatum de eodem domino Ladislao scripserimus, volentes adesse rebus vestris pro officio nostro, ex his earundem litterarum copiis cognoscetis; et litteras etiam ipsas, quas in vestras manus direximus, ita exhibebitis, ut videbitur vobis. De negotio autem Praeposituræ hortamur vos, ne ita perturbemini, ut excedatis metas. Alioqui quam conveniens est, ut, sicut vos iura vestra aeque contra nos atque contra alios tuemini, quo nos non offendimur propter communem aequitatem; ita ne vos quoque offendamini, si nos 1564. jul. 10.

etiam nostra tueri non intermittimus. Quaecunque autem in his fieri debeant, si non vultis nobis cedere, quod fortasse esset vobis consultius, ne cum omnibus deinceps futuris Episcopis litigetis; at saltem agatis, quae acturi sitis, citra strepitum et turbulentum motum. Praesertim quum illud ipsum nos agimus, quod in hoc antecessores quoque nostri ferme omnes egerunt, incipiendo ab ipso Ladislao Hederwary, immediato successore Petri de Rozgon, praefatae Praepositurae institutoris. Dolentes fortasse, non admodum rite ademptum sibi fuisse jus patronatus Archidiaconatus Zempliniensis, et in alios collatum. Super quo quia plura intervenient, si res judicio transigetur, non est nunc opus pluribus, vosque in Domino bene valere cupimus. Ex oppido nostro Waralya sub Znio arce Turocense 10. Julii 1564.

Antonius Verancius,
Episcopus Agriensis, Comes
perpetuus Comitatuum
Hewes et Borsod etc.

XXXIV.

Palásthy Márton tisztjének Verancsics Antal.

Ad Martinum Palasthy officialem de Sellye.

1564. jul. 10. Scis, quod decreverimus adhuc istic existentes, idque una tecum, ut Benedictum Pograny servitorem nostrum, praesentium exhibitorem, teneamus apud Magnificum dominum Capitaneum Dersffy Nitriae no-

mine continui, ea pecunia, quae ex contributione bonorum nostrorum Sellye, Pered, Kyralfalwa et Hozzufalwa ad hoc facta. Ideo committimus tibi, ut statim visis praesentibus cognoscas portas omnes, quae censum pendent Suae Maiestati, et ex eis collecta contributione memorata, connumeres eam per tres florenos ad singulos equites, desque illam ipsi Benedicto Pograny ratione trium equitum, in quibus serviet, atque expedias eum ad Magnificum dominum Capitaneum, nosque edoceas per litteras, quod ipsum expediveris, quantam quoque pecuniam, et ad quot menses illi dederis, ut nos etiam eius rei memoriam habeamus. Nec secus in hoc et tu, et coloni nostri faciatis, curesque, ut iidem coloni habeant ex te litteras quietationis, ne postea molestentur.

Praeterea quum nos sumus sine equo sessorio, da omnem operam, et quidem diligentissimam, ut nobis in proximis nundinis, undecunque poteris, emas duos equos sessorios pulchros, non valde magnos, nec valde parvos, sed mediocres, non gradarios, sed lepew, pulchri pili, et colli non stricti, latique et pectoris et podicis. Super autem omnia sint sani et iuvenes, edocti ad omnia, quae desiderantur in equis. Et quia iam imminet dies quoque Julii 25., cures ut statim vina habeamus in taberna. Mittas etiam ad Barathy aliquem propter nostra vina montis Sakorew, ne usum rei intermittere iudicemur. Et de hoc edocearis a colonis nostris, quomodo rem tractabis, quia non erit omnino sine utilitate. Vale. Ex oppido nostro Warallya sub Znio arce Turocense 10. Julii 1564.

XXXV.

Plopius Dénes modrusi püspök és egri nagyprépostnak Verancsics Antal.

Ad dominum Modrusiensem.

1564. jul. 14. Habeo a Reverendissima dominatione Vestra litteras primum binas de 2. et de 5. Junii datas, ad quas hactenus non respondi, quod medicus Cassoviensis affirmantissime ad me scripserat, eandem huc venire cum Vicario meo. Atque interim profectus Posonio in hanc Praeposituram meam, dum rem familiarem partim in oppido Sellye, partim etiam hic in Turocz recognosco et constituo, coactus sum idem responsum magis differre, quo, factus ab itineratione et cura huiusmodi liberior et quietior, non tumultuanti, sed sedato animo responderim ad easdem litteras suas, quibus videbam illam adeo esse perturbatam, ut solida et fraterna responsione putarem mihi esse consolandam et confirmandam in opinione et fiducia de mea erga eam benevolentia. Quumque totus essem in hac cogitatione, et hunc hominem meum Agriam expedirem, tertias eiusdem accepi 19. Junii datas, et sic demum, quasi novo calcare ictus ad respondendum, celerius hunc ipsum hominem expedivi.

Igitur ad postremas eius initio, et necessario responsurus, ut ei molestiam, quam ex Myslensi rumore concepit, eximam, sciat et credat quam verissime, Sacram Maiestatem Caesaream dominum Nostrum clementissimum adhuc vivere, et fungi tum Regiis,

tum Caesareis suis officiis, quantum tamen aegroto, et decumbenti liceat. Mittoque Reverendissimae dominationi Vestrae litteras Eius Maiestatis ad me 28. Junii datas, et acceptas heri. Quarum subscriptio haud dubiam omnibus de vita eius fidem facile facit. Quod autem non prodit in publicum, et se lecto contineat, medicorum fit consilio ex imbecillitate, ad quam redacta est propter diuturniorem aegritudinem. Quare nihil est minus verum, quam quod de his quidam istic divulgent et circumferant.

De negotio quartarum suarum, placet plurimum secus esse, quam quidam id rei moverunt, et omnino sic mihi de hoc persuadeo, uti ipsa scribit. Palam tamen est quam late, quamque passim ubique locorum susurronum, detractorum et delatorum virus serpat.

De Vicario multis opus non est. Nunquam enim credidissem in ea humilitate et modestia locum habuisse tam ingentem ambitionem, tamque mordentes furias. Sed spero visurum brevi, quis sit Antonius Verancius, et an ipse, an ego sim Episcopus Agriensis. Debrei etiam me non fallit. Miror tamen, quod bonus senex, tantae prudentiae et iudicii, nondum perspectam habeat bonitatem et facilitatem meam plusquam paternam, et prope angelicam (absit iactantia), inter quorundam mores, qui severiori et trutina et regimine essent compescendi. Sed tumultuetur et ipse quantum velit, et seditiones moveat inter simplices. Erit tamen mihi curae, ut ab eo etiam melius cognosci possim.

Ad Romanam Maiestatem Regiam de homine illo, non consulo, ut quicunque scribat, mea maxime causa. Saepe enim fit, ut dum quospiam apud Principes deferimus, satis et per se et per suos consiliarios sapientes, ipsi nosmet ipsos apud eosdem suspectos

variis de rebus reddamus. Multa enim interdum iidem Principes ommittunt curare et dirigere, immo etiam vendicare, seu ulcisci alienis suggestionibus, ne suis commodis aliquid detrahant, quodque non facile cuncta credant. Atque id, sicuti ego novi mea aliquando, ita etiam dominationem Vestram Reverendissimam sua experientia cognovisse non dubito, ne interim, quot in locis historiarum legerimus exempla commemorem. Tantum autem ille idem cognitus est apud Eandem Maiestatem, ut novas informationes addendas illi esse non existimem; quamquam ipsa Reverendissima dominatio Vestra poterit, quod volet, facere.

De domino Bebeck hic etiam indentidem hidem ipsi recurrunt rumores, qui etiam istic, quod sit liberatus ex captivitate Turcica. Nondum tamen certos habemus authores. De communione utriusque speciei nihil intellixeram. Heri tamen scripsit quidam ad me Posonio in haec verba : Viennae VII. kalendas Julii, authore Urbano Episcopo Viennensi, nomine Papae, Imperatoris, et Regis, in templo Divi Stephani de administratione corporis et sanguinis Christi sub utraque specie omnibus petentibus proclamatum esse, cives et nobiles applausu dictitant.

Sunt etiam alii, qui id affirmant. Ego tamen nondum quicquam aliud habeo de hoc, quod certo audeam affirmare.

Brevius ad priores respondebo, postquam iam habet de Vicarii tragoedia, et tametsi ipsa nimis omnino prolixa oratione egit de suis detractoribus et de sui erga me animi sinceritate; ego tamen ut parum, aut prorsus nihil iisdem detractoribus crediderim, ita ad singula respondere, quibus tam anxie prosequuta est similes malevolorum hominum calumnias, non

arbitror esse opus. Ceterum ut etiam ex breviore responso sincerius habeat de mea et firma et vetere erga se benevolentia testimonium, sciat, nec Adamum, nec Zabonem, nec Domitium, nec Jacobum reos fuisse huiusmodi delationis; Zilwa autem etiam amplo encomio eandem mihi laudavit, quod nimirum acerrime res, et dignitatem, et iura mea ubique non solum publice, sed etiam privatim tutaretur, et promoveret. Et licet nemo est mihi de his nominandus, qui in disquirendis et diiudicandis alienis negotiis, actionibus, sermonibus, unam duntaxat habeant in vita curam; ii tamen potissimum disperserunt talia, qui fuerint maiores Adamo, Zabone, Domitio, Jacobo et Zilwa; quum interim hic etiam non desunt aurium mearum verberones, qui deblaterant Italorum consilia statum meum labefactasse. Videat igitur, quibuscum conversandum est, si ii maxime traducant nos quibus maxime credimus, et maxime nobis coniungimus. Super quo quid responderim, dicere modo nihil attinet. Salvato tamen Reverendissimae dominationis Vestrae erga me et in meis rebus fidelissimo officio et constanti studio, aliis rationibus ora eorum obstruxi, non tamen usque ad silentium; quum necesse sit etiam fatorum necessitate, ut qui maligne vitam agunt, nunquam etiam desinant vexare bonos, ut ipsi quoque moleste vivant. Iis tamen Dominus Deus male faciat et in hac et in alia vita, Vestra vero Reverendissima dominatio de me et de animo erga se meo omnia illa polliceatur sibi, non solum quae ex me audit, sed etiam ea, quae ipsamet desiderat. Nec de litteris, quas ei proxime scripseram paulo duriores, aliud existimet et iudicet, quam quod fuerint conciliatrices maioris et certioris nostrae mutuae necessitudinis, ex rationibus, quibus uterque no-

strum conatus est probare, quanta sinceritate et veritate mutuo complectamur. Et quia etiam (quod ultro fateor) plane videam, quam habeat dignitatem et honorem meum istic commendatum, eam illi spem facio de mea gratitudine, quae suo tempore etiam existimationi eius afferet aliquid in Ecclesia mea, quo et dominatio Vestra Reverendissima, et multi alii intelligent, vinci me officiis et amicitiae studiis non facile pati.

De particulari statu Ecclesiae meae et de Lectoris casu, quod scribit; habet et Ecclesia, et Lector noster, quod a me desideret. Sed et Lectori expectanda est sua opportunitas, et ad Ecclesiam meam prius ipse redire nequeo, quam et per valetudinem Caesareae Maiestatis mihi liceat, et cognitio decretorum Regni transigatur, cui totum Consilium et omnium Ordinum peculiares personae debebunt interesse, uti ex his litteris Maiestatis Suae Caesareae ad me datis perspiciet. Alioqui nihil magis ego cupio, quam ut ipsam meam Ecclesiam revisam. Sed videt retinacula mihi etiam maxime molesta.

Quod se Reverendissima dominatio Vestra tam fortiter et merito opposuerit licentiae et insolentiae istorum militum, qui Thihemirium iterum repetabant, non possum nisi maxime laudare; rogoque, ut aeque etiam in aliis intemperiis eorum conetur sese opponere, si quas denuo moliri vellent. Et necesse est, ut imperitorum temeritas peritorum authoritate et iudicio reprimatur. Maxime ubi vulgus assumit cornua, et usurpat sibi, quod ad se non pertinet.

De Canonicis scirem, quod ait. Sed si hoc tempore Augustinos, Ambrosios, Cyprianos, Platonesque et Aristoteles habere non possimus, hos habendos

esse existimo, quos possumus. Unde ad Michaelem Sisianum, si etiam Fabianum habere poterimus, probarem, neque committam moram in mittendis litteris. Sed videat, ne ludamus in eo operam sicuti antea. Propterea Reverendissima dominatio Vestra perficiat cum eo, ut ordines accipiat, et fidem faciat, quod residebit, et nostrae Ecclesiae serviet. De nepote domini Illicini satis adhuc est temporis. Lucam et succentorem dudum tradidi Reverendissimae dominationis Vestrae pectini, sed vereor quod annosas pectet arbores. Alteri enim nihil unquam potest esse satis; alteri si impune concedetur, quoties vult, ut ex manica bibat, etiam id multum erit, quod habet. Igitur dominatio Vestra Reverendissima utrumque expoliat dolabris, quibus volet, licebit; dummodo excolat vel saltem ad id, quod etiam mediocriter in eis velimus.

De rebus Romanis nec mihi, nec Pasqualino admodum multa sunt. Et saltem hoc nuper intellexi a domino Illicino, scriptum ei fuisse ex Italia, Consistorium Sanctitatem Suam proxime habuisse de iis, qui per omnia Regna essent et haberentur viri idonei et digni apice Cardinalitio, quodque inter alios Reverendus dominus Dolphinus, et dominus Zagrabiensis fuissent nominati. Quicquid tamen cognovero, imposterum scribam.

Quod vero istic iam non multum de meo Agriam reditu creditur, praecipue ob vina vendita, et quod minus prudenter eadem vina venui sint exposita, quae secretius divendi poterant; mirarer de his, si et Agrienses spiritus ignorarem, et illa vina non mea, sed aliorum fuissent. Verum cum et reditus meus situs est in mea potestate, et quae istic habeam non furto acquisita habeam; curet eiusmodi populus, ut velit. A quo

quia ego non pendeo, non est cur quicquam occulte agere velim. Unde nec dominatio Vestra Reverendissima moveatur eiusmodi, quae et mores novit vulgi, et scit, quod sicut etiam de Sanctissimis Principibus varie multi consueverunt sentire et loqui, nec propterea corripiuntur febribus, aut minus quiete somnos capiunt, ita et nos, qui proxime Principibus haeremus, novum non est, si vanitate vulgi traducamur interdum et perstringamur. Ubi vero Zilwa offenditur commissione data Blasio de vendendis vinis meis, a se non a me offenditur. Nec enim illi Blasium praetuli, si quid commissionis eidem iniunxi peculiariter; nisi si sic domini pendere debeant a suis necessariis, ut quod cuique privatim etiam in aurem dixerint, cuncta cum uno communicare teneantur, nec quicquam sine suo nutu agant. In quem modum ego adhuc nemini eorundem necessariorum meorum manus dedi. Quoniam autem et ipse Zilwa habet istic quod agat meo nomine, et Blasio agendum fuit, quod iniunctum fuit; nimirum ut Agriae Zilwa sedeat, non parvae rei meae cuiusdam causa; hic vero cursitet, quod Blasius multo potest facilius, quam Zilwa; nollem omnino in huiusmodi livorem Zilwam impingere, et conari suis me accomodare opinionibus; quem etiam apud me tanti inter alios meos facio, quantum abunde sat illi esse potest.

Quod autem de Syrcz, et de aliis rebus meis egit cum domino Capitaneo, intellexi, et ei habeo gratias. Nec esset opus sic de his agi, si sit vera amicitia; sed quoniam secus nequit fieri, aggrediemur viam, de qua consuluit. Ceterum, etsi iam desieram de Vicario, tamen quia postremo in suis litteris attigit de quodam molendino, cuius causa movere calumniam mihi inten-

dit; ego etiam claudam hanc epistolam molendini huius negotio. De quo, et de quibusdem aliis, si idem Vicarius vult scire plura, provisores meos examinet. Verum si ego etiam rem magis serio aggrediar, efficiam Domino adiuvante, ut melius deinceps et se et nos cognoscet, neque contra illum sitiat rabiem, quem revereri debet. Nec plura, modo Deus Reverendissimam dominationem Vestram incolumen et felicem servet. Ex oppido nostro Warallya sub Znio arce Turocensi die 14. Julii 1564.

XXXVI.

Triumszlécsi jobbágyainak Verancsics Antal.

Ad colonos trium Zlecze.

Quae nobis scripsistis de quibusdam roboribus ad strues Reverendissimi domini Strigoniensis pertinentibus, intellexin us. Et licet nos crederemus vobis, ita sese hoc habere, ut vos scribitis; sed quia Egregius dominus Nicolaus Benyzky aliter loquitur, et plane omnia contraria, sic ut omnem in vos videatur culpam conferre velle; ambigui sumus, utrinam parti credere debeamus. Propterea ne fiat undecunque aliqua iniuria Reverendissimo domino Strigoniensi; committimus vobis harum serie strictissime, ut his litteris nostris acceptis, statim mittatis huc ad nos duos aut tres, aut quot placuerit ex vobis, cum vera et plena super hoc informatione, ut coram eodem 1564. jul. 25.

domino Nicolao hanc vestram causam loquantur, cognitaque sic huius rei veritate, sciamus tandem inire rationem, quidnam de his statuere debebimus. Ex Warallya 25. Julii 1564.

XXXVII.

Usalynak Verancsics Antal.

Ad dominum Usaly

1564. sept. 23. Egregie Domine, amice nobis honorande, salutem, et officiorum nostrorum commendationem. Quos hinc dominatio Vestra Egregia pedites armatos, et operarios cum curribus ac instrumentis servilibus postulavit per litteras, quas ad colonos nostros dedit: heri adhuc, ubi primum easdem litteras legimus, continuo strictissime iussimus, ut sine mora, et pedites et operarios expediant. Ac tametsi incommodissimo tempore illis id servitii imponitur, propter seminationem, cuius iam in dies opportunitas elabitur: nequaquam tamen voluimus, ut hoc ipsum servitium praetereant, quo celerius munitionibus arcis istius, proxima ventorum tempestate labefactatis, succurratur. Nec detractant miseri homines, serviles operas eidem isti arci impertiri, quoties usus postulabit (quod eius incolumitate omnes, qui has Regni partes incolimus, stamus); dummodo in ea non cogerentur militare; quod officium (aiunt) fuisse antea Vayvodarum naszadistarum, quibus hic propterea et sedes datae erant,

et agri cum stipendiis pecuniariis. Nunc non existentibus in hoc ipso loco pluribus huiusmodi Vayvodis quam tribus, iisque nulla solutione consueta provisis; maxime iidem coloni conqueruntur, quod in eos id oneris citra omnem (uti dicunt) aequitatem reciderit; nimirum in homines plebeios, militiae inexpertos, et solam agricolationem ac pecuniam profitentes. Sed utcunque transactum est de miseris, ferant quoad poterunt. Ad nos tamen quod attinet, volumus, ut sicut nos Reverendissimae Dominationi Suae inservimus summo studio, ita et nostri omnes non gravate serviant. Si tamen fieri poterit, ut immunes sint a militia, non a servitute, rogamus velit apud Reverendissimum dominum nostrum communem curare, ut aliquid huiusmodi levamenti consequantur. Alioqui et de nobis, et de nostris, quicquid fieri voluerit, semper illud fiet, quod volet et mandabit. Quoniam autem iam cum colonis nostris transegimus, ut ad intermissa officia Praepositi sui revertantur, et cedant libertati, quam urgebant, indebite et datam et usurpatam; Egregia dominatio Vestra quum imposterum requiret abhinc servitia, aut aliquid aliud, scribet ad officialem nostrum, qui Reverendissimo domino nostro aeque parebit, atque nos, quoniam sic ei est mandatum. Deus eandem incolumem conservet, et utatur nostra amicitia. Ex Sellye 27. Septembris 1564.

XXXVIII.

Domitius Jeromosnak Verancsics Antal.

Ad Hieronymum Domitium.

1561. sept. 29. Hic homo tuus appulit ad me die 26. huius mensis, per quem quaecunque scripsisti, intellexi. Et optime fecisti, quod me mature edocueris de violenta et indebita occupatione domus ac rerum magistri Orossy iam defuncti; subito enim expedivi ad Caesaream Maiestatem, et gessi curam, ut huiusmodi eius actibus potentiariis authoritate Caesarea occurratur. Indeque quicquid responsi habuero, citra moram et tibi, et Vicario meo significari curabo; interim eodem domino Magochy commonito, ut hoc me et fratres meos amicitiae genere non prosequatur, velitque tam domum, quam res omnes interceptas in integrum restituere, et eas domini Vicarii ac caeterorum meorum tradere potestati; quum id officii in instructione sua non habet sibi praescriptum, quin potius mandatum est ei, ut ab hac jurisdictione rerum ecclesiasticarum omnino abstineat, et in ea tam me, quam fratres meos tueatur atque defendat.

De captivis quod urget, laudo tuam sollicitudinem; et iam quid fieri velim, binis te litteris eiusdem exempli edocui, quarum alteras Egregio Francisco Paztohy, alteras Martino sartori meo dederam. Nec dubito dudum te utrasque recepisse. Sed quod ad ea videtur restans, esque mihi affatim instruendus, ne

quid poenitudinis incurramus, si prius, quod agendum est nobis, certo consilio cauti et firmis rationibus non transigemus, procul habita omni praecipitatione, eaque potissimum imprudentiae, et quae lenitati nostrae postea obiici posset, facta iactura. Igitur, si quod est periculum in mora (uti scribis); ad eam voluntatem meam, quam ex proximis litteris meis cognovisti, hoc unicum addo; ut si duo ista oppida, Jawzbrin et Zeghed, nolunt statim eam summam mihi numerare pro captivis memoratis, aliis istis in locis eorum nomine sponsoribus acceptis, quo ipsi a fortunae casu pependissent, non nos, sed in eo sunt, ut haec pecunia depositio eorum sponsione et fideiussione mihi differatur, poterit et hoc fieri; sed hoc modo et hac ratione, ut eadem oppida mittant huc ed me Waralliam Turoczium quatuor aut sex viros ex potioribus, cum pleno mandato fideiubendi et spondendi mihi pro memorata summa coram authenticis personis, et in publico ad constitutum tempus deponenda. Idque cum cautione huiusmodi, quod si forte illi non deponerent, liceret mihi in posterum omnes eos eorum cives, cum rebus et bonis suis arestare et arestari facere, ubicunque meis hominibus opportune occurrissent; ibique tamdiu in potestate mea detinere, donec integre contentum reddere curassent. Animadverte tamen, ut priorem modum initio urgeas, hoc interim presso silentio; ubi vero ille succedere nequivisset, ad hunc devenias, edoctisque dictis civibus de tota eius serie, accipias ab eisdem consensum, et moneas, ut huc ad me veniant cum pleno mandato, uti iam dixi superius. Nec aliud istic de hoc facias, quoniam hic rem omnem vellem concludi; quod res est nobis non de parvo, neque de summa pecunia comtemnenda. Hoc tamen interim

vincti sint captivi, nec ulla ratione emittantur ad conclusionem negotii.

De miseriis tuis frustra quereris, postquam tibi Deus non parca manu dedit, quo miseriam facile reiicere possis, si agnoscis, quod habes. Ceterum scire debes, nullum vitae genus carere suis molestiis; illa tamen levius ferri debent, quae veniunt cum opibus, et cum facultate illas contemnendi et superandi. Unde ne illud quoque moleste feras, quod stans cum Petro extra atrium, calefaciebas te ad prunas, postquam habeas beneficio Dei, quo te ipsum commode in tuo calefacere possis. De Reverendissimo domino Modrussiense placet; et si venturus est, uti scribis vocatus, vellem, curares mecum constitui ante quam promoveat Viennam. Vale, et sine intermissione, de captivorum negotio quae agitabitis, me edoceas. Vale. Ex Sellye 29. Septembris 1564.

XXXIX.

Znio váralja lakosainak Verancsics Antal.

Ad oppidanos Varallienses.

1564. sept 29 Abunde intelleximus querimonias vestras contra Mathiam de Chaktornya, capellanum et substitutum officialem nostrum istic pro tempore. Qui quicquid in vos commiserit, indebite, male, et contra nostram voluntatem fecit; quum nullo pacto volumus, vos ab hominibus nostris indebite et inhumaniter tractari. Et

quum Deo volente brevi nos etiam istuc veniemus, conquiescite interim. Quia nos id controversiae vestrae cognoscemus, et aequitatem neutri parti denegabimus. Quandoquidem, ut subditos nostros in officio permanere volumus; ita etiam nolumus, ut officiales nostri suum excedant. Verum significandum vobis per praesentes nostras duximus, hos Sellyenses oppidanos nostros desiisse urgere eam libertatem, quam ab Uriele, olim Praeposito, acceperant, et subdidisse se nostris iuribus, coepisseque etiam veteribus officiis simul ac servitiis nos agnoscere, iuxta et aequitatem publicam Regni, et Sacratissimae Maiestatis, domini nostri clementissimi, mandatum, super hoc ipsum nunc recens impetratum. Quod vobis etiam loquitur. Quare hortamur vos paterne, uti iam dudum facimus, velitis etiam vos deliberare tandem, et id ipsum facere aggredi; ne cum maiori vestro incommodo, et cum nostra displicentia, coacti postea faciatis. Quia quod nostrum est, nemo vobis potuit dare, nisi quamdiu is idem praefuit vobis, a quo id iuris habuistis; meo tamen salvo, qui sum eius successor. Hoc sciatis, et bene valeatis. Ex Sellye 29. Septembris 1564.

XL.

Piopius Dénes modrusi püspöknek Verancsics Antal.

Ad dominum Modrussiensem pro exemplo.

Ad binas litteras Reverendissimae dominationis 1564. oct. 10.
Vestrae, quas 17. et 28. Septembris dedit, respondeo.

Porro ubi gessit curam, quo de rebus Benedicti Orossi Archidiaconi et Canonici mei nunc defuncti, pacifice cum domino Magochy transigeretur, bene quidem fecit. Sed quonam pacto idem debeat sese gerere mecum, cum Capitulo meo, et circa iura mea ecclesiastica, dudum ei in instructione sua a Caesarea Maiestate praescriptum et mandatum est; unde si nobiscum sinceriter, amice et pro aequitate, citra vim, atque iniurias, velit agere, auscultet Principibus, et ex eadem instructione sua discat, neque trahat identidem in controversiam, de quo dudum est satis clare modus, ordo et ratio instituta.

In eadem igitur instructione eius, ac in transactione mea, non est, ut ei liceat haereditates ecclesiasticorum hominum arestare et intercipere fisco nomine Principum; inhibitus etiam ibidem est ab usurpatione quartarum altarium et parochiarum, quae sunt mei juris patronatus, nec sequuntur proventus episcopales, de quibus solis transactum est; similiter de vineis, quae coluntur meo nomine, in eadem ipsa instructione eius expressum est appertissimis verbis, nimirum ut si aliquam ego obtinerem, quae ad Episcopatum peculiariter pertineret, ea ego carerem, et ipsius Episcopatus proventibus relinqueretur. Sed quum hactenus Episcopatus Agriensis nullam huiusmodi peculiarem vineam habuerit, aequum est, ut has, quae coluntur, mihi dominus Magochy non attingat. Mandatum quoque illi est proxime, ut, si pagus Syrez non est de corpore bonorum episcopalium, abstineat ab eo sese dominus Magochy, et illum mihi cedat; cuius ratio quomodo habeatur, Reverendissima dominatio Vestra optime novit; quam, ut illi edisserat, operae pretium erit.

Jubetur quoque in eadem ipsa instructione sua satis rigide, ut omnino se non ingerat in officia Episcopi; sed curet duntaxat militaria, et quae spectant ad custodiam arcis; unde manifeste constat, non eius esse muneris, neque studii, constituendorum parochorum et praedicatorum per Episcopatum meum, nisi si loca et hospitia velimus in eo dare haereticis, quibus ipse iam et arcem istam afflictissimam fecerit perviam et familiarem. Idque etiam contra eiusdem instructionis suae et transactionis meae vigorem, sic ut non possit dicere, falsis me querimoniis de huiusmodi excessibus eius sollicitasse Caesaream Maiestatem. Quae quidem non solum Agriae, sed toti Regno manifesta sunt, perscribunturque ad me, non ab iis de quibus ipse suspicatur, sed certe ab iis, quos habet proximos, et a quibus nihil metuat, quique etiam publice audent obloqui mihi, et iniuriis me afficere, ut statui et rebus suis consulant. De quo, ut ego non doleo, ita et Reverendissima dominatio Vestra id sciat sola, parcatque bonis viris a periculo; quia tales, tametsi sint Nicodemi, conservandi tamen sunt, etiamsi nos in occulto ament, dum ament, et studeant nostris rebus vel solis animis.

At Magnificus dominus Magochy estne immunis ab his, de quibus ego conqueror, Reverendissima dominatio Vestra ex his intelligat, quae sunt illi quotidie in oculis, mihi vero in auribus; nec propterea falsa esse dici debent, quia non sunt visa, quodque auditus saepenumero falli soleat. Verum cum ultra aedes meas, et quartas, et vina, et dolia vacua, et triticum, et foenum, et pecora, et quicquid demum istic in victualibus habui, sibi usurpaverit; homo amicus, de quo tanta mihi, meaeque Ecclesiae, et fratribus

meis pollicebar, praeteritis quorumdam virorum magna necessitudine mihi coniunctorum personis, quos competitores habebat istius officii, omnibus illum praetuli, etiam tot de illo apud utrumque Caesarem dictis laudibus, quot adhuc de nullo homine feci tanta diligentia, nec tanto studio, aliis officiis meis in eum collatis, in aliud tempus ad commemorandum dilatis; quaeso, frater mi, quid excusationum possit in medium afferre, ut sit satis excusatus, suamque erga me, quum amicitiam tum etiam gratitudinem merito commendare et comprobare valeat?

Sed ne omnia intentata relinquamus, Reverendissima dominatio Vestra petat, ut ei eandem instructionem suam producat, totumque contextum eius conferat cum querimoniis meis; postea videat et iudicet, an falso fuerim conquestus; tandem rebus bene omnibus cognitis et excussis, ac etiam ob oculos ei propositis, experiatur, si induci poterit, ut aequi rem habeamus; si minus, sciat, me cum illo non pugnaturum, acturum tamen cum Caesarea Maiestate, a qua omnes pendemus cum transactionibus et instructionibus nostris, praesertim qui illi obedientes simus.

Nihilominus dominus Magochy non debet indignari, quod questus de illo fuerim; qua quidem querimonia ipse potius excusatur, gravanturque domini Commissarii, quorum mandato coactus fuerit eiusmodi in me committere. Et meminerit, quoties dixerit hominibus meis, et scripserit etiam mihi, se non usurpasse mea, imo ne transactionem quoque meam servare omisisse motu suo proprio, et sua causa, sed commissione eorundem dominorum Commissariorum; verum si illi vel unicum mandatum a suis Maiestatibus dari curavissem, subito eo mandato lecto de omnibus

ita mihi responsurus esset, ut in posterum tam de restitutione ablatorum, quam de observatione transactionis nullam conquerendi causam essem habiturus. Ideo si revera amicus est nobis, verbo suo stet, parte sua contentetur, et sit nobiscum in bona amicitia, concordia, charitate. Quia si scivissim haec mihi, imo nobis de eo eventura, profecto alius Agriae praesideret. Sed iacta est alea; fieri tamen consuevit, ut qui hospites aegrius, molestiori animo, vultuque minus lepido excipiunt interdum, eosdem postea melius habent. Utinam sic et de domino Magochy videamus. Quod si citra strepitum poterit confieri, gratum erit; si vero nequiverit, certum est, non defuturum me mihi. Verum ubi de inventario rerum Orossij meminit, quod accepi a Jacobo; credat, me non esse sollicitum de bonis Orossij, ut qui haereditates fratrum decedentium ex hac vita nunquam captaverim; sed de incolumitate jurisdictionis et juris patronatus mei, immunitatumque Ecclesiae meae. Ideo Reverendissima dominatio Vestra curet adhuc tentandum, si commode poterit de his transigere, et ab eodem domino Magochy responsum serium obtinere. Neque sileat, rogo; quia plerumque tacentes et suffugientes succumbunt, fiantque praeda hostibus. Unde si dominus Magochy nullo pacto voluerit redire nobiscum ad officium suum, qui tantopere nostro honoratur; significet mature, ut ego etiam magis serio incipiam succurrere nostris rebus, et statui nostrae Ecclesiae.

Perinde, ut ad illud quoque domino Magochy aliquid respondeam iocose, ut iocose ab eo est propositum; in quo de concionatore suo agit, et dicit, ut potius velim tres Comitatus ultra Tibiscum amissos recuperandos curare, quam dolere, domum illi in op-

pido meo Agriensi datam esse me invito. Haec admonitio bona est, et concernit omnes Regni Ordines, qui patriam salvam velint. Sciat tamen dominus Magochy, quod plura in Regno Hungariae hoc nostro et suo aevo laici homines, quam ecclesiastici amiserunt. Ceterum eosdem Comitatus illi recuperent, qui perdiderunt. Nec in me id reiiciat molis per scomma. Verum si ego, qui sum sacerdos, expeditioni illi praefuissem, nequaquam sane tam cum parvo milite tanta tentavissem, fuissemque obviam tam numeroso militi; neque Zathmariense municipium, quo tota ditio Maiestatis Caesareae ultra Tibiscum stabat, rusticis tenendum commisissem, educto ex eo militari praesidio. Sed sic Deus castigat homines, qui suis serviunt cupiditatibus, nec parcunt miseris populis eius.

De tribus autem Comitatibus non attigit eorum numerum; quia si mature illic amissa non recuperabuntur, et patiemur rem et dominium Joannis filii ad Tibiscum usque promoveri, supra XIII amittemus. Utinam postea non ea etiam trahantur in periculum, quae sunt nobis cis Tibiscum; de quibus ego quam saepe et scripsi, et loquutus sum, imo etiam prope declamavi, summa fide studens rebus Sacrorum nostrorum Principum. Sed si ea non sunt in consideratione habita, utique muneri et fidelitati meae satisfeci. Nec de his plura modo, ea tantummodo referet domino Magochy, eumque dominum nomine meo salutabit.

Quod vero attinet ad reliqua; de meo reditu et de congressu nostro habuit iam ex proximis litteris meis. Audio quoque, quod ad 25. diem mensis huius funus Caesareae Maiestatis Viennae in Sancto Stephano celebrabitur; deinde corpus Pragam transfere-

tur. Cum quo aiunt Caesaream quoque Maiestatem Maximiliani, domini nostri clementissimi, abituram. Prius tamen audientur Oratores Veneti, qui in dies centum nobilium patricii ordinis equitatu comitati expectantur; eorumque alter condolebit Suae Maiestati de paterno obitu, alter vero gratulabitur de promotione eiusdem ad Imperium. De Turcis taceo; quoniam de illis, et quae nos hic, et plura istic etiam vos auditis. Ea tamen, quae nos habemus, plena sunt metus et moeroris. Faxit dominus Deus, ut eos conciliari possimus ad pacem. Quod autem habeo ex Italia, cognoscit ex inclusa scheda. Res sane horribilis, quae dicetur totum orbem terruisse, ut ostentum mirificum, et irae Dei argumentum manifestum; quo utinam ubique, maxime vero istic redeant multi ad poenitentiam; idque non exemplo suo, sed alieno, quicunque sapere et cauti esse voluerint. Reverendissima autem dominatio Vestra quod convaluerit, admodum laetor, hortorque et eandem, ut curare velit, quo etiam confirmetur, et non moriatur prius, quam aetatis reliquae aliquot lustra nobiscum felicius in vita exigat, ac diu incolumis vivat. Ex Turocz X. Octobris M. D. LXIIII.

XLI.

Maximilián királynak négy királyi tanácsos, kik közt Verancsics Antal.

Opinio quatuor Consiliariorum Hungariae,

1565. kezdetén. Sacra Maiestas Caesarea et Domine, domine clementissime. Articulos conditionum pacis cum Duce Transsilvano initae, quos Sacra Maiestas Vestra nobis quatuor fidelibus suis Consiliariis seorsim pro declaranda in illis opinione nostra revidendos dedit, revidimus; de quibus haec, quae sequuntur, nobis humillime videntur.

Secundus articulus, qui continet; quod Transsilvanus et sui successores Transilvaniam a Maiestate Vestra Sacra et futuris Hungariae Regibus recognoscent, tanquam obedientes et subiecti Coronae Principes, fidelitatis etiam et subiectionis iuramentum praestando, nobis per omnia tanquam bene et pro rei exigentia conclusus probatur. Illud quoque, quod in omnibus Regni necessitatibus pro eiusdem defensione Sacrae Maiestati Vestrae assistet, utque viceversa Maiestas quoque Vestra et eiusdem successores ipsi Transsilvano et provinciae illi, tanquam Regni membro defensione atque protectione assint, summe necessarium esse videtur. Ille enim si a Turca invaderetur, ad resistendum ei propriis viribus non est sufficiens; si vero, quod Deus avertat, contingeret illum cum Transsilvania periclitari et perire, idem periculum Hungariae quoque Regnum maneret;

quandoquidem pereunte Transsilvania Hungaria quoque in periculoso admodum statu esset futura.

Sextus quoque articulus nobis per omnia probatur.

Septimus etiam placet tanquam valde necessarius. Sed quum istae pacis conclusiones debeant esse secretae, ne perveniant ad notitiam Turcae; non videmus, qua ratione possint in occulto esse, si cum Statibus et Ordinibus Transsilvaniae ratificationis et approbationis causa erunt communicandi. Admonendus itaque hac in parte Dux erit, ut cum de suo agatur periculo, caute valde agat, et fortasse novit ille modum, quo hoc totum negotium secrete perficiat. Hoc unum tamen isto in articulo mutandum, si fieri posset, videretur; quod, ubi positum est, quod Transsilvani recognoscant Sacram Maiestatem Vestram et eius successores Hungariae Reges pro superiore domino et capite in Hungaria, loco superioris domini et capitis poneretur, quod pro Rege Maiestatem Vestram Sacram et eius successores recognoscent. Tutius enim hoc videtur, ne quis cum tempore circa vocabula illa cavillari queat.

Octavus totus videtur.

Nonus quoque de collatione bonorum et judiciis, postquam semel est concessus et mutari non posse videtur, placet. Nisi quod addendum videretur, ne bona ecclesiastica, quae in Transsilvania ipsa diversa et non parva sunt, ac ad aliqua millia colonorum sese extendunt, Dux ipse aliquibus perpetuo iure donet. Bonum etiam videretur, si fieri posset, ut quemadmodum ab antiquo semper appellationes in judiciis ex Transsilvania factae sunt ad Superiorem Sedem Judiciariam Sacrae Maiestatis Vestrae, id nunc

et deinceps quoque fieret. Multum enim momenti hoc afferet ad id, ut Transsilvani a Maiestate Vestra Sacra tanquam Rege Hungariae pendere sese agnoscant. Si tamen fieri non posset, curandum omnino nostra opinione videretur, ut id saltem in Comitatu Bihoriensi, qui extra Transsilvaniam est, observaretur, atque ut bonorum quoque collatio in hoc Comitatu vacantium soli Sacrae Maiestati Vestrae et eius successoribus Regibus Hungariae reservaretur.

Postremo, ubi Stephanus Bathori in propositione Maiestati Vestrae Sacrae oblata petit, ut tractatus istius pacificationis ab Ordinibus quoque Sacrae Maiestatis Vestrae confirmentur; iustum quidem hoc videretur, quum id idem futurum sit ex parte Statuum Transsilvaniae; sed cum id secreto fieri nequeat, summopere verendum est nostro iudicio, ne tota isthaec res palam fiat Imperatori Turcarum, eoque facto nihil de generali cum illo pace sequatur, et Transsilvanus quoque ipse grande subeat periculum. Declarandum itaque hoc oratori ipsius videretur et respondendum, quod cum et alioquin in articulis ipsius pacificationis de hac confirmatione Ordinum Regni nulla sit facta mentio, Maiestati Vestrae Sacrae videri, hanc confirmationem esse differendam in aliud magis idoneum tempus, quo postea Maiestas Vestra Sacra curatura sit, ut ille hac quoque in parte securus esse possit. Vel si adhuc instare pergeret, Maiestas Vestra Sacra ab ipso modum quaerat, quomodo et apud Transsilvanos et Hungariae Status, casu quo confirmatio ista iam nunc fieri debeat, articuli conclusae huius pacis manere possint secreti. Ubi vero nomine domini sui id quoque petit, ut Maiestas Vestra Sacra sese fidei vinculo astringat, de ferendo

necessitatis tempore auxilio, quo ingruentes hostes depellere, et sua tempestive tueri queat, id quoque iustum nobis videtur, tanquam et alioquin in ipsis articulis conditionum pacis comprehensum. Quod vero in fine addit, dominum suum fore contentum sola Transsilvania, modis et conditionibus iam antea per Maiestatem Vestram Sacram oratori Regis Poloniae datis, de his conditionibus, quales sint, nihil nobis constat.

Hoc quoque minime praetereundum duximus, ut restitutioni arcium Mwnkach et Hwzth certus dies, et is quo brevior fieri posset, praefigeretur; quicquid enim caret termino, vadit in infinitum.

Et haec sunt, domine clementissime, quae nobis quatuor in praemissis humillime videntur, quae omnia quidem pro Sacrae Maiestatis Vestrae mandato curabimus, ut teneantur per nos secreta, nec a nobis quoquam emanent.

Eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae

fideles et humiles
Capellani et servitores
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Transsilvanus mp.
Franciscus Batthianj mp.

XLII.

Maximilián királynak magyar tanácsosai, kik közt Verancsics Antal.

Opinio Consiliariorum Hungarorum hic nunc praesentium.

1565. mart. 25. Sacra Maiestas Caesarea et Domine, domine clementissime. Postquam exempla litterarum, quae nunc postremo Edouardus tulit, perlegimus; animadvertimus, summam negotiorum in hoc fere verti, quod Imperator Turcarum ita demum ratam habere et servare velit pacem cum quondam Sacra Maiestate Caesarea piae memoriae, domino nostro clementissimo, initam, si Maiestas Vestra Sacra exercitum suum reducat, et receptis, uno tantum Rivulo Dominarum excepto, iis quae filius quondam Regis Joannis hoc proxime elapso authumno iniuste occuparat, reliqua omnia, quae sub hac Sacrae Maiestatis Vestrae expeditione in manus eiusdem devenere, restituat.

Difficilis itaque huius rei videtur consultatio in utramque partem. Nam ut occupata restituantur, consulere non possumus propterea; quod iuste videantur occupata, et Maiestas Vestra Sacra religiose prohibeatur, ut aliquid ditionis ipsa sponte in manus infidelium tradat. Idem enim esse arbitramur, dum filio Regis Joannis aliquid conceditur, ac si Thurcis, qui omnia illius sua esse profitentur, concederetur. Si vero non restituuntur, pro pace in promptu videtur esse bellum, uti ex litteris Principis ipsius Thurcarum ad Michaelem Chernowyth datis manifeste apparet. Quia tamen Imperator ipse Thurcharum responsum a Sacra Maiestate Vestra expectat, responderi

ei posse in hanc sententiam videretur. Quod scilicet Magnitudo illius certa sit, Maiestatem Vestram Sacram a toto eo tempore, quo statim defuncta olim Maiestate Caesarea, domino genitore suo colendissimo, de pace cum ipso tractare coepit, omni conatu atque diligentia curasse, ut ex sua et subditorum suorum parte pax ipsa synceriter citraque violentiam servaretur, prouti etiam servata fuerit; ita ut neminem suorum iuste in contrarium conqueri posse arbitretur. In hoc proposito atque voluntate Maiestatem Vestram Sacram adhuc constanter persistere; si ex parte ipsius et suorum pax similiter servetur. Quia tamen Maiestas Vestra Sacra intelligat ex iis, quae Nuncii Maiestatis Vestrae ex itinere, quo iam in reditu erant, revocati scripserunt, Magnitudinem Suam arbitrari, pacem ipsam expeditione proxima contra Transsilvanum facta esse laesam; sciat eius expeditionis magnam et iustam sibi causam a Transsilvano esse datam. Non eo tamen animo copias Maiestatis Vestrae expeditas fuisse, ut pax ista rumperetur; sed ut manifesta vis atque iniuriae, quas Transsilvanus contra pacis foedera et inducias, sibi a Maiestate Vestra Sacra seorsim etiam concessas, intulit, propellerentur. Nam dum Sacra Maiestas Vestra servandae firmiter paci studuit; dum munera honoraria ad ipsum dimittit, et in obitu Serenissimi, colendissimique parentis sui, luctu et moerore plena, nihil minus cogitat, quam ut bellum et turbas aliquas concitaret; ille non valens quiescere, tumultuarium militem subito congregavit, primoque omnium oppidum Zathmar ex insperato invaserit atque occuparit; inde adductis secum ex Transsilvania pluribus gentibus, vocatoque in auxilium suum Passa Themessiensi, cum sex milli-

bus, ut fertur, Thurcarum ulterius sit progressus, non paucas arces, castella et fortalicia invaserit ac expugnarit, eorumque nonnulla praesidio firmarit, nonnula vero funditus everterit, sequente illum ubique Passa Themessiensi cum Magnitudinis Suae militibus Thurcis, qui nonnula etiam fortalicia cum militibus Transsilvanis mixtim et indifferenter oppugnarint. Quod utique fieri non decuisset pro foederis pacto, quo pax ex parte Magnitudinis quoque Suae, et Praefectorum militumque suorum firmiter observari, neque Transsilvanus ipse in temerariis illis ausis suis iuvari debuisset.

Quare fieri aliud non potuisse, quam ut Maiestas Vestra violentis et iniustis illius coeptis pari ratione contraveniret, pace tamen cum Sua Magnitudine inita permanente firma et illaesa. Neque in hoc responsum Suae Magnitudinis expectari potuisse, quum ille suas violentias ita ulterius prosequi videretur, ut nisi ea interea, donec a Sua Magnitudine responsum venit, Maiestas Vestra Sacra restitisset, actum fuisset de tota illa Maiestatis Vestrae Sacrae ditione; Transsilvaniam autem ipsam nulla ex parte esse ab exercitu Sacrae Maiestatis Vestrae inpeditam, utputa quam Maiestas Vestra Sacra non ignoret a quondam felicis memoriae parente suo ipsi Transsilvano in gratiam Magnitudinis Suae esse concessam. Recuperata tantum esse ea, quae filius Regis Joannis inique ademerat, et nonnula, quae cum antea quoque semper Maiestatis Vestrae Sacrae fuerint, perfidia tamen et improbitate nonnullorum suorum non ita pridem a se abalienata erant. Quae cum ita peracta essent, et interea supervenissent litterae Nunciorum quoque, qui munus honorarium detulerant, cum significatione eo-

rum, quae Magnitudo illius Maiestati Vestrae Sacrae nunciari iussit, Maiestatem Vestram, ut se pacis initae observantem hac quoque in re declararet, exercitum suum ab ulteriori progressu continuisse, mandasseque illi, ut ab armis abstineant, et quieti degant; sicuti etiam hoc Maiestatis Vestrae Sacrae mandato accepto quiescant. Cupere itaque, et paratam esse Maiestatem Vestram Sacram, pacem cum quondam domino genitore suo initam servare, postulareque vicissim, ut Magnitudo quoque Sua illam servet, eamque servandam suis committat, neque credat eam hactenus quoque a Maiestate Vestra Sacra ulla in re violatam esse, quando eorum, quae contra filium Regis Joannis acta sunt, iustam causam et aequas rationes iam intellexit.

Ceterum quoniam ex litteris Oratoris Alberti de Wyss animadvertimus, quod Imperator Thurcarum allegat, sibi per occupationem eorum, quae extra Transsilvaniam sunt, aliquid ex tributo decedere, quod filius Regis Joannis illi pendit; Dominus vero Agriensis asserit eo temporn, quo ipse legatione in Thurcia fungeretur, cum Principe Thurcarum ita conclusum fuisse, ut relicta filio Regis Joannis sola Transsilvania, pro omnibus illis, quae extra Transsilvaniam sunt, ac cis et ultra Danubium adiacent quae scilicet in potestate Maiestatis Vestrae Sacrae essent (sicut etiam tunc temporis quondam Maiestas Caesarea omnibus illis potiebatur) triginta millia ducatorum singulis annis numerarentur; allegantibus hoc forte deinceps Thurcis, transactionem istam per Oratorem Sacrae Maiestatis Vestrae e contra allegari posse putaremus. Per litteras autem illas, quas Sacra Maiestas Vestra ad Principem Thurcarum modo praemisso, si id Maiestati Vestrae Sacrae videbitur,

datura est, si nihil aliud efficietur, tempus tamen aliquod interea, donec illae perferantur, et responsum veniat, extrahetur, et interea sciet sese Maiestas Vestra Sacra rebus suis pro tempore et occasione accomodare.

Porro pro ea, quae post adventum Edouardi, domini Andreas de Bathor et Lazarus de Schwendy ad Sacram Maiestatem Vestram, de tractatibus et articulis inter ipsos et Oratores filii quondam Regis Joannis conclusis scripseruut, non aliud in praesentiarum videtur magis necessarium, quam ut Oratores ipsius Transsilvani, qui iuxta factam conclusionem huc ad Maiestatem Vestram pro confirmatione articulorum, et tractandis aliis rebus ad illos spectantibus expediri debent, quamprimum, et nulla interposita mora venirent. Verendum enim est, ne, si tardent, sub ea mora aliquid evenire possit, quod conclusam istam pacem interturbet. Nam pax et concordia ista Thurcis, postquam ad scitum illorum pervenerit, nequaquam erit grata, et certo scire non possumus, an Transsilvanus quoque in iis, quae iam inter ipsum et Maiestatem Vestram Sacram conclusa videntur, synceriter et bona fide agat, vel ad extrahendum solummodo tempus simulet.

Propterea, cum credamus Maiestatem Vestram Sacram ipsis dominis Bathory et Schwendy iam mandasse, ut, quod illos forte alioquin etiam non monitos fecisse credimus, Transsilvanum sollicite urgeant, quo, si Oratores suos nondum huc versus expedivisset, eos quamprimum expediret; scribendum ad illos adhuc ea de re videretur et committendum, ut postquam illi iam in itinere erunt, id Maiestati Vestrae Sacrae subito perscriberent, ut hoc cognito

possit Maiestas Vestra Sacra reliquos quoque suos Consiliarios ad illorum adventum mature convocare. Nam cum res sit ardua, utpote cuius finalis conclusio non solum Consilium Sacrae Maiestatis Vestrae, sed totum Regnum concernere videatur, necessario reliquos quoque Consiliarios adesse debere iudicavimus.

De Serenissima sorore Sacrae Maiestatis Vestrae, quam idem Transsilvanus in matrimonium petit; si verum est, quod fama fertur, illam scilicet alteri esse promissam, non deerit forte Maiestati Vestraé Sacrae modus, ut si ille uxorem ducere, et ea in re auxilio et promotione Maiestatis Vestrae Sacrae uti velit, alteram illi sponsam Sacra Maiestas Vestra vel ex affinibus suis, vel aliunde ordinare possit.

Postquam autem Oratores illius advenerint, tunc Maiestati Vestrae Sacrae occurrent multa ardua, quae ad huiusce pacis tractatum pertinebunt, et maturo valde, magnoque cum iudicio tractanda et consultanda erunt. De quibus postea nos Maiestatem Vestram Sacram, cum reliquis Eiusdem fidelibus Consiliariis admonere non omittemus.

In his omnibus nihil tractandum esse videretur. Nam nisi conclusis prius cum Transsilvano certo et firmo fine rebus, Imperatori Thurcarum certum ex fundamento responsum Sacra Maiestas Vestra dare non posse videtur.

Eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae

humiles atque fideles
Capellani et servitores
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Transsilvaniensis mp
Desewffy mp.

XLIII.

Verancsics Antalnak Hermolao Jeromos.

1565. nov. 28. Reverendissimo et Illustrissimo Monsignor. Ms. Pietro di Vostra Signoria fratello, ha desiderio, come mi parlo, d'havere una mia figliola per moglie, et attendeva da me risoluta risposta; pure di suo consenso havemo differito il tutto, fino che Vostra Signoria Illustrissima fosse avisata; perche senza 'l volere et gratia di quella, et del Magnifico ms. Michiele non si farà cosa alcuna. Et è ben conveniente, che havendo lui l'uno et l' altro in vece di padre, et Vostra Signoria Illustrissima per suo unico signore, et appresso honorando Io il suo gran nome et le singolarissime sue qualitadi, il tutto sia riposto al beneplacito suo. Ella dunque sara contenta à comandare quello, che far si deve intorno à questo negotio; et mi conservi nel numero degli altri suoi amorevoli servitori.

Sibenico à 28. Novembrio 1565.

Di Vostra Signoria Reverendissima et Illustrissima

servitore

Hieronimo Hermolao dottore.

Kivül: Al Reverendissimo et Illustrissimo Antonio Verancio, Vescovo Agriense, Perpetuo Conte Hevesiense et Borsodiense, Consigliero della Sacra Cesarea Maestà, mio signore osservandissimo.

XLIV.

Osius bibornoknak Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum et Illustrissimum Cardinalem Varmiensem Hosium.

Is Egregius dominus Stanislaus Ghebultowzki 1566. jan. 10.
nobilis Polonus peregrinatis Italiae, Germaniae, Galliae ac Hispaniae omnibus fere Carthusianicis monasteriis studio religionis eius ineundae, nec in ullo eorum sanctissimi huius voti sui factus compos, in patriam revertitur, magnis et sumptibus exhaustus, et laboribus fatigatus.

Cupiens autem id conatus sui apud suos iri comprobatum, ad ea testimonia, quae est ex sese habiturus, his etiam uti voluit, quae potuit obtinere ab amicis, in quibus quum etiam me ex insinuatione Reverendi domini Francisci Crassinii Canonici Craćoviensis et hic apud Caesaream Maiestatem, dominum nostrum clementissimum oratoris, fuissst assequutus, accidit, ut non solum huiusmodi animum eius cognovissem, atque essem tum voluntatis tum conatus testis; sed etiam, utut in partem huius ipsius curae, qua flagrare prope videbatur, concessissem, eumque omnibus modis iuvissem, quos putavi fore opportunos ad collocandum in monasterio Morbacensi, quod eiusdem religionis habetur in ditione civitatis huius.

Verum ut antea Illustrissimus dominus Cardinalis Delphinus diutissime in hoc negotio frustra laboravit, ita ego quoque mihil omnino effeci; idemque

dominus Stanislaus, ut non fuit a memorati monasterii Priore admissus; ita et cum iniuriis ab eodem indignissimis reiectus est. Nec attingam rei tam illaudatae causas (quum a religione pii ac devoti homines, etiam ad senectutem iam vergentes, non essent arcendi), de quibus idem plura referet dominus Stanislaus; quippe quod res mihi quidem aliae constiterunt, quam quas ab eodem intellexi.

Quia tamen in hoc ipso monasterio pecunias quoque certo numero, et diplomata quaedam (ut ait), ob subitam et praecipitem sui exturbationem reliquerit, eique sint ab eodem Priore simul eum pecuniis denegata, videtur maiore iniuriarum affectus esse cumulo, posteaquam eidem damnum etiam inferre non dubitaverit.

Quare facta fide Reverendissimae ac Illustrissimae dominationi Vestrae de eiusdem domini Stanislai sollicitudine, qua fuit sane maxima ad exsolvendum votum et propositum animi sui in hoc memorato monasterio, testibus et me et Reverendissimo Cardinale Delphino, iisdemque praecipuis etiam adiutoribus, eandem Reverendissimam dominationem Vestram summopere rogo, dignetur pro authoritate et bonitate sua virum hunc, sic mea etiam veterani servitoris sui commendatione habere apud se commendatum, ut ei et intercepta per hunc Priorem restituantur, et a suis credatur, quod per eum non defuerit, omnem movisse lapidem, ut voto suo satisfacere potuisset.

Ceterum his etiam rationibus dirigatur inposterum, ut institutum voti cursum repetendo, cura et studio non frustretur. Quandoquidem si eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae authoritatis solidiore praesidio instruetur, dubium non est, quod et

felicius perget in proposito, et facilius in optatum portum perveniet.

Ad me vero quod attinet, etsi nullis litteris meis soleam vel interdum saltem Reverendissimae dominationi Vestrae declarare, quantopere charam habeam Eius erga me benevolentiam, quam quod mea quoque erga Eundem officia nondum omnino senuisse persuasum esse Illi cupiam. Est tamen, quo hoc ipsum omissum a me negligentiae dilui, (uti puto) non inepte possit. Nimirum quod quicquid mihi tanta tot Regnorum Provinciarumque intercapedo, qua distinguimur, praesentis adimit Eius consuetudinis, id frequens, et ea certe reponit viva memoria, quam Reverendissimae dominationis Vestrae, quum privatis quibusdam causis, ut eorum solemus ex humanitate communi, quos aliquando novimus, medullitenus retineam; tum eo sane maxime, quod hic apud nos virtutes eius ita omnium animis inhaeserunt, fixereque veluti radices quasdam clasissimae suae famae ac nominis, ut non aliter absentem, quam praesentem memoria nostrum multorum colit, observat, praedicat. Atque inter hos quum ego quoque unum me non postremum esse profitear, Reverendissimam dominationem Vestram rogo, velit et cessationem meam huius officii habere excusatam, et persuadere sibi, me non secus Reverendissimam dominationem Vestram amare, et Eius assidue summa cum celebritate recordari, quam et Episcopi omnibus numeris veteribus comparandi, et Cardinalis hac tempestate nostra rasissimi.

Sed hic his fine posito; restat, ut si in his regionibus nostris cuipiam eiusdem usui sufficiens et necessarius esse possim, velit id mei erga se studii, propensionisque secure exercere, utendo scilicet opera ac

famulatu meo, qui, ut iam dudum Reverendissimae dominationis Vestrae addictissimus et devotissimus sim, ita certe gratius nihil in me conferret, quam si me asuescet imperiis suis, seque devinci officiis meis patietur. Deus Optimus Maximus Eandem diutissime servet incolumen, et hoc iam auspicato anno novo felicem faciat. Viennae 10. Januarii 1566.

XLV.

Staroyrzepsky culmi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Staroyrzepský Episcopum Helmensem.

1566. mart. 12. Daturus rationem Reverendissimae dominationi Vestrae de nepote suo Felice Covalovio, quem mihi Reverendus dominus Franciscus Crassinius, nuper hic Orator existens, commendavit; ea quidem commendatio non de meliore eius nota facta est mihi: quam quod idem Cavalovius esset sane de bene nobile prosapia oriundus (quod ex virtutibus et amplitudine Reverendissimae dominationis Vestrae, quae est illi patruus, intelligimus); natura tamen admodum agresti, non parum contumaci, et plane rigida, ingenioque magis castrensi, quam politico praeditus est. Ita a cultu quoque alienus, et in omnibus rebus sui est negligens, ut munditiem, ac sorditiem iuxta habeat, tamque est ad famulandum et ad serviendum paratus omnibus, a quibuscunque eius opera expetitur, ut mirari satis non sufficiam, quorsum tandem evasurus

sit, ubi ex ephebis exierit, et incipiet fieri paulo maturior; arbitrorque quod eo, quo consueverunt boni viri; quum adhuc nihil prorsus eorum vitiorum in eo deprehendi, propter quae et ipsi pueri verberari et eorum familiae erubescere soleant. His tantum vilitatibus nonnihil nimio plus videtur esse obnoxius, de quibus dixi iam superius.

Verum habeo spem non infirmam, futurum adhuc pertinaciore disciplina, quem velimus. Quando nec Mercurius ex materia quavis una die absolvitur; quod de homine quoque est cogitandum, modo institutore, custodeque non careat, idque donec in lubrico adolescentiae et iuventutis versetur.

Qualem itaque nepotem Reverendissimae dominationis Vestrae habeam, ex his cognoscit. Nolo tamen Eandem de optato eius eventu desperare. Quia nunc etiam, si illum Reverendus Crassinius videret et alloqueretur, haud dubie longe alium animandverteret, quam erat tunc, quum eum mihi commendavit. Quid iam inposterum de illo pollicear, non est obscurum; postquam sic adhuc tenellus coeperit disciplinam retinere. Si quid aliud ex officio meo Reverendissima dominatio Vestra desideraverit, iubeat mihi jure suo; meque animo et favore suo complecti non gravetur. Valeat incolumis et felix. Posonni 12. Martii 1566.

XLVI.

Konyeczky Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Dominum Joannem Konyeczky.

1566, mart. 12 Posteaquam ad eas Magnificae dominationis Vestrae litteras respondi, quas Eadem ad me 20. Junii superioris anni dedit, nec ego ad eam scripsi alias litteras, nec ipsa ad me. Quum autem solus Jachimovius nepos Eius videtur conciliasse nos in mutuam et notitiam et amicitiam, nolui diutius hoc silentio premi, ut saltem vel de Eiusdem nepotis sui statu ac rationibus Eandem edocerem, si aliud mihi non occurreret scribendi argumentum; pluribus interim et publicis et privatis negotiis intentus, ne nunc quicquam de sollicitudine rumorum commemorem, qui nobis quotidie iam de novis Turcarum apparatibus obstrepere, et belli curas iniicere inceperunt,

Igitur quod attinet ad Jachimovium, prospera valentudine fruitur, adolescitque quotidie in optimum non solum Hungarum, sed etiam in optimae spei virum. Nec video, quid apud me didicerit vel de bonis moribus, vel etiam de reliquis eiusmodis, quae reddunt hominem frugi; quum qualem excepi, eundem in hodiernum usque diem semper agnosco, et experior; nempe summa et rara praeditum modestia, studioque inserviendi quum hero suo, tum etiam decori atque honori proprio, maxime memorem, esse se nobilem et eum quidem Polonum, quorum semper fuit peculiare

et genuinum, eo semper niti, quo nobilitatem humanitate praeclarisque gestis illustrare possint.

Haec itaque Magnifica dominatio Vestra habeat de suo Jachimovio. De mea vero cura, quam in illum confero, eumque ad maturitatem et virtutem excolo, nihil ipse dicam, nisi quod ei nihil indulgeo, tam saepe autem obiurgo, et pro rite ac recte etiam factis eundem, tanquam egisset perperam, reum facio, ne ardore iuvenili insolesceret, et in licentiam frena sibi laxaret, ut aliquando perturbatior a me recedat. Ac propterea, quomodocunque id institutionis meae Magnifica dominatio Vestra et alii sui accipient, in ipsorum est arbitrio. Ego tamen sedulo in hoc incoepto pergam, speroque, quod etiam meliore fide, quum in patriam revocabitur, reddam depositum, quam qui Balthasarem fratrem suum exceperat. Quicquid postremo officiorum meorum fuerit, id Magnificae dominationi Vestrae praesto semper erit. Quam Deus Optimus Maximus sospitet et felicitet. Posonii 12. Martii 1566.

XLVII.

Testvére Péternek Verancsics Antal.

Ad Petrum fratrem.

Ex tuis litteris, quas ad me XIX. Novembris 1566. mart. 12.
superioris anni dederas, quinque potissimum intellexi: quod in maximas difficultates ob inopiam devenisses; quod communis nostra cognata esset tibi iniquior;

quodque uxorem velles ducere, et ea tibi ex filiabus eximii doctoris Hieronymi Hermolai Arbensis promitteretur; petebasque postremo, ut id coniugii liceret tibi per me contrahi. Summis insuper et conditionem laudibus extuleras, et adieceras, quod hoc ipsum coniugium omnia abunde comitarentur, quaecunque requiri soleant in huiusmodi contractibus.

Igitur ut paucis tibi ad omnia respondeam, ne adhuc etiam pietas mea tibi deesse videatur, addamque novos quoque stimulos ad persistendum in disciplina, ad quam te diu iam necquicquam non solum educo atque imbuo, sed etiam studiosissime excolo; memineris, quod instanter hortabar te, ne intempestivo illo tempore concederes in patriam, atque hoc maxime, quod praevideram ex ingenio tuo, te haud dubie cum cognata nostra concitaturum iurgia, quod tibi minime licebat absente marito eius; quodque in varias rerum tuarum angustias esses deventurus, propter quum sumptuum tenuitatem, quos tibi recedenti de industria perexiguos dederam, quo te sic etiam ab ea voluntate avocarem, tum etiam, quod omnino re familiari nulla pollebas. Esto quod iam dudum ex me cognoveras, quanam ratione totum tuum statum promovere et commodare institueram, ubi primum hoc tempore Michaelem fratrem nostrum expedivissem in patriam. Quae omnia, quum meum erga te et pium et paternum animum declarent, poterasque etiam ex aliis non obscuris argumentis de meo erga te animo et munificentia esse certissimus, quum te et honeste et liberaliter habebam; cur mihi non parueris? cur non meis, sed tuis non consulueris commodis, honori, existimationi? At quia sequutus, me invito, insaniam, immo et inscitiam tuam, potius iuvenili levitati tuae,

quam monitis atque hortamentis meis gerere morem volueris, quicquid malorum ac aerumnarum domi incurreris, tibi ipsi adscribas; et feras, quod quaesieras. Omnia enim praedixi tibi. Quare, si non caveris, aut mature saltem animadverteris, ratem tuam cursum tenere in scopulos, eoque illum converteris, unde solveras; tua culpa est, quod in obvium incideris naufragium.

De cognatae autem nostrae iniuriis falso quoque lamentaris; et potius tu es criminandus, immo etiam damnandus omnibus calculis, qui nec mei, nec mariti eius, qui aberat, ratione habita, impudentissime et magna cum utriusque nostrum, ac totius cognationis et domus nostrae offensione, per judiciorum fora circumduxeris illam, et adigere conatus es, ut ea tibi de haereditate bonorum partem tuam demonstraret, et facultatem eius faceret. Qui quam amentis et vesani hominis conatus fuerit absente Michaele, sine quo id nundinarum peragi minime poterat; credo, quod iam tute etiam bene cognovisti, sed nonnisi tandem reprehensus de errore ineptissime perpetrato. Ac tibi ut clarius etiam eloquar, quod huc facit, expeditque, ut intelligas. Nonne dixeram tibi, ut eiusmodi camerinam ante tempus non moveres, et caveres diligentissime, ne quid manifestae simultatis cum Michaele inires, quodque ita me eundem esses habiturus successivo dehinc tempore, quem hactenus habuit ipse Michael. Et praeterea, quod ego essem et lites vestras dirempturus, et compositurus omnia (in utrumque vestrum liberalitate mea derivata, atque etiam beneficio Dei effusa), quaecunque dirimenda et componenda inter vos incidissent. Itaque quum hoc etiam incommodum, ut praemonitus, evitare facile poteras,

quis tui miserabitur, ubi coeperis frustra recuperare velle, quod prudens volensque amiseris? Quapropter cesses imposterum molestus esse domui Michaelis, teque sic omnibus diebus erga illam geras, ut te non alienum, sed suum agnoscat, meque magis ac magis contra te non commoveas, neque eo intemperiis tuis impellas, ubi in me poteris patrem et benefactorem amittere.

De cura vero tui connubii, quod alioqui valde intempestive urges, non offendor. Nec enim video te ad aliud esse comparatum, quam ad genus propagandum. Sic tamen illud te propagare vellem, ut prius ingenium, mores et vitam tuam in meliorem frugem dirigeres, quo tales nepotes ex te susciperemus, cum quibus, ut tecum, non laboraremus. Verum quae mihi de tanti viri filia recensueris, admodum placuerunt, et assentior tuae in ea re, quam desideras voluntati, laetatusque affinitate domus eius, et nostrae gratulatus non mediocriter, ubi nimirum in eam talis generis nurum videro successisse; omnino tamen volo interim, ut a sponsalitiis tamdiu supersedeas, donec omni ex parte rem familiarem tuam, de qua multa a me iam dudum audisti, sic instituero et expedivero, ut quum ad te sponsa ipsa deducetur, neuter vestrum erubescat, et modum habeas, ut potius tu uxorem tuam nutrias, quam ipsa te. Sed haec conditio, de qua me tam ampliter imbuisti, quam sit nobis futura constans, nondum plane intelligo. Quando litterae quoque aliorum nuncient mihi, alio te induxisse animum; meque et hae et tuae ita distinent, ut omnino ignorem quid credam, et interim de soliditate genii tui dubius, maxime etiam metuam, ne, ubi et mihi, et doctori Hermolao, viro a me magni habito, verba dederis,

illud tandem tuo solius arbitratu arripias, quod nec nobis arridebit, nec succedet tibi; et tu falleris imprimis, ubi me tuis istis ineptiis, quas ego flagitii nomine appellabo, perturbaveris, atque etiam offenderis. Vide igitur, quid agas, et in his ita procedas, ut quicquid debebit fieri, a iudicio et deliberatione mea opperiare. Nec vel in hanc, vel in illam partem, quantumvis honestam, decoram atque optimam, accedas, nisi me consulto, et consensu meo expectato, quem tantopere et postulasti a me, et pollicitus es, nihil te ante ingressurum, quam ipsum meum consensum impetraveris. Secus si feceris, scias te eam facturum rerum tuarum iacturam, quam, quoad vives, deplorabis. Vale, et consiliis utere non poenitendis. Posonii XII. Martii 1566.

XLVIII.

Doctor Ermolao Jeromosnak Verancsics Antal.

À ms. Girolamo Ermolao dottore.

Che la Eccelenza Vostra à contemplatione mia, 1566. mart. 12.
e de Michele mio fratello, senza molti riguardi delle circonstanze, che si sogliono considerare nelli contrattamenti di maridazzi, ha dato grata risposta à Pietro mio fratello sopra il dessiderio, che ha de hauere una sua figliuola per moglie, lasciando perhò il tutto al beneplacito mio, laudo summamente il giudicio et il consiglio suo. Perche le cose simili, che non si fanno piu che una uolta, debbansi anchora fare con matu-

rita, è con assentimento dellj maggiorj, per non ca dere poi in alcun tempo ne quel diffetto, ch' è non pensauo.

La ringratio parimente con tutte quelle affettionj, che sono debbite à tanto rara e cusi fatta cortesia, laquale hauete usato uerso uno giouene, non da douero, quanto per fina adesso, proueduto di faculta à poter dar commodo ricapito ad una figliuola de simil patre. E sappian Io chiaramente, tutto questo esser stato fatto per rispetto mio, e de Michele mio fratello, quantunque la bona et honoreuole conditione ui è gratissima; non di meno piu colmamente mj godo, e quasi piacio à me istesso, che da uoj, e dallj parj uostri siamo amatj.

E perche la casata dellj Ermolai gia da buon numero d' annj delle passate mie età m' è stata notissima, ne ciò suol per la sua anticha nobilità e ualore, m' anchora per lj honoratissimj personaggi, che da lei di tempo in tempo sempre successiuamente sono riuscitj e passatj per nostri gradi honoreuolj; non è da dubitar punto, ch' Io hoggi di anchora faccio di lej grandissima stima e conto, tanto piu, quanto ne questi anchora nostri anni uedendola fiorire e godersi del antico suo splendore, per li soggettj, ch' alla giornata produce, nominati e riputati, non solamente in Arbe nobilissima sua cità, ma per tutta la Dalmatia, e di fuorj anchora l' hauemo abbiacciato, che, s' il detto nostro Pietro non farà qualche fallo contro il mio uolere, e di Michele parimente mio fratello, si come certi altri auisj mi scorrono tutta uia l' orechia, non con trauaglio picciolo, gli respondero nel fatto, di che si ragiona, con simigliante raguaglio d' amore e di cortesia. Ne passeranno molti giorni, che sopra ciò

del tutto da esso Michele sara informata. Lo quale con Idio gratia spedirò à casa subbito, doppo San Zorzi, quando le strade serrano piu asciutte e compianate per li uiaggi delli podagrici.

Ben uorei tra questo mezzo, che Vostra Eccellenza qualche uolta facesse admonitione ad esso Pietro, che non precipitasse troppo giouenilmente li suoi appetitj, e che s'accomodasse allj expedientj mej, liquali si come sono stati di beneficio a Michele, cosj, con bonta del Signore, potranno essere anchora à lui. Perche proueduto gia esso Michele, in quanto è piacciuto à Idio, hora seguitarebbe la serie di Pietro. Pur che facesse à mio modo, come ancho ha fatto Michele, ne tenesse costi il stile di poco honor mio e di utilita sua nulla. Ne occorendomj altro per hora, habbiatelo raccomandato, in quantum recipere uoluerit disciplinam; e state sano. Da Possonio alli XII. di Marzo 1566.

XLIX.

Camulius Jakabnak Verancsics Antal.

Ad Jacobum Camulium.

Quod proxime, quum te hinc absolvimus, praeteriit nos tibi committere, id ex his praesentibus litteris nostris intellige, et sic etiam, si res postulabit, exequaris, ut fidelitati tuae, qua es astrictus nobis, omnino nihil deroges, neque committas, ut de te et de officio tuo queri possimus. Scis enim, quod Reveren- 1566. mart. 15.

do Francisco Pankotano, Vicario nostro, Praeposituram Beatae Virginis per mortem Reverendi quondam Hieronimi Domitii Berislaui nepotis nostri contulerimus vigore juris Patronatus nostri, et monueris illum, ut non alio, quam hoc ipso jure nostro installetur et utatur. Ad quod omnino etiam obtulit sese facturum, usurumque non alia, quam nostra et electione et donatione. Quare quum fratres ad installationem eius convenerint, committimus et mandamus tibi strictissime, ut cum aliquibus personis honestae conditionis eidem installationi intersis. Ceterum si videris dominum Cantorem, cui hoc eiusdem installationis munus demandavimus, secundum tenorem donationis nostrae fungi recte suo officio, utcunque alicunde protestabitur, sileas, nec agas quicquam. Verum si deprehendes, fieri ipsam installationem pro voluntate et electione Capituli, mox in medium prodeas cum iis viris, quos habueris tecum, et contradicas huiusmodi installationi cum protestatione publica; nimirum fieri hoc in derogamen dignitatis nostrae, et juris Patronatus nostri. Postea subito occupes nostro nomine memoratae Praepositurae et domum, et possessiones, et quaecunque alia ad eandem pertinebunt, illamque authoritate nostra administres, donec aliud super his constituisse nos ex nostris cognosces litteris. Nec secus omnino facias. Vale. Posonii 15. Martii 1566.

L.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

Ad Serenissimum Archiducem Carolum.

Ii duo Archidiaconi et Canonici Ecclesiae meae 1566. mart. 21.
Agriensis praesentium mearum exhibitores, delegati fuerunt a Capitulo meo ad praesentem diaetam. Qui quum ad alia, quae habuerunt apud Serenitatem Vestram expedienda, desideratum responsum acceperint; unius adhuc de causa negotii, quod expediendum illis restat, coacti sunt Viennam ascendere, et pro eodem denuo Serenitati Vestrae supplicare. Hoc autem est tale : Idem Capitulum, Agriense videlicet, habet villam Kysfalud vocatam, in citeriore ripa Tibisci, infra arcem Tokay quinque circiter milliaribus sitam. Quo in loco idem Capitulum ab antiquissimis temporibus semper habuit vadum ad transmittendos omnes, qui ultro citroque soleant commeare. Nunc, postquam eadem arx Tokay in Maiestatum Vestrarum, beneficio domini Dei, pervenit potestatem, officiales et praefecti eius, considerata utilitate ipsius vadi, contendunt illud ab eodem Capitulo meo alienare, et ad villam Taryan vocatam, quae est arcis Tokay, milliari uno infra Kysfalud sita, transferre, contra omnem aequitatem, iuraque et privilegia eiusdem Capituli. Quare humillime Serenitati Vestrae supplico, dignetur ad eiusdem Capituli, hoc est fratrum meorum supplicationem huiusmodi clementer respicere, mandareque,

pro communi aequitate, eiusdem arcis Tokay officialibus atque praefectis, ne idipsum Capitulum Agriense in bonis et iuribus suis molestent; praecipue autem in eiusdem vadi occupatione. Quicquid autem cognoverint de iure ad eandem arcem pertinere, non vi, neque iniuria, sed judicio et justitia mediante id requirant. Reliquum est, Dominus Deus Optimus Maximus Serenitatem Vestram diutissime incolumem et felicem servet. Posonii 21. Martii 1566.

LI.

Thelegdi Miklósnak Verancsics Antal.

Ad venerabilem dominum Nicolaum Thelegdinum, Lectorem et Canonicum Ecclesiae Strigoniensis.

1566. apr 16. Intelleximus Dominationem Vestram interventu istius Vestrae Synodi impediri, quominus huic cognitioni causae, quae est nobis cum colonis nostris Selliensibus, interesse possit. Quod nos magnopere perturbat. Nec id tamen sic, ut quippiam de suo erga nos animo dubitaremus; sed quia revera nequeat sine expresso assensu Reverendissimi et Illustrissimi domini nostri communis, quod Eandem propter personam et dignitatem, quam in isto Capitulo gerit, eidem synodali celebritati pro sua etiam existimatione interesse velint. In quo quum Dominationem Vestram habeamus excultissimam, tum ut omnia experiamur, quo Eandem assequi possimus; eundem Reverendissimum

et Illustrissimum dominum nostrum diligentissime rogavimus, velit Illam nobis concedere; quum et eidem celebritati synodali non sint defuturi, quorum praesentia decoretur. Et maximo detrimento afficeretur haec Turociensis nostra Ecclesia, si propter Eius absentiam diutius haec ipsius causae cognitio differretur. Rogamus itaque Dominationem etiam Vestram, ut Ipsa quoque sic se huic nostrae petitioni apud eundem Reverendissimum et Illustrissimum Dominum accomodet, ut, quod velimus, impetremus. Idque gratiae si obtinebimus, veniet una cum domino doctore Salatheo in curru nostro, quem istuc misimus cum sumptibus hac de causa; ne qua cura huiusmodi remorari possint. Et bene valeat. Ex Sellye 16. Aprilis 1566.

LII.

Turzó Erzsébet özvegy Ungnad Ádámnénak Verancsics Antal.

Ad Generosam et Magnificam dominam Elysabetham Turzonem, Magnifici quondam domini Adami Ungnad relictam.

Ubi subditi Generosae et Magnificae dominatio- 1566. apr. 22.
nis Vestrae possessionis suae Kewrth conquesti sunt Eidem, quod officialis noster Selliensis coegerit eos ad solutionem nostri thelonii, aliud, quod respondeamus, non habemus, quam quod hoc ipsum nostrum thelonium institutum est simul cum hac ipsa Praepo-

situra nostra Thurociensi a Serenissimo felicis memoriae Bela Rege Hungariae. Cuius institutionis annus iam prope quadringentesimus agitur, fuitque semper per hoc tempus in usu, neque constat, quo iure, quibusve de causis Reges, eiusdem Belae successores, hoc ipsum institutum infregerint, vel voluerint infringere; quum huiusmodi libertatum et confirmationum donationes non alia soleant conferri ratione, quam salvo iure alieno. Ideo Generosam et Magnificam dominationem Vestram rogamus, ne velit nobis indignari, si iura nostra tuemur. Alioqui si quid Eiusdem subditorum huiusmodi iura super hoc valeant contra iura nostra, iure revideri optamus. Nec possumus interim simplicibus cartis, quas variorum dominorum subditi circumferunt, firmiter credere, et ab usu privilegiorum nostrorum recedere; aliis in rebus ita eidem Generosae et Magnificae dominationi Vestrae inservire parati, ut dominae et vicinae nostrae observandissimae. Quam bene et feliciter valere cupimus. Ex Sellie 22. Aprilis 1566.

LIII.

Dudics Endrének Verancsics Antal.

Ad Episcopum Quinqueecclesiensem Andream Duditium.

1566. apr. 28. Quum appulissem huc heri circiter vesperam, casu, ut ex litteris ad Praepositum Felheviziensem datis intelliges, accepi, te Augusta Viennam excur-

risse. De cuius reditu eam voluptatem cepi, quam soleo ex amicorum meorum commodis; non ignarus, te iam taedere tam et longinquae, et longae, immo et molestae legationis, discursuumque, quos hactenus parum proficuos habueris, ob difficultatem rei, cuius provinciam subiisti. Unde etiam ex animo tibi compatior, metuens, ne quid adversae valetudinis contrahas ex tam itineribus gravibus. Quamquam alioqui deberem tibi potius gratulari, quod istiusmodi curis, laboribus atque periculis non solum bene merearis de tuo Principe; sed etiam incrementa quum fortunae tuae cumulas, tum virtutibus quoque tuis, tam illustribus atque praeclaris, famam nomenque dilates magisque constituas. Tibi itaque et de his, et quod optata valetudine fueris, plurimum certe gratulor, precorque ab immortali Deo omnia optima atque prosperrima, sive iam memorata legatione defunctus sis, sive adhuc eam diutius urgebis. Ego, quod fraterni animi mei est officium, libenter te viderem et amplecterer. Sed si id forte ob curam negotiorum Caesareae Maiestatis, domini nostri clementissimi, fieri non poterit; feram, ut potero: tibique interim affectu solito omnia aeque propensissima mea officia defero; et rogo, ut me, quemadmodum amas, ames. Et bene valeas. Tyrnaviae XXVIII. Aprilis, 1566.

LIV.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

1566. maj. 22. Serenissime Princeps, Domine, domine mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Serenitatis Vestrae humillimam commendationem. Benignas litteras Serenitatis Vestrae Vienna die XII. mensis instantis datas, heri accepi : et quod attinet ad eum tractatum, quem proximis annis cum dominis Magnatibus, cum quibusdam Comitatibus, et cum Liberis partium superiorum Civitatibus Agriae adiacentibus, ratione subsidii militaris Agriam in eventu subiti cuiuspiam apparatus hostium submittendi, donec iustum praesidium a Maiestatibus Vestris fuisset expeditum, habueram; ego iam, (ut ingenue et humillime fatear) vix omnino limitationis eius subsidii sufficienter meminerim. Quod ut in exequutionem non est deductum, occasione necessitatis non interveniente; ita demum omissum est, et ferme neglectum. Quum etiam nec libenter fuerant ei assensi, a quibus erat postulatum, nec potuissent, nisi admodum gravate conferre illud, quandocunque fuissent requisiti. Eius tamen ratio, quoad eius recordari possum, sic se habet.

Passa enim Budensis quum Zathmarium oppidum, et in eo Franciscum Zay ac Melchiorem Balassam obsederat subita vi; accidit, ut frustratus illo conatu, in reditu, antequam exercitum solvisset, in campis, Agriae non magno tractu oppositis, diutius sedit.

Quare nos, qui eramus Agriae, ignari quum consilii, tum etiam voluntatis eiusdem Passae, non mediocri sollicitudine fuimus, utpote parum commode instructi viribus ad excipiendum hostem non minus validum, quam subitum; si quid contra nos attentare et experiri voluisset.

Tunc igitur primum cepimus consilium de eius-modi subsidio procurando; si modo defunctae felicis recordationis Maiestati Caesareae, domino nostro clementissimo probaretur. Quod valde in subitis hostium conatibus proficuum fore, sperabamus. Atque eadem Maiestate per me coram diligenter edocta et informata, placuit rei tota ratio; mihique adjuncto Magnifico domino Joanne Petew, profecti Eperiessium, cum titulo et munere Commissariorum, omnia pro clementi Caesareae Suae Maiestatis voluntate effecimus; quamquam satis difficulter et cum contentione non exigua.

Civitates enim Cassovia, Eperiessium, Barthffa Cibinium et Leuchovia, pedites;

Magnates vero, dominus Perinyi, Bebek, Homonensis, Nagymihaliensis, Alaghy, et similes plerique alii, equites dare se promiserant; et quidem alii plures alii pauciores, quique eorum iuxta suas facultates.

Comitatus quoque Hewessiensis, Borsodiensis, Wywariensis, Sarosiensis, Gewmeriensis et Tornensis similiter.

Nec de his possum distinctius meminisse. Et facile Clemens Reghy, tunc temporis provisor et capitaneus meus, huius ipsius subsidii praecipuus inventor, poterit eiusdem transactionis habere copiam. Ad quem etsi ego iam scripsi diligenter, ut eandem copiam, si apud se forte haberet, Serenitati Vestrae

quamprimum mittat; si tamen ipsa etiam Serenitas Vestra eidem clementer mandare dignabitur; crederem, omnia celerius facturum.

Praeterea est quidam Demetrius, cognomento Kypiro, civis oppidi Raaczkewy, quod est in insula Cheppel, infra Budam posita; qui quum tempore legationis domini Francisci Zay, domini Augerii Busbechii. et meae, quam in Turcia habuimus, ita sese in mancipium Magno Turcae dedidisset, ut ab eodem plurium etiam bonorum in Comitatu Pesthiensi administratione et usufructu, quoad vixisset, obtento, perpetuum quoque illi se exploratorem de Christianis fore obtulit ac devovit.

Quare, quantum etiam nobis, dum eramus Amasiae in Cappadocia, apud eundem Turcam et Passas eius, non occulte solum, sed etiam coram, admodum insolenti et aperta contentione fecerit negotium; sic, ut ego illum ibidem duobus Turcae internunciis intuentibus, qui ad nos missi fuerant de publicis rebus, e gradibus, ad quos iam hominem adegeram, praecipitare voluerim, Vestra Serenitas ab eodem domino Augerio et Zay informetur; Sacratissima Caesarea Maiestate felicis recordationis defuncta, domino nostro clementissimo, coram Turcis tali convicio proscissa, quod nos videlicet Hungari non Ferdinandum, sed Nicolaum Olahum Regem haberemus; per contemptum usus metaphora, quae tollerari nobis minime potuit.

Nunc hunc ipsum Demetrium, hominem pravum, seditiosum, et nulla fide constanti praeditum, ab eodem Magno Turca ad Maiestates Vestras defecisse, et ab eisdem gratiam ac etiam donativum obtinuisse, intellexi. In cuiusmodi rebus, etsi Maiestatum Vestra-

rum clementia vix in toto mundo habeat parem, nec debeat, nisi summe extolli admirarique ab omnibus gentibus; putarem tamen, non esse illi confidendum, et eo etiam minus credendum, quod cum duobus filiis dicatur transfugisse. Fallaces enim homines, ut facilius, quos captant, fallant, consueverunt omnes modos ac partes applausibiles sceleri suo adhibere, ut ab se remota omni suspicione facinoris meditati, fidem acquirant, ac tandem interea temporis pergant secure in officio hostibus pollicito.

Quapropter morum actionumque huius hominis priorum non ignarus, audita mutatione eius instituti. quod apud Turcas habuit, visum est mihi, debere me obiter Serenitati Vestrae humillime significare, quisnam sit hic homo, et quantum hoc tempore, quo tanti motus hinc inde intenduntur, aut credi, aut committi illi debeat. Qui quum sit audax et sagaci ingenio, diuque iam versetur in officio, limites Regni Maiestatum Vestrarum pessumdandi ac prodendi, suspicandum etiam maxime est, Magnum quoque Turcam non alicui rudi ac simplici, sed vafro, et in diuturnis flagitiis versato id explorationis demandasse. Ipse itaque modis suis (si quid meo iudicio tribuitur) observetur, nec habeatur omni ex parte liber. Ego autem, si quid in hoc non interrogatus opinionis meae minus fortasse opportunae attulerim, Vestra Serenitas clementer mihi ignoscere dignabitur. Quam Deus Optimus Maximus felicissimam conservet. Ex Sellie XXII. Maii M. D. LXVI.

Kívül : Serenissimo Principi ac Domino, domino Carolo Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Tirolisque Comiti etc. domino et Principi mihi semper clementissimo.

LV.

A triumszlécsieknek Verancsics Antal.

Ad Zleczenses colonos.

1566 máj. 31. Affici vos apud Egregium dominum Christophorum Cubiny magnis incommodis, de quibus nobis per hunc vestrum nuntium conquesti sitis, abunde intelleximus; vellemusque, ut eius optimi, ac nobis amicissimi viri procuratione status vestri, quae ad breve tempus commodo vestro illi est commendata, propensioribus officiis vestris eniteremini agnoscere et complecti. Quippe qui quum vobis saepissime antea et apud me, et in Comitatu isto Lyptoviensi potrocinatus fuerit, defenderit etiam, quoad potuit, a multorum, qui vos interdum variis iniuriis affligere voluerunt; miramur non mediocriter, quomodo iam duriorem sese erga vos exhiberet, postquam et utilitatem ex vobis percipiat, et in tutelam suam, rogatus a nobis, vos acceperit. Nam quum videremus gravari vos, debita nobis servitia vestra Varalliae apud Turoczíense claustrum exhibere, iuxta aliorum nostrorum subditorum leges, assidueque in his contumacia vestra, et supplicibus libellis vestris, quibus fere omnimodam a nobis immunitatem sollicite petebatis, vexaremur; huiusmodi via experiri vos voluimus, quam gratum pretiosumque imperium nostrum habere debuissetis. Quod et vobis, et aliis Comitatuum istorum omnibus subditis nostris, consortibus vestris, fuit semper indulgentissimum et moderatissimum.

Verum quia omnino vos parum perspicitis commoda vestra, et, quidnam eorum velletis magis, quae captatis, parum et iudicio solido; committimus vobis, ut desinatis pro nunc huic nostrae cum Egregio domino Cubiny transactioni commendatitiae contraire, vosque sic eius voluntati accomodetis, ut et officia et obsequia vestra illi non desint; habentes respectum etiam ad futurum tempus, quo, ut antea saepenumero vobis fuit beneficus, ita et postea, quum in pristinum redieritis, esse non recuset.

Ut autem, si quae ab eius Egregia dominatione difficiliora sustinetis (quod adhuc non credimus), leviora vobis fiant, scripsimus ad dominationem eius, et confidimus, quod respectu nostrae amicitiae nihil tale vobiscum est acturus, quod sufferre nequeatis. Tantummodo non detis aliquibus quorumpiam susurrationibus apud vos locum, qui fortasse odio domini Cubiny perturbant vos, ut ipse perturbetur. Sed hac ratione, quum vos magis turbabimini; cavete, ne vos similes homines fallant, et amicum amittatis magna cum iactura vestra, quem postea, ubi vos subierit poenitudo, ex errore sero agnito, frustra recuperare contendatis et laboretis. Valete. Ex Sellie ultima Maii 1566.

LVI.

Kubinyi Kristófnak Verancsics Antal.

Ad Christophorum Cubiny.

1563. máj. 31. Zlecenses mei (uti ego video), dum omnino liberi esse volunt, nec naturalem dominum, nec temporarium. cui sunt commendati, aequo animo ferre possunt. Et sic produnt suam (nescio) simplicitatemne, an malitiam, magisque incidunt in id, quod refugiunt. Quale ingenium semper peculiare fuit huiusmodi plebeculae. Nimirum maxime tunc desipere et impingere, quum se melius commoda sua perspicere arbitrantur, quam eos, quorum potestati ac iuri subiecti sunt; ad ea magis, quae appetunt, respicientes, quam intelligentes, quod revera illis conduceret. Sed quid? Compatiendum est conditioni humili, et parum providae; quando et ipsi homines sint, et careant, ut libertate, sic et iudicio et consilio. Questi sunt enim apud me, quod ab Egregia dominatione Vestra maiore servitiorum laborumque impositione premerentur, quam leges eorum postularent; essetque illis propterea admodum grave subesse domino alieno; petitione adiuncta, ut eos huiusmodi commendationi subducerem, et ad me reciperem. Quod ego etsi futurum bene praevideram, non ignarus similis plebeculae studiorum ac morum; quia tamen commune est omnibus hominibus odio habere servitutem, non est mirum, si iam Vestrae quoque dominationis imperium, cuius mihi et humanitatem, et mansuetudinem, et patrocinium saepe antea

commendarunt, detrectare modo videantur; quum neque meum, quod habuerunt semper indulgentissimum, sustinere potuerunt. Sed in omnibus, quae aut probantur illis, aut improbantur, audiendi non sunt. Neque subito eundum est, quo commentis suis dominos suos, qui pariter et pietate, et prudentia magis, quam ipsi pollent, neque ignorant, quanam regula, quave ratione moderari ac regi debeant, astutius abducere tentant.

Propterea scripsi ad illos , ne tam repente in Egregiam dominationem Vestram, immo et in se ipsos, et in me tumultuari velint; sed officio suo propensius insistant, Egregiaeque dominationi Vestrae obsequentes sint, donec apud eandem erunt. Neque putent usquam se ita, uti cuperent, liberos et immunes ab operis dominorum fore, etiamsi quotidie experirentur decem. Quantoque ad maiores essent migraturi, tanto graviore exercerentur servitute. Speroque assensuros huic meae admonitioni; tantummodo dominatio Vestra Egregia dexterius aliquod et speciosius in regendis artificium adhibeat; quo utique ex officiis eorum potius, quam ex otio et contumacia capiat utilitatem debitam, cum qua etiam fuerunt a me commendati.

Ceterum quia iam Nicolao Jaiczay satisfactum est, domum etiam, quam novit, solvi ab eius vinculo, quae in chyrographum, Egregiae dominationi Vestrae expectatum, ascribi debeat; ubi primum rediero Posonium, id ipsum chyrographum expediendum mittendumque curabo. Bene valeat, et nostra familiariter utatur opera. Ex Sellye ultima Maii 1566.

LVII.

Dolfinus bibornoknak Verancsics Antal.

All' Illustrissimo Cardinale Dolfino.

1566. jun. 3. Al' arrivar di qua del signor dottor Francesco Spadari, secretario suo, Io ero in Hongheria ne certi beni mei. È molto harei voiuto, se non quelli giorni m' havesse ritrovate in Vienna, acio più tosto la Reverendissima et Illustrissima Signoria Vostra fusse stata servita da quel pocho, che vaglio alli commodi soi. Ringratiandola summamente, che con la solita soa verso à me amorevelezza, i habbia degnata di visitarmi con le soe benignissime lettere, è valersi anchora della mia servitu, ò grande, ò piccola. La quale tutta, senza alcuna exceptione sempre è prontissima alli soi voleri. Per tanto non vogliando dar induggio alchuno à fare tutto quello, che commette nelle soe cose gia ben à me intese per le lettere di esso signor secretario suo, questi otto giorni alla venuta de Soa Maestà. Io anchora con il restante delli signori conseglieri Onghari saro in Vienna, et sforzeromi di fare tutto quello nel servitio della Illustrissima e Reverendissima Signoria Vostra, che potro, e sapero. Pregando la bonta Divina, che la conservi à longissima vita, e siali propitia in tutte le soe cose à suo piacere e desiderio. Dal oppido di Sellie alli 3. de Zugno 1566.

LVIII.

Keresztély Bálint minorita tartományfőnöknek.

Ad Rererendum Valentinum Christianum Provinciae Minoritarum Austriae.

Reverende domine Pater, et amice honorandissime. Egregium virum dominum Antonium Hugi Justinopolitanum, ut amavi, huncque semper antea commendatum, ductus virtutibus eius, ita et nunc, et imposterum paratissimus sum promotioni ipsius adesse, ubicunque causa eius postulaverit. Et quia non minore observantia Reverendam quoque paternitatem Vestram prosequor, faciam etiam sua gratia propensius, quicquid sciero eidem domino Antonio fore commodo. Quum autem brevi ad felicem appulsum Sacratissimae Caesareae Maiestatis, domini nostri clementissimi, ego etiam futurus sum Viennae Domino adiuvante; non id litteris, sed praesentia obire studebo, ut omnia solidius ei praestent ab officio meo, quaecunque ad rem illius spectare videbuntur. Reliquum est, Reverendissimam paternitatem Vestram optime valere et me amare cupio. Ex Sellie 4. Junii 1566. 1566. jun. 4.

LIX.

Graussupolo Antalnak Verancsics Antal.

Ad Reverendum Patrem Antonium Grossuplum.

1566. jun. 4. Alle vostre del XVIII. d' Aprile non ho potuto prima responder per non esser stato tutta via in un locho de queste nostre parti, et havendo havuto occupatione de più negocij mei particolari molto importanti. Hora ch' li rispondo, non solamente tardi, ma anchora in brevita, si dignara d' havermi iscusato. Perch' essendo io anchora per venire à Vienna, nella arrivata de Soa Maestà nostro Signor, mi riservero alla presenza, per raggionare con essa lei piu à longo sopra i tre articoli di confessionisti, porretti à Soa Maestà nella Dieta Imperiale, ch' da me mostra desiderare.

Pur tra questo, lasciando adesso i particolari si del primo, come delli dua seguenti, diro un pocho del ultimo; cioè ch' Io vorrei ch' il celibato nostro, quantumque pericoloso e difficile, restasse nel stato suo et che ali appetiti della carne nostra non cerchessimo remedij dalla carne, ma piu tosto dalla mortificatione d' essa, è combatessimo legitimamente, è da vero con essa lei, per pigliar pei corona, fatti trionfanti del nemicho, quantunque con molto e spesse ferite, immo anchora con percosse molto gravi dal aversario rizevute.

Ma vorrei anchora, ch' li concubinari, scortatori, fornicatori, e simil altre puzze piu brutte, et indegni

etiam Dio del nome, non si tolerassero nella Santa Chiesa. E ch' non si pensasse mai, di voler congionger li Catholici con li confessionisti. Perche si metterebe al giocho delli delegiatori nostri tutta la disciplina nostra Apostolica; la quale deve essere fermissima, e non si leggiera, ch' agli appetiti d' ogni novo spirito, si butti ne tanti, e tanti. Interim

Perche se la Santa Chiesa e religione nostra Catholica è corona di verita, come certamente è, perche di tempo in tempo farla foglia di vento? e non tenirla solamente in soa reputatione, lasciando andar gl' heretici arbitratu suo per praecipitia adinventionum suarum, non autem indulgentia et pietate Matris Ecclesiae? La quale fu sempre vincitrice nella soa constanza, d' uno et de istesso sembiante, e trionfo de tanti e tanti prodigij cussi fatti del mondo e violatori del vero Cristiano evangelio. Cussi anche adesso è da sperare, ch' li succedera, se non si smarira, ne condurassi à dar voce alli nemici della fortezza soa. Brigino pure, quanto vioglino e possino. Emanuel enim nobiscum est, nel qual puotremo il tutto, si non haesitabimus.

Ne più per adesso; perch' presto saremo insieme. Signor Iddio l' ami, e lei à me, come fa sempre. Da Sellie il 4. di zugno 1566.

LX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. jun. 5. Salutem et omnia felicia. Ex litteris dominationis Vestrae Reverendissimae, quas a Valentino accepi, consideravi Eam varie affectam, cum propter varia, et quotidiana, et longe insperata temporum incidentia, tum etiam praecipue mei causa. Quid igitur? Vimne fatis inferemus? aut in impossibilibus excruciabimur? Absit. Quod ad me meamque expeditionem attinet; non ignorat, me semper in eius potestate fuisse, semperque me accomodasse suis temporibus, proinde et nunc; fiant quae fieri possint, impossibilia valeant, et laudetur Dominus. Impedimenta autem, de quibus Jacobus scribit; ea non adscribo alteri, nisi tantum sorti domus nostrae. Ceterum quod Caesarea Maiestas iubet secum in expeditionem proficisci; dominatio Vestra Reverendissima cum sola sua curia consueta ire poterit libere sine exercitu; noster ille Agriam custodit nunc, ubi Suae Maiestati est maiori usui. Quodcunque animal unam tantum habet pellem. Interim in nunc dominationi Vestrae Reverendissimae nescio quid rei ibi est; Ea pro sua prudentia iudicabit, et pro voluntate accipiet. Dudum cogit auersa, ut dominatio Vestra Reverendissima, donec captivi illi redimerentur, aggrederetur Reverendissimum dominum Strigoniensem pro reliquo nostro subsidio, hoc est mutuo petere, aut saltem ad mensem Augustum. Sed quoniam facile invenire posset excusationes,

videat si commodum esset, commodare se hoc pretio vinorum suorum, quae in Selye venduntur; alioqui etiam vix per totum Augustum educilabuntur. Tente autem, ut mox Selienses cum aliis eam summam deponant. Quis scit? forsan facient, vel cum aliquot parvo emolumento, aut promissione educilandi eis aliquot acones vini. Interim aut captivorum, aut Cathay promissio, aut pensio ex Camera accedet; tamen non urgeo, nec si non faciet, aegre feram. Et si cogor esse aliquanto molestior, ignoscat mihi; nam tempus meum breve est. Et vereor, ne hoc munus sit mihi ultimum a dominatione Vestra Reverendissima; non ex parte Eius, quae nunquam non vere germanam liberalitatem in me profudit, sed ex mea. Haec enim mea aegritudo eo iam deduxit vires mei corporis (ut videt); ut iam non post multum temporis cogar in cruciatibus vitam ponere; nisi Dominus Deus illius minutae adhuc familiae misertus fuerit. Licet autem sciam, quod dominatio Vestra Reverendissima de hoc sit sollicita plus quam vellem, et se circumagit per omnia: ideo et ego ausus sum ista, quae superius innui, in medium adferre. Credo namque, quod et dominus Archiepiscopus, velit nolit, facile assentietur, et contentus erit ex Camera accipere; quod illi longe facilius est, quam dominationi Vestrae Reverendissimae; quam Dominus Deus diu feliciter conservet. Ex Posonio 5. die Junii 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Mitto dominationi Vestrae Reverendissimae litteras Focassi, et Reverendissimi domini Cardinalis Augustani, quas mihi servitor Domini Varadiensis consignavit.

Kívül : Reverendissimo Domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hevesiensi et Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario, Domino meo colendissimo.

In Selye.

LXI.

Divék Endrének Verancsics Antal.

Ad Andream Divecum praefectum suum.

1566. jun. 10. Bene meminimus, quod tibi de loco minerae Klek vocato in montanis nostris inquirendo superioribus mensibus commiseramus. In quo, ut sollicitus sis etiam imposterum, scito te perquam gratissimum nobis officium servitutis tuae praestiturum, si eundem locum pro desiderio et voluntate nostra assequeris. Quod autem attinet ad homines Egregii domini Joannis Rakowsky, nostri amici et vicini subditos, quos ais, te in ipsis locis montium nostrorum, in quibus esse mineram suspicio est, cum instrumentis opificii mineralis deprehendisse, et detinuisse; probe et ex officio fidelitatis tuae fecisti. Ceterum, ubi a nobis edocere postulasti, quid in eorum causa agere te oporteat, res eiusmodi est, quae non debeat negligi. Et quamquam ad amicum nostrum sit respiciendum nobis, sic tamen etiam jura nostra sunt tuenda, ut parcendo alienis, protegendis et conservandis nostris non desimus.

Quare accedas dominum Gasparem a Benycz, amicum et vicinum nostrum, eumque consulas, quomodo tibi in hoc procedendum erit, ususque eius consilio, sic de iisdem agas hominibus, ut ipse suadebit. Instrumenta tamen mineralia omnia apud te reserves ad adventum nostrum; inque vel unico eorum defectum fuisse factum, cave intelligam. Sed illud quoque non committas, ut eundem dominum Joannem, quem habemus amicum, reddas nobis inimicum.

Et satis tibi sit (quo nos etiam contentabimur), ut dimissis domino suo hominibus sine offensa liberis, cures ab eisdem vel palam, vel secreto locum memoratae minerae assequi; quo sic et amicitia viri, certe nobis charissimi, salva remaneat, et in montanis nostris notitiam quaesiti loci obtineamus; non interim redditis instrumentis, donec nobis videatur, et cum eodem domino Joanne coram colloquamur. Haec tibi super his duximus esse respondenda.

De Martino Litterato id habeas, quod unam domum recte duo patresfamilias domini commode regere et procurare minine possunt. Ideo si oblata conditio, quae offerri in praesentia potuit, ei non arridet, expectemus aliam occasionem. Est enim mihi curae; sed istud tuum officium non partiar in duos, quando et tu non ignores litteras, et non praesis tantae provinciae, cui ob eius magnitudinem sufficere nequeas.

Ad Magnificum dominum Joannem Balassa scripsi, ne colonos nostros Zelnicenses vexet. Tu litteras nostras mitte ad eum, non per subditum nostrum, sed per Judicem Nobilium, et per aliquem Procuratorem causarum amicum nostrum. Et in exhibitione earundem, si quid responderit, quod aequitati non erit consonum, protestentur juridice; quo sic tandem princi-

pium exordiamur nostrae causae, cum illo brevi ineundae. Cui quidem nequaquam deesse intendimus.

Postremo habeas de apparatu bellico, quem nunc Maiestas Caesarea et Regia, dominus noster clementissimus, omnibus Regni Ordinibus imperavit. Tu vero instrui desideras, quo modo eum, qui nos ratione istorum bonorum nostrorum concernit, expedire debeas. Nam quum et ipsi nos etiam simile mandatum Maiestatis Eius habeamus, quod tibi ad videndum misimus; et cuique viritim sui apparatus gerenda cura est pro ratione et numero colonorum, quotquot quisque habuerit: non dupplicem apparatum expedire debebimus, alterum videlicet penes Comitatum, alterum personam nostram; sed unum duntaxat, cum quo etiam iubemur mandato eiusdem Caesareae Maiestatis, ut illi in castris nos, quocunque ea loco habebit, praesentemus. Postremo tandem, quum in aciem erit omnibus prodeundum, nostrae quoque copiolae iungentur Comitatui, et rem una, si oportebit, geremus. De quo, uti putamus, bene iam edoctus, scis quae et Comitatui respondebis, et eniteris facere, ut in hoc eodem apparatu nostrarum partium expediendo nulla mora committatur.

Quum itaque de quolibet colonorum nostrorum centenario numero decem equites et decem pedites habere nos iuxta articulos anni 1556. debeamus, convoces omnes judices et juratos, et nostro nomine proponas illis, ut statim pecuniam expediant pro bimestri tempore. Tu vero seligas ex iisdem nostris subditis tot iuvenes aetatis firmioris pro pedestri ordine, quot ex numero eorundem bonorum nostrorum scis fieri oportere, eisque mandes, ut cum pixidibus suis, ceterisque armis necessariis, ac vestitu militari sint instructi et parati

sic, ut quum iusserimus illos venire ad nos, praesto sint, dignosque esse iudicemus, quibus stipendia debita impendamus. De equitibus nos gerimus curam, iamque bonam eorum partem habemus; et quotidie instruendos, conducendosque, qui desunt, reliquos curamus. Tuque interim da operam primo quoque tempore, ut vestito Georgio Poldrusio Castellano arcis nostrae Znyho, quemadmodum proxime tibi iusseramus, de eiusdem arcis firmiori statu, et custodia sic provideas, tam de munitionibus pulverum, victualium, hominum praesidiariorum fidelium, quam etiam de omnibus aliis rebus, quas eius securitas et conservatio requirit; mandesque diligenter, ut et die et nocte multo vigilantius et circumspectius eius arcis custodiae incumbant, quam huc usque; quia turbulentiora in dies ingruunt tempora, et quotidie emergit aliquid in nostris finibus, quo debeamus magis de rebus, de bonis, ac etiam domibus nostris esse solliciti. Vale. Ex Sellie 10. Junii anno Domini 1566.

LXII.

Uszalyi Péternek Verancsics Antal.

Ad Petrum Usalinum.

Ante quinque circiter dies scripsit dominus Vicecomes Comitatus Posoniensis litteras ad Peredienses nostros, eisque sub gravissima poena commisit, ut unum currum cum hominibus aliquot et instrumentis 1566. jun. 12.

Jaurinum ad servitia quaedam subitanea obeunda expediant. Quibus intellectis; grave et nobis et ipsis colonis nostris admodum fuit, quod quum in articulis publicis Regni conclusum sit, ut subditi Praepositurae nostrae Thurociensis, et praecipue Sellienses ac reliqui huc pertinenses, in arcem Wywar militent, et iidem labores quoque ac servitia sua praestent; difficillimum haud dubie est, ut bifariam serviant. Jusseramus autem officialem nostrum ad eum scribere, eundemque de hoc articulo edocere. Sed frustra; quia denuo respondit, ita fieri oportere; nec nunc res huiusmodi secundum articulorum ordinem admittere propter obsidionem Palothanam. Ne itaque pauperes illi aliquo afficerentur damno, obtemperatum est Comiti. Ne tamen hoc in posterum quoque fiat, et res usum accipiat; scripsimus ad Reverendissimum et Illustrissimum dominum Strigoniensem, ut, si erit aliqua via, provideat, ne ii miseri bifariam ad huiusmodi servitutem redigantur. De quo Egregiam quoque dominationem Vestram edocere voluimus, ut sciret, curaretque ipsa etiam, si quo modo poterit, ut a tali gravissimo onere immunes fiant, ac servitiis duntaxat istius arcis Wywar reserventur. Quam etiam felicissime valere cupimus. Ex Sellie XII. (Junii) anno 1566.

Quum iam praesentes litteras nostras essemus clausuri, responsum ad alias nostras ab eadem accepimus. Nec putamus, opus esse ad priorem partem suarum quicquam subiungere, nisi ut eiusdem monitis, atque consilio, immo etiam benevolentia utamur. De negotio decimae tantummodo nonnihil agemus. Cuius si arendationem concessibilem, immo et promulgationem suo tempore intellexissemus, credimus quod eam, et quidem totam, nemo praeripuisset nobis. Et par

(uti existimamus) erat, ut Sellie, et officialis eius eandem promulgationem accepisset. Sed quia vix octo dies sunt, quod memoratam decimam (uti iam diximus) concessibilem esse audivimus, experiri voluimus; si vel hanc saltem nostrorum bonorum partem obtinere possemus, quae provenit in territorio Sellie et Kyralfalwa.

Cur autem rei nos advigilare non potuerimus, causa est, quod; quia elapsis aliquot annis in usus domini sui colligebatur, negabaturque palam omnibus; ne nos quoque desiderio eius frustra sollicitari voluimus. Nunc itaque, quoniam iam concessibilem factam esse videmus, etsi pro tota loqui nequeamus, si tota nobis non conceditur, at saltem pro ea eius parte (arbitramur) loqui nos posse, ut cuius terrestris dominus sumus, et excusamur in reliquo, quod memoratam promulgationem illius arendationis suo tempore non intellexerimus; Egregiam dominationem Vestram diligentissime rogamus, velit amicitiae et officiorum nostrorum gratia impensius aliquanto curare, ut dominus provisor Comaromiensis, et Jaurienses Capitanei concedant nobis hanc ipsam eiusdem decimae partem, quae est in ipsis bonorum nostrorum duobus locis supramemoratis. In quo quum et dominatio Vestra Egregia, et memorati domini amici nostri declarabunt erga vos benevolentiam suam; tum et nos dominationi Vestrae pretium citra moram deponemus, et ipsis dominis amicis nostris iam supramemoratis gratificari pro eorum commodis maioribus non praetermittemus, ubicunque et quandocunque operam nostram usui suo accommodare voluerint.

LXIII.

Verancsics Antalnak Camuglia Jakab.

1566. jun. 16. Reverendissimo bon Signor, Signor mio sempre gratiosissimo. Questi zorni passati hebi doi mande litere dala Signoria Vostra Reverendissima; une scrite ali 15. di Mazo, et l' altre per Bodi deli 4. di Zugno. Ale qual prime za ho dato resposta per Zabo Tomas de Berin; il qual chredo le abia mandato per il suo homo; secondo chel mi a inpromesso. Niente di mancho adesso anchora non resto di scriver il tuto; et dar resposta a tute dui.

Primamente quanto al stato de li captivi; Io mai ho potuto conchluder altramente con Zabo Tomas, se no me in questo modo; che oltra li 609 fl., che za la Signoria Vostra Reverendissima ha nele mani, darano 2500 fl. de danari contadi subito, et inter mene de zorni 15 quella li avera fidelmente nele mani o in Selie, overo dove che quela si ritrovera; ma con questo, se la Signoria Vostra Reverendissima si contentera. Perche Zabo Tomas dice, che quel Turcho, che vol reschatar il Chelebia con li altri captivi, non vol dar piu un quatrino; dove che Io li o dato questa resposta, che no volio mancho un quatrino de quel, che la Signoria Vostra Reverendissima ha scrito et commesso. Perho se la Signoria Vostra Reverendissima sara contenta, di lasarli per quel, che inprometeno, bene; se non, sta a quela. Et circha cio la Signoria Vostra Reverendissima, quanto presto sara possibile, quela mi scriva, et dia relatione. A me certo parerebe

de la sarli, perche vedi, che Magochj fa quel, che vol per despeto de la Signoria Vostra Reverendissima, come fina adesso, che 'l per forca fa esser piezo il Chelebia, et poi ben bastonato, et tenuto in cepi, lo fa pagar a lui solo la piezaria de li 600 fl., benche sono stati 7 piezi, et il pilya la roba dal Chelebia, la qual have portato il Ebreo per vender, et per dar il danaro nele mie mane per nome de quela; ma Io non so che fare. Se li parlo qualche cosa sulamente, il sene ride, et per questo diche, che se para ala Signoria Vostra Reverendissima di lasarli, veda; perche o paura che un zorno non averemo ne un ne l' altro, se 'l Magochj fara quel, che za a comencato; et poi sara dificile litigar con lui; et per questo la Signoria Vostra Reverendissima faca il suo parere, non il mio.

Quanto al negotio de Sircz con Catai, anchora non ho parlato, perche non e stato mezo; ne o trovato il tempo de venir al Preposito di questo; ma subito vedero di conchluder con lui, et quel, che avero conchluso, subito avisaro la Signoria Vostra Reverendissima per il primo.

Circha ali prati dela Prepositura Mazore; io non li posso cavar utilita nesuna, perche Corlat Cristopf l' a fato segar tuto il prato de Koch, dove che io aveva mandato per falcharlo; et quando andai, trovo, che za lo falchano. Po subito parlai al signor Magochj, dicendo, che 'l non lasase ter per forca li prati de la Signoria Vostra Reverendissima. Il qual mi rispose, che non pol far di mancho, perche besognia, che li soldati abiano con che mantegnir li cavali; et besognia che 'l tenga soldati; niente di mancho diceva, che li cometera. Ma no vedo niente Chelabia comesso; perche za le messo in Muchjo.

Parl'ai con il dito Corlat, che 'l non debesse molestar, ne tior li feni di quella; ma lui mi rispose, che Magochj ge l' abia dato. Cussi anchora il prato grande de Zyhalom lo fato io falchar.

Et e andato Magochj, et se l' a dato a uno, che si dimanda Chapy Cristopf; il qual di matina lo vol far menare via. Niente di mancha adesso andaro da Magochy, et li parlaro circha cio non altro. Perora se nome, che la Signoria Vostra Reverendissima, quanto presto sara possibile, del tuto mi scriva, et dia resposta. Ma al Magochy, se quela scriva, scriva con qualche bel modo, overo non scriva niente; perche subito il fara qualche oltrazo a me, come a signor Adam et altri. Et con questo ala Signoria Vostra Reverendissima per sempre mi a richomando, et prego Idio, che za faca venir al fine questo efeto, et conduchila de qui a salvamento.

Datum Agriae 16. Junii 1566.

Dela Signoria Vostra Reverendissima
minimo servitor
Jacomo Camuglia Dalmata mp.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Antonio Verantio, Episcopo Agriensi, Comiti perpetuo Comitatuum Borsodiensis et Hevesiensis, hac Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario etc. Domino mihi semper gratiosissimo.

LXIV.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et omnia felicia. Accepi a domino Vicario Agriensi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae, in quibus illud tantummodo erat, quod Eam haec praesentium temporum facies nimium conturbaret; cuius rei causa solum est expensarum penuria, bellum enim magno sumptu indiget. Tamen dominatio Vestra Reverendissima non ita indulgeat sollicitudinibus tanquam rebus subitaneis; restat adhuc aliquantum temporis, quibus dirigere huc negotia poterit. Jam enim valida pars exercitus hostibus opposita est, et quotidie augetur; Maiestas vero Caesarea, etiamsi personaliter rebus adesse voluerit, non ante movebit, quam adversarium Budae esse cognoverit, quod in Augustum aut Septembrem protrahetur. Forsan, uti et credo, dominatio Vestra Reverendissima mei, quam sui sollicitior est; et eorum, qui ad domum et nomen nostrum pertinent. Sed haec quoque curare velim omittat. Non sum subitae voluntatis, non intemperans, denique non impius; ut qui Eius pietatem et benignitatem cogere aut impellere praesumam. Dabo locum tempori, accomodabo me fortunae et casibus; et si hac aestate denegatum erit domum abire, primum ver non deerit; modo interim nos conservare ab hac tempestate instanti possimus alicubi locorum extra telum et timorem. 1566. jun. 19.

Doctor Illicinus hodie hinc Tyrnaviam est pro-

fectus, futurus alia die (apud) dominationem Vestram Reverendissimam. Ex eo intelliget multa, tam de exercitibus, quam de aliis variis rebus. Haec sunt igitur, quae mihi hoc tempore scribenda erant; si quid occurrerit, scribam deinceps.

Interim Dominus Deus conservet Eam incolumem ad multos annos. Ex Posonio 18. die Junii ad vesperum, qua advenit Sebastianus 1566.

Michael Verantius
frater et servitor.

XLV.

De Andreis Ferencz felhévvizi prépostnak Verancsics Antal.

A messer Francesco d' Andreis Preposito Felheviziense.

1566. jul. 12. Per la risposta delle vostre di XII. de Mazzo datemi alli VI. di Zugno in Sellie, non occorreva iscusarvi, che nella partita sua da Vienna, non mi havea rescritto segondo il suo volere, essendo Io stato di soverchio anchora sodisfatto cò quelle, et dio si breve che mi mando nella detta sua partita. Quando l'amore è la benevolenza fra gli amici non tanto consiste nelle demonstrazioni apparenti, quanto nel archano di cori, è nelli schietti officii. Il che persuadendomi Io del amore è della benevolenza vostra, che me portate da molti anni constantissimamente, saro

sempre sodisfatissimo delle vostre, quantunque altro nò hauessero in si, che „Si vales bene est, ego quidem valeo, et te ut soleo amo.“

Il restante del uostro credito, che havevate cò quondam mio Belgramonio, vi mandai in XX 'ducati d' oro portugalesi per il nostro Vsaly. Loglie credo, che gia hauete rizevuto.

Delli vostri vini ero per far tutto quello, che pensavo essere al commodo vostro, è che soglio prestare ad ogni amicho mio di somiglianza vostra. Ma quando venni à Possonio, è gustai li detti vini, ch' erino da sei botte in cercha, gli trouai tutti pendoli, et in tal maniera destrutti, che veramente nò mi basto animo di torli vedendo, che ne per danari, ne per il uso della fameglia erino boni, come intenderete da pre Nicolo di Varasdino, procuratore d' essi vini, in presenza del quale gli uolse vedere è gustare tutti in casa mia. E li dette conseglio, che, per no farui danno vendendoli al presente, alla noua vendemia li reservasse, e reparasse con le vue è mosti novi. Quello mo fara, Io non so. Ma saria bono, che voi anchora li deste tal commissione. Perche forse si repararanno, e saranovi d' utilita, della quale adesso no sono.

Al Monsignore Arciuescovo nostro non resto di fare ufficio amicheuolissimamente per voi ogn' hora, che mi occorre. Ma ni occorre molto raro. Pur si fa quello, che si couiene alla amicitia nostra.

Che il Reverendissimo Monsignore de Cinque Chiese mi è bon amicho, Io anchora mai nò ho dubitato. Ma ben voi mostrate hauer nò so che puocho di dubbio, tanto spesso scriuendomi di ciò, è lo giuramento anchora, senza da me esser richiesta. Quare edissera ad hanc parabolam. E se qui aue qual cosa,

che per voi possiamo, adoperatine senza ogni rispetto. Perche vi amo al solito è senza ogni colore. Al Reverendissimo N. Cinque Chiese offerite gli mei ufficii, e sappiate fermamente, che li desidero tutti l' honori è grandezze, che si conuengono alle soe vertu, è cortesia, honorata da molti è da me tanto, quanto nò ciedo à nissuno nel amarlo è volerli bene.

Di novo altra qui nò habbiamo cha li apparati di guerra è la espettazione di Turchi, li quali vengono, come si raggiona, cò grande moltitudine, e con il suo Prencipe. Iddio sia con voi, e voi state sano. Da Vienna alli XII. di Luio 1566.

LXVI.

Pernessy Istvánnak Verancsics Antal.

Ad Stephanum Pernessy.

1566. jul. 14. Heri cum Egregio domino Andrea Pernezzy fratre germano Egregiae dominationis Vestrae colloquuti sumus de controversia, quae est cuidam Gabrieli colono suo cum Mattheo Somogyj subdito nostro satis abunde cupientes, si quo pacto fieri posset, ut iam tandem eadem controversia finem suum sortiretur. Sed quum nulla prope in parte videntur ea simul convenire, quae hinc frater dominationis Vestrae asserit, inde Mattheus Somogyi subditus noster loquitur, de quibus alios etiam jurium nostrorum peritos consulere non praetermisimus, viam aliam non reperimus, qua

haec eadem controversia bono modo terminari possit, quam via juris et justiciae. Dominationem Vestram Egregiam rogamus, velit ipsa etiam ad hoc accedere, et quoniam de eodem subdito nostro nos judicium Eidem administrare in loco suo minime recusamus, quicquid idem colonus eius contra eum habuerit; non gravabitur mittere, qui in possessione nostra Pered id revisionis obeant, nosque curabimus, ut secundum Deum et justitiam eius utrique parti judicium rite administretur.

Ceterum quia detentionem quoque eiusdem subditi nostri non satis legitime fuisse factam intelligimus, quum idem non sui sed nostri juris sit, qua ratione fideiussio etiam ab Egregio domino Clemente Zalay expetita pro eo fuerit, nec praeceptoriae litterae domini Judicis Curiae Regiae Maiestatis redditae illi fuerunt; constabit postea ex judicio, quod adhuc non est factum legitimum. Ideo rogamus Eandem, ut interim, donec serio et legitimo judicio haec ipsa causa tota revidebitur, velit supersedere a vexatione tam domini fidejussoris, quam etiam eiusdem nostri subditi, quem, quum judicii tempus aderit, ita coram sistemus, ut aequitas et causae ratio postulabit. Reliquum est, Egregiam dominationem Vestram bene valere optamus. Viennae 14. Julii 1566.

LXVII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. jul. 16. Salutem et felicitatem. Misi ad dominationem Vestram Reverendissimam equos decem, quos petiit, cum kochy. Mitto etiam litteras Blasii Buday, quas voluit cito perferri ad Eam. Quod reliquum est, det operam dominatio Vestra Reverendissima, ut emat navim pro vado, quia damnum quotidie patitur. Timuimus etiam his nundinis de naufragio; tamen laudetur Deus, quod nemo periit. Porro quod dominatio Vestra Reverendissima scripserat circa emptionem quatuor equorum pro domino Theobaldo; sciat, nullos fuisse, et qui erant, viles et macilenti, et inutiles fuerunt. Nam non audent conductores bouum nunc bonos equos huc adducere; quoniam multi spoliantur ab equis a militibus sub praetextu belli huius. Dant nimirum illis iuramentum, ut dicant, quanti ipsi emerint; et tantum illis numerant, et equos accipiunt. Coloni vero isti censum persolvere, ut video, non cogitant; tempus prorogant, et paupertatem obiiciunt. Ego iussi, ut cras omnes conveniant judices et jurati, ad quos verba ad eam rem apta aliquot faciam. Videbo, quid respondebunt. Oppidi nihilominus judex venit ad me, faciens excusationem, non posse exigere praeter duos florenos; et petiit consilium, quid sit facturus, seque velle facere omnia, quae iussero. Respondi, me velle prius admonere eos; deinde quid facto fuerit opus, iussurum. Sed neque judici credo, quia unus est ex illis.

Nova alia non habemus, nisi quod fama sit, quod Turcae ex Strigonia res suas pretiosiores Budam exportant; item quod Julam oppugnant, sed vili milite, exceptis non multis melioris notae limitaneis. Nundinae fuerunt mediocres, bonum tamen tanta copia, quanta nunquam fuit, idque ob metum Turcarum et belli huius. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime valere. Ex Selye 16. Julii 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Antonio Verantio, Epicopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae ac Regiae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Viennae.

LXVIII.

Konicki Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Joannen Koniczky Serenissimae Annae Infantis Polonorum Thesaurarium.

Quum ego iampridem operam meam Magnificae dominationi Vestrae non obscure promiseram, quod Balthassarem adolescentem, germanum fratrem suum, qui apud nos putatur esse amissus, quaerendum inveniendumque, quoad eius fieri potuisset, diligentissime essem curaturus; nec desunt mihi bonae fidei quo- 1566. jul. 18.

rundam amicorum communium testimonia, institisse me huic officio non segniter, neque perfunctorie, sed certe summo studio et voluntate, omnes sumptus quoque faciendi, adhibendique labores, si res ita postulasset, ut vel tenui aliqua significatione scisse potuissem, vivitne, an obierit? et si omnino esset adhuc incolumis, ubinam ageret gentium? idque eo potissimum desiderio, ut tanta charitate in utrumque fratrem, in alterum ferme iam amissum, diu iam in alterum macrentem collata, dolorem etiam Magnificae dominationis Vestrae abstersissem, dato ad eam nuncio, inventum esse adolescentem, eundemque vivere, aut saltem desiisse vivere; ut Ipsa quoque sollicitudine huiusmodi ambigna desiisset angi.

Propterea non erat opus (ut arbitror) litteris etiam Sacrae Regiualis Maiestatis Polonorum currenti calcar subiicere, ne tanta Princeps hoc molestiae genere mihi scribendi incommodaretur. Quippe, quae si tantummodo voluntatem suam vel ministrorum opera iussisset ad me de hoc perferendam; aeque me sane obsequentissimum sibi invenisset, ac eiusdem benignissimis litteris intervenientibus.

Sed haud dubie fuit mihi perquam gratissimum, requiri meum a Sacratissima Eius Maiestate officium; daboque operam multo diligentius, ut plane intelligat, hanc suam voluntatem sic a me acceptam, exequutamque fuisse, ut et dignitas, et authoritas illius postulat, ac etiam ut Magnifica dominatio Vestra opinione sua, quum de mea erga se, quod putaverit oportere ad me benignissimas litteras tantae Maiestatis dari, quo mihi persuaderetur diligentius, ut rem, de qua agimus, propensius amplecterer, non fallatur. Quod quidem et Magnifica dominatio Vestra, sicuti

debere fieri iudicavit, consequuta est, et ego iam extra omnem moram aggrediar novum studium, ut et Reginali Maiestati obtemperem, et Magnificae dominationi Vestrae vel hoc saltem conatu, qui a me requiritur, gratificer. Quandoquidem amissi huius adolescentis casus, quo et ego non mediocriter perturbor, eo etiam videtur esse infelicior, si vivat, ignoretur, et si iam obierit, pariter cognosci nequeat; quo magis mirari quoque non desino, quod Magnificus Andreas Balassius, cui commendatus fuerat, et ea quidem nota concreditus, qua nobilium filii etiam apud nos alienae disciplinae subiiciuntur, ne domestica, quae est liberior et indulgentior, abuterentur per licentiam, privarenturque eo profectu ac beneficio, de quo proditus est Horatianus ille versiculus : „Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,“

Sed quid dicam! Vereor equidem non eam illius curam fuisse habitam, quam adolescens, vel ipso genere suo merebatur; quod complures ex nobis, qui huiusmodi filios amicorum ad maturitatem virorum excolendos accipimus, neglectus quidam haberi interdum consuevit. Qui alioqui committi, maxime in externos, non deberet, propter multa, quae nunc non est attigendi locus. Et propterea bene est ante perspiciendum, adolescentes huiusmodi, qui sunt adhuc aetate immatura et rerum imperiti, cuiusmodinam hominum curae, ductuique committi debeant.

Verum de his cum Magnifica dominatione Vestra fusius fortasse egi, quam exigebat; egi tamen propterea, ut uberius fidem mihi adhiberet, me nec hactenus defuisse huic officio, quod a me exposcit, nec deinceps defuturum, curaturumque sedulo, ut quicquid de eodem adolescente fratre suo, sive de vivente

adhuc, sive iam de dudum mortuo intelligere potero, quamprimum et Maiestatem Reginalem, dominam meam clementissimam, et Magnificam dominationem Vestram, amicum meum observandum, edocere non praetermittam.

Ad litterarum autem suarum reliqua non est, quod multis respondeam. Quae quum ad amicitiae nostrae officia pertineant, quae iam inter nos firmissime est constituta (esto, quod nondum mutuo nos de facie cognoverimus), satis erit utrique nostrum, ut ipse hic, istic vero Ipsa, quaecunque alterutrius negotiorum usus postulabit, ea omnia studiose amanterque obire non praetermittemus. Maxime legis etiam eius memores, ut quae absentibus amicis coram praestare nequeamus, eisdem corda non denegemus.

Ad Jachimovium vero nepotem suum quod attinet, ipse quum in dies pleniore iam vestigio ad patrias virtutes pergens, satis affatim sese commendat, loquantur de illo alii. Mihi tamen curae erit, ut quoad utetur meo contubernio et mea disciplina, non negligatur, quum eius incolumitas, tum etiam indoles ad omnia honesta comparata. Nec dubito in optimum etiam ac prudentem virum, si supervixerit, evasurum, testaturumque virtutibus suis, quum in patriam redierit, quod apud eum hominem egerit iuventutem, qui prae multis aliis nationibus et Polonicam semper magni fecit, et Magnificae dominationi Vestrae gratificari plurimum desiderat; Eidemque a domino Deo precatur omnia optima atque felicia. Viennae 18. Julii 1566.

LXIX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et felicitatem. Litteras, quas ad me dedit dominatio Vestra Reverendissima pro Balicza, optime intellexi; sed miratus sum, quod ad binas meas ad Eam scriptas ante, nihil responderit, nisi si redditae adhuc non fuerunt. Florenos 60, quos petiit, misi ad Dalmadinum hodie per nostrum Body, ex pretio vinorum, quia aliunde non habui. Nam illis paucis pecuniis, quae ex vado et thelonio proveniunt, utor ad sustentationem meam et familiae, quae hic est nunc. Nec aliter vivimus hic, quam si Viennae aut Posonii essemus. Censum coloni neque in somnis viderunt, ut conferant, quin etiam ad servitia aegre compelluntur; faciunt tamen utcunque. Vina Reverendissimi domini Strigoniensis iam defecerunt. Coactus sum mittere florenos 100 et decem pro aliis vinis ad Sempte; ubi empti sunt acones primo 40. Pro reliquis hodie misi Martinum Palasthy; quia alium hominem ad talia non habeo; licet intelligam de eo, quid ad me scripserit. Sed aliter fieri nequit, ne vinum deficiat. Emitur autem iam urna florenis 5 denariis 72. Navis vadi iam omnino dissolvitur; nec credo, dominationem Vestram Reverendissimam superius nunc posse emere navem. Sed si erit voluntas Eius, mittam ad Comaron aut Jaurinum talem navem emere; quia quae illhuc dilabuntur, non revertuntur sursum. Vizkelethy venit huc cum tribus equis, et expectat dominationem Vestram Reverendissimam. Reli- 1566. jul. 25.

qua intelliget ex meis prioribus. Nova certiora et citius Viennae audiuntur quam hic; licet toto hesterno die audivimus hucusque bombardarum tonitrua Aiunt oppugnari Vytan et Gesthe. Dictum est etiam, quod Ferthal Bassa in oppugnatione Gywlae pixide occisus est, et copiae eius facta eruptione a nostris omnino profligatae. Quod si verum est, Dominus Deus pugnat pro nobis et Caesare nostro. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et diu bene valere. Ex Selye 25. Julii 1566.

Frater et servitor
Michael Verantius mp.

Pepones habebimus brevi multos et bonos; sed adhuc non maturescunt, incipiunt tamen. Ad dominum Tranquillum amicum nostrum nil habeo, quod scriberem. Jubeo tamen salvere. Quem quidem rogo, ut adhibitis omnibus coloribus rhetoricis et philosophicis, quibus egregie peritus est, det operam in reditu, ut persuadeat uxori meae, aequo animo velle ferre spatium adhuc huius futurae hiemis. Quod si effectum dabit, tunc vere magnum et rhetorem, et philosophum vocabo.

LXX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. jul. 28. Salutem et omne bonum. Hodie vesperi, quae dies est 28. Julii, accepi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae a Blasio Buday missas; ad eas

paucis est respondendum. Quod de emptione nova vinorum scribit; sciat, me in scribendo pretio deceptum esse currente calamo; nam non emimus aconem in Sempte florenis 5 denariis 72.; sed uno floreno et denariis 32; atque utinam tot emere potuissemus eo pretio, quot adhuc opus habemus pro duobus mensibus, sed tantummodo 40 acones habere potuimus cum magna difficultate, qui triduo epoti sunt; tanta est nunc potatorum copia. Et adhuc ad finem Septembris vix sufficient 200 acones. Vina autem non reperiuntur; nam et illa, quae sunt alicubi, omnia pro castris occupata devehuntur, cum litteris et strictis mandatis Regiis. Misi heri ad quaedam loca pro vino, de quo iam conventio pridem facta fuerat; cum currus advenerunt, mutata sententia negata sunt; aegre acones 20 habuimus pretio florenorum 2. Sed quid hoc est? Et aliud etiam est, quod sine parata pecunia moveri cellario non sinuntur. In metu sum, ut nos vina deficiant, tamen quanto cariori pretio ementur, eo carius vendentur. Et iam denariis 8 educilantur. Sufficiet, si quod ebibemus, lucremur; modo vina inveniamus. Illa unica utilitas et commoditas est, quod habeo paratam pecuniam, qua emuntur; proinde si dominatio Vestra Reverendissima officialibus Reverendissimi Strigoniensis partem persolvet; relinquat penes me vel solum florenos 150, quibus vina emi queant. Ego postea dabo operam, ut de die in diem illis fiat satis. Aliter angustiabimur; et consultius erit, ut ex lucro eorum pecunia illis persolvatur, quod hucusque deest. Ceterum dominatio Vestra Reverendissima non arbitretur, me esse tam sinistrum, ut mihi imponi ita crasse permittam, nec a Martino, nec quoquam, praesertim in magnis; parva autem ferenda

sunt temporum gratia, praesertim hoc tempore. Sed de his satis.

Quod autem quidam ex Vayuodis his contempserint domini Pograny iuventutem, inique indicant; quoniam profecto, ut ego iam animadverti, senilem habet animum. Et nisi ego eum reprehensissem; aliquoties intellexissent, eum virilem habere animum; praesertim quando unum peditem vi acceperunt. Sed ego moderavi negotium; nam ad arma iam parati erant. Habent enim nunc magnam potestatem, nec ullibi se dicti Vayuodae modestius gesserunt, quam hic; nam ex aliorum bonis aperta vi homines ad remum duxerunt, tam ex nobilium, quam Praelatorum; nam et ex Episcopatu Nitriensi multos vi extraxerunt. Magno comitatu armati incedunt, parati sanguinem effundere omnibus, qui obstant. Hanc a Principe habent potestatem.

Quod reliquum est, dominatio Vestra Reverendissima committat Dalmadino, ut Posonii, si potest, disponat vina aliqua ad 150 acones, quandocunque duobus florenis habere poterit, eo maius luchrum erit. Nuper quidam Kys Peter, apud quem sunt centum aurei in pignore, offerebat sua vina. Aut apud illum, aut apud alium quaepiam quaerat, et significet mihi; ego mittam statim pro illis, quia alibi vix reperientur, licet dabitur per me opera diligens, ut non deficiant vina in cellario. Hoc autem fiat non mature, sed maturissime.

Porro pertransierunt isthac quidam equites; tres scilicet, qui quaerebant stipendia; sed singuli florenos 5 menstruos habere volebant. Ego dare nolui; nam et isti, qui hic sunt, tantundem postea voluissent. Ambrosius etiam, qui fuerat servitor Palasthii prius,

cuius iam mensis elapsus est, noluit florenos 3 accipere ad mensem, sed vult 5. Ego expecto (responsum) a dominatione Vestra Reverendissima.

Isti etiam, qui hic sunt Eius servitores, tam equites quam pedites, iam eos taedet hic sessionis, licet non egeant. Vellent esse iam in castris.

Interim nova de Jula confirmantur. Et dicunt illi, qui ex illis partibus veniunt huc, quod triduo Swendi obsidebit Hathwan. Rustici omnes undique relictis omnibus suis, solum cum uxoribus et liberis, confugerunt ad Wywar, et sunt fere cum mille curribus. Nam eos Turcae ad muniendas arces inducere cogitabant, et primo impetu hostibus obiicere. Infideles ubique sunt in magno metu et confusione; immittat illis Dominus angelum sui timoris. Ex Selye 28. Julii 1566.

frater et servitor
Mich. Verantius mp.

Kívül : Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio, Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hevesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario: Domino meo observandissimo.
Viennae.

LXXI.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et omnia bona. Hodie, quae 3. dies est Augusti, advenit Kery. Quas litteras attulit intellexi; 1566. aug. 4.

praesertim quae respondet de vini penuria. Sciat, id ubique locorum sic esse; nam in aliquot locis missa pecunia et facta conventione decepti sumus. Ultimo loco hodie misi florenos 200 pro vinis Thyrnaviam, quae si apportabuntur, spero, quod non deficiemus, et lucrum habebimus, quia octo denariis instam facio iam vendere. Miro modo nunc vina hic ebibuntur; maximum damnum pateremur, si deficerent. Quae autem vina promisit Kys Peter, si bona sunt, non essent superflua. Nam huc domesticis equis adveherentur; ut coloni fruges et foenum nunc importent, impossibile est eos cogere.

De summa autem pretii vinorum Reverendissimi domini Strigoniensis, quam scire desiderat; sciat, quod cum illa pecunia, quae adhuc hic in vinis est, ac quam hodie pro vino Thyrnaviam misi, una cum luchro, et quae apud me parata est, puto excedet florenos 600. Vina autem cito ebibentur, et solvemus. Supplere autem ad integram summam, ignoro, unde id fieri possit, cogitatis omnibus industriis; tamen si quid deerit, paulo post poterimus satisfacere. Quod si aliquo pacto dominatio Vestra Reverendissima hanc summam ad tempus a domino Archiepiscopo mutuare posset, ad praesentem necessitatem commodum esset; quia undique angustiae sunt.

Jubet etiam, ut equites isti solvantur, et novi conducantur; utque pedites retineantur, aurigis pabulum et victualia dentur. Ego nescio, unde haec fieri possint. Praeter vadum et thelonium non habemus, quae utcunque nunc reddunt plusculum. Ex vado vivo cum familia, convivae plena mensa est; curia autem omnino nihil habet sine pecunia, usque ad ova emimus. Thelonei autem totam summam misi ad domina-

tionem Vestram Reverendissimam, exceptis florenis 6 denariis 40, quos Kery pro stipendio duorum equorum inde dedi. Quod autem etiam subsidium pecuniarium petit, libenter, si esset, mitterem; sed non est, quia a colonis ne obolum quidem nunc habebimus. Si tamen tanta necessitas Eam urgeat, accipiat reliquum illorum centum aureorum, qui sunt in pignore apud Kys Peter; sciat tamen, me emisse illos aureos singulos 156 et 158 nummis, et 160; aliud nunc fieri nequit. Dominatio Vestra Reverendissima faciat quod potest; ad impossibile nemo cogitur. De censu colonorum et nona ne cogitet quidem; parati sunt etiam vi resistere; nec verba nec minae prosunt. Ego autem nollem victima fieri pro tam parva summa horum rusticorum, qui fere cruciatam expectant. Nos autem nec decet vi agere ad nova vectigalia; nec possumus, si velimus. Alia via reperienda est suo tempore. Ea mihi ignoscet, si contra opinionem Eius scribo; magna est iniuria eorum, et sunt fortes et parati animis et viribus ad resistendum. Fiet tamen quod fieri poterit.

Ceterum quod attinet ad captivos; intelliget dominatio Vestra Reverendissima, quomodo tenentur, ex ipsius Andreae litteris. Quod si diffidet custodibus illis, ut est diffidendum; aliud consilium dare dominationi Vestrae Reverendissimae ignoro, nisi ut Judicem Posoniensem roget, ut in eius civitatis publico carcere ad tempus custodiri eos permitteret, ubi tutissime teneri possent. Nam vereor, ne adhuc longius differatur eorum redemptio horum disturbiorum gratia. Interim si qui occurrerent Jyazberinienses, memor ero Zabo Thamas nunciandi. Tamen dominatio Vestra Reverendissima scribat Andreae, ut quotidie dormitum in arcem mittat Andream Kezeghmet secundum.

Quod autem foenum eo deferri iubet, id facile fieri posset, si sine damno fieret. Primo totum foenum in tam longo itinere deflueret, et sylvae diriperentur, Secundo, antequam Posonium attingerent, milites acciperent, qui ubique in viis ad hoc excubant. Nec solum de foeno esset timendum, sed et de equis; omnia namque in praedam vertuntur, praesertim rusticorum. Vereor, ut iste kochy tuto cum pabulo et peponibus eo perveniat.

Sed ut tandem finem faciam; dominatio Vestra Reverendissima iubet, ut et conducam milites, et istis persolvam; deinde subventionem pro sumptibus optat. Ego malui suppeditare nunc sumptus dilata causa militum, ne cum illa familia deficere contingeret. Mitto igitur ex proventu thelonei ad hanc diem ab adventu meo huc collecto florenos 45 denarios — sub sigillo. Ex vado autem nuper dedi istis 8 peditibus medium stipendium, florenos scilicet 12; Pograny autem ratione suorum stipendiorum florenos 4; Petro aurigae florenum 1 den. —. Reliquis vivimus, prout dietim possumus, quia magnae sunt expensae; praesertim in carnibus. Fruges ex seminatura importatae sunt, et decima in Hozwffalw; quarta Selyensis adhuc extra est. Sed et foenum importatur. Et de aliis cura agetur.

Misi pepones per Kery bonos numero 51; item alterius generis, angurias scilicet numero 12; item hodie mecz numero 32.

Nova nulla habemus. Et dominationem Vestram Reverendissimam diu bene valere optamus. Ex Selye 4. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül : Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Posonii.

LXXII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et felicitatem. Haec etiam cura accedat 1566. aug. 15.
hoc tempore ad alia. Heri miseram sciscitatum ad Wywar de Tartaris; responderunt, esse eorum magnam multitudinem circa Jazberyn, et meditari praedas et ignes usque ad montes istos; tunc etiam expectari, donec isthinc ad castra defluant omnes reliquae copiae cum Caesarea Maiestate. Unde ego nullo pacto hic tuto esse possum; scimus enim, quanta est velocitas illorum barbarorum, quibus neque nulla flumina obstare queant; praesertim nunc, cum Vagus tenui unda fluat.

Cogitandum est etiam aliud. Quis scit fortunam belli, et quo vergat. Si, quod avertat Deus, aliquid adversi accideret, nemo usque tutus erit; imo etiam in victoriae insolentia. Quia impossibile est, quod non divertat huc etiam aliqua pars exercituum. Tunc neque domus, neque viae erunt sine magno discrimine, ut fit in furoribus bellicis. Hic omnia sunt in horreis; nunc cura nulla est, nisi sola tritura, quam iam disposui. Parvo propterea usui hoc semestri tempore

hic esse possum; maius damnum esset, si quid accideret, quod in proclive est, et quod reparare non possemus. Rogo itaque, ut mihi liceat Posonii vel uno hoc mense esse cum hoc puero; interim rerum status apparebit. Nam nec somnum capere possum. Frustra est elabere, cum undique hostes ingruunt. Expecto a dominatione Vestra Reverendissima gratum et maturum responsum; instat enim periculum, et ignoscat huic meae sollicitudini, non enim in parvo vertitur. Jam quis hic interim futurus est, disquirendum. Equitibus pro uno mense stipendium dedi, et etiam peditibus Turociensibus, Misi etiam hominem ad Twrocz, ut victualia inde disponantur. Mitto pepones numero 37; sed pauci sunt boni, ii erant meliores. Ex Selye 15. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio Episcope Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi et Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Posonii.

LXXIII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1866, aug. 17. Salutem et felicitatem. Equites et pedites, quos habuimus, expedivi. Solutio peditum, quos coloni dant,

magna cum difficultate exigitur, non sine captivitate judicum, prout a Pogranio intelliget. Summa sunt homines contumacia. Acervi satis bono loco sunt extructi, nec alibi starent melius; tamen puto, quod non diu ibi permanebunt, cum ad multa tritico opus erit. Feria quinta proxime praeterita transivit isthac Magnificus dominus Stephanus Dobo cum suis gentibus, et dormivit in Dyaky. Obtuli ei domum hanc; sed parcere volens huic loco, illhuc se contulit. Tamen cum ibi non haberet bonum vinum, misi ei dono vinum uno cellario lagenario. Egit gratias, nam et pisces feria 6. ad prandium misi; et se commendat dominationi Vestrae Reverendissimae. Hodie expecto hic Reverendissimum dominum Transsilvaniensem; nam et Sua Reverendissima dominatio hac ad Owar transibit, et ut potero, melius excipiam. Heri vesperi venerat huc etiam Magnificus dominus Stephanus Dersffy, qui properabat ad Caesaream Maiestatem cum duobus kochy. Illi quoque misi pisces, panes, vinum, pepones et avenam. Egit gratias, et se dominationi Vestrae Reverendissimae commendat. Petii decem pedites Turocienses pro dominatione Vestra Reverendissima; detulit rem integram ad dominationem Vestram Reverendissimam. Quare dabit operam, ut eos secum habere possit; puto non negabit. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et diu bene valere. Ex Selye 17. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül : Ad manus proprias Reverendissimi domini Episcopi Agriensis.

LXXIV.

Verancsics Antalnak Grosutto Antal.

1566. aug. 21. Illustre et Reverendissimo Monsignor mio osservandissimo. Poi che le corti si sono ritirate, a basso noi non intendi, se non lamenti quasi de le nostre donne, quali temendo, che li mariti non morino in campo, ne rompane il ceruelo permesse di buon ventura, si accora de li soldati ventureri, quali rituornando dal campo si duogliono, che non si posso scuoter la fame. Per mia fè, che se Vostra Signoria Reverendissima, quale è il mio unico patron, non fosse a casa sua, gli tenerei gran conpassione, che la non morisse di fame in quello essercito, ma senza passione non sto, che per sua innata cortisia, volendo sodisfar alli bisogni de chi, se gli raccommanderà Vostra Signoria Reverendissima, doversi dela compagnia di Madrusa. Il quale facendo professione di lassar l' ambitione insieme con la corte, certo tanto è diventato leggiadro, sottille, et spirituale, ch' io temo, o che uscissa di cervelo, o faccia qualche mirabil novità; è al verde veramente non trova più chi incantar, ne con prieghi, ne lassa la sua corte.

In secreto, se Vostra Signoria Reverendissima intendessa, che Soa Santita havesse in comincio a rivocare la concessione del uso del calice, non si maravigla molto, ma s' allegri, che se si ritira, questo non s' andera piu oltra. Nel resto, e buone persuasioni l' inducono, che s' io fusse accosto ad un orechio

di Vostra Signoria Reverendissima, che gran nuovacita gli direi. Ma poi che alla guerra siamo; voi con arme, et noi con orationi attendiamo a questa hora, et se quella non è stata indovina questa volta de la presenza del Turco al essercito, non si turbi, perche l' astrologia vera non voleva, chel venisse, come speriamo, si dimostrerà in effetto chi violenta il celo pigliassi percossa. Fra facil cosa, che il prossimo sabbato habbiasse l' essercito intiero, che li Ferraresi corrono a tutta briglia. È opinione in Roma, che questa guerra non sera perfetta, se qualche delfino non sopragionge. Si dice, che l' armata Turchesia si spalma sopra Lesina ventura fu la mia, che non hebbi quel vescovato promesso a tanti. Prego Vostra Sinoria Reverendissima, si guardi dal male di le fritze, perche quest' autunno minaccia, che non syno buone. E noi pregaremo, che 'l Signor Dio vi manterighi sani. Vienna il 21. del Agosto (15.)66.

Di Vostra Signoria Reverendissima

fr. Antonio Grosutto mp.

LXXV.

Verancsics Antalnak Grosutto Antal.

Illustre et osservandissime patrone. Non per 1566. sept. 22.
dar nova a Vostra Signoria scrivo, perche il Reverendissimo Seminulla, tenente di Modrusa le narrera, sono le carotte, quali ne mandate dal campo, e sono

ben formate, poi che non haver che far altro, e piaccia al Signor Dio, che sia carotta. Anchor il pronostico, che si fa d' Agria accio non si dicesse, che è per la superstitione di Vostra Signoria, che non ha voluto celebrar le primitie fuori de la, a guisa che una gran donna (non dico di palazzo) del palazzo, la quale veggendo la corte lagrimosa per la perdita di Jula et Sighetto disse, eh ch' io mello divisava bene prima, poi che sto palazzo si governa solo per astrologia. Et in vero io non sò, che si voglia dire, che le columbe Vostre se ne stanno tanto manincoliche, et doi ovi ch' haveanno fatto, s' hanno magnato li rati, e non si puo conprendere de donde syno intrati. Con il Signor Cesare d' Evoli potra Vostra Signoria strologar cioche presaghino, pregamo a Vostra Signoria ogni bene. Vienna il 22. del Settembrio (15)66.
Di Vostra Signoria Reverendissima

fr. Antonio Grosutto mp.

Rilegendo la lettera m' aveggo, ch' io ho tralasciato il principal titulo di Vostra Signoria, cioe il Reverendissimo; et è stato, perche se mi rappresenta hora tutto armato in vece di Conte, non di Vescovo. Pardoni a la trascuragione mia. Per cosa non ho piu carta hora.

Kívül : Illustri et Reverendissimo domino Episcopo Agriensi, domino et patrono suo observandissimo.

LXXVI.

Grosutto Antalnak Verancsics Antal.

Ad Reverendum patrem Magistrum Antonium Grossutum.

Molto tempo è, che ho imparato quel proverbio, che l' avaro spende vice piu, et il pigro fa camino, che il liberale et sacente, esser usitatissimo à tutte le nationi, si come hora à me è accaduto nel rispondere ad una Vostra. A la quale mentre differisco à dar raguaglio, mi sopragiunge l' altra per il monsignor Modrussa. Et tuttedue tanto piacevoli et piene di misteriose metaphore, che meritavano la risposta piu diligente et piu sottile, che il mio ingegno possa. Ma perche la cortesia Vostra verso di me sempre fù tale, che cosi fatti mancamenti miei non castighera giamai con la pena capitale, sarà contenta perdonarmi anchora questo. 1566. oct. 8.

Però le Vostre donne, che sono lasciate da loro mariti per la presente guerra, parmi, che si lamentino à torto, essendo sempre ne loro potere di smaltire tutti gli avanzi de le mercantie loro, ò habbiano li suoi mariti appresso, o di lontano, come lo sanno ben quelli, che con esse fanno li traphichi di legno santo et di mercurio.

De li soldati venturieri, che ritornino à le loro rive da questo campo, non sò, che vi debbia dire. Ma certamente è da meravigliarsi, che tutto il resto de

le genti, che qui sono, spogliuo il tutto per li contorni de poveri nostri contadini, à cio nescium trattenimento de le vittuaglie trovino i nemici, se venissero. Cosa però, che non faranno, fino che si impadronischino di tutto il restante di questo nostro paese à loro piacere, per non haver contrasto da nasciuna parte, li venturieri non si sappiano prevalere de li granfi, et de le ratte loro, salvo se fossero da Catholici per convertir à miglior fede le infinite turme di heretici, che qui adesso sono concorsi; non sò, se a dar le pene, ò per riconoscersi. Il che pur adesso dovrebbono fare parte per li danni, puoco fà da li Turchi ricevuti; parte per il fuoco d' altro giorno, che fù prodigioso, et abrugiò tutta questa città di Jaurino, et parte del campo nostro Ongaro, del quale liberamente potemo dire con il Propheta: „Exarsit ignis in sinagoga haereticorum, flamma combussit peccatores."

Io per insino à qui stò assai commodamente, ò sia in casa mia, ò di fuori; et penso, che se adesso da vero fussi in casa mia, starci piu sollecito, che qui sono.

Ne trà questo mezo aiutando tutti li bisognosi, li quali mi si riccommandino, e d' havermi compassione, che non rieschi de la compagnia del Modrussa nostro, insino a tanto, che io possa dare. Et lui essendo già pervenuto al verde, come dite, credo che hormai è arivato al fine dele sue ambitioni, poi che passati i secchi de li bisogni, che per adietro lo premevano, adesso andando a Roma con reputatione di certi nuovi favori di Soa Santità nostro Signore, et maneggi de la Maestà Cesarea, pare, che la sua verdura gli apporterà frutti di luce, di honore, et di facultà, et faccilo il Signore, acio li ci possiamo congratulare, et

vedere, che tanti suoi prothei alfine sieno stati redutti, et fermati ne l' uno desiato.

Ne del voler, che ha Soa Santità, di rivocare l' uso heretico del calice in pristinum Catholicum, mi meraviglio, anzi summamente mi rallegro, et Signor Dio havesse voluto, che la Santità del passato nostro Signore fusse stata di mente del presente sopra di ciò. Et penso vi raccordate, che piu volte vi hò ragionato, che con le santissimi dogmi, et con le lodatissime traditioni Catholiche, non si lasciassero al giuoco d' huomini senza spirito, et che curano le private cosene pensino più de le Divine, che tanto, quanto faccino al profitto de le ambitioni et grandezze loro. Ne è bisogno, che la mia orecchia vi fusse adesso piu appresso. Sò, quello vorreste dirmi de le novaccie di alcuni, de quali, quando semo insieme, spesso ragioniamo. Ma Iddio pardoni à tutti diagli miglior spirito; cessentque professionem Catholicam cum haeretica iuxta habere; nec gestent pallium hypocrisis à danni de la Santa Chiesa d' Iddio, et al suo puoco honore, et menor giovamento.

De la presenza de Turco, ho gia creduto, benche qui si ragiona in dui modi; chi ch' e partito per Constantinopoli, et chi ch' egli e morto. Di che noi ci rallegramo et pensamo, non sò che, se la stagion del tempo ne servirà. Pure Iddio Signore ci liberi dal suo flagello. Perche noi non siamo bastanti contra la sua mano con le nostre tanto impure. Et perche esso nostro nemico violenta i cieli, diagli Signor Dio la percossa, et castighi anchora quelli, che hanno dato causa, si come à tante sue vittorie, cosi anchora à li nostri danni.

Di che Delfino m' havete scritto, non capisco à

sufficienza. Ma qui siamo persuasi, che il nostro e partito da Roma, et viene à rivedere noi altri suoi servidori. Signor Iddio gli dia buon viaggio, et lo conduchi salvo.

Le gallere Turchesche, spalmate in Lesina, tentata l' isola de tremidi, et fatto paura à Ragusei, et à certi luoghi Venetiani, dicesi, che erano tornate à li suoi mari; ma hora si hà fresca nuova, che tornino per castigare gli Albanesi. Cosa, ch' io non credo; perche non e piu da trescare co 'l mare, et l' asprezza dela Cimera vuole altri ucelli, che quelli, volano per le onde.

Del vescovato promesso à tanti, e tanti insino à questo tempo, quando intesi, assai mi meravigliai, perche la persona Vostra merita molto maggiore, e tale, che per luoco anchora le fusse stato al proposito. Lasciatelo dunque andare, et preghiamo Dio per la vita longa de la Santita del presente nostro Signore. Ne dubitamo, che harra presto cura di Voi. Benche posso ben mervigliarmi, che fin' a questo tempo non l' habbia havuta, per esser tutti mortali, et meritando la servitù Vostra, quale da tanti anni fate à la Santa Chiesa, sine improperatione tardioris remunerationis.

De le frezze non hò paura, perche tengo buon riparo à la sicurtà mia, che nesciuno di questi, con quali siamo venuti à questi frontiere, tiene conto di andar tentare il suo signore. Pure Voi, Padre mio Reverendo, non tralasciate di pregare per noi. Perche veramente havendo noi di qua posposto la invocatione di Maria, et gridiamo Giesu à meza bocca, et con lingua molto languida; considerate, quanto saremo bastandi à pregare per noi stessi. Ma Dio volesse,

che prima havessimo cura del Regno suo, et poi ci armassi contra questo tiranno et inimico commune de la gente et fede nostra, sentendo et dicendo tutti il medesimo nela professione Catholica. Et questo habbiate à la Vostra prima.

À l' ultima, vorrei molto prontamente, di potervi dare il desiderato raguaglio, ma essendo tanto misteriose, che di gran lunga passino l' altre, penso far meglio, se le risponderò in brevità. Ne bisogna parlare de le carote del' amico, ma ben conoscer quelle, et schifare l' assagio di esse. Et se cosi fatte vi andiamo costa da questo campo; dovreste contentarvi de la sentenza comica, quando facciamo, quello potemo, non potendo, quanto vorriamo.

Ne del pronostico d' Agria dubitate punto, se il presente suo maggiordomo l' harrà in cura piu à lungo. Il quale non emendato per il caso di Giula et di Ziget, dale heresie et impietà horrendissime, de quali tenevano professione i loro tutelari, corre à tutta briglia di fare il peggio, et di acrescere il sdegno d' Iddio contro à danni di quella Chiesa.

Scrivono di li i miei, che havendo la occasione di estinguervi il culto Divino, non solamente ha empiuto la detta Chiesa de diverse sorti de vittuaglie et munitioni, ma rovinati appresso gli altari, tagliate in pezzi le imagini de loro, destrutti i libri de graduali et antiphonari con gli altri insieme, rubati anchora i vessilli et li picchi de le campane, ha etiamdio escluso tutti gli preti dal santo choro, et vietato, che ne anche venghino à vedere tanto obrobrio del sacro tempio di Dio, et de la casa di oratione. Aggiuntovi appresso biastemme, et inauditi scorni contro à la messa, ch' ella puzzasse di maniera, che non volesse

esser frequentata che fusse, che fusse castrata per certe cagioni, che non si potrebbono mentovare, et al fine, ch' ella fusse incatenata, ne le restasse altro, che la sentenza de l' ultimo suplicio.

Per tanto vediate, padre mio, come la matematica di alcuni non debbia riuscire al suo effetto. Quando gia Tokai anchora è assediato dal Transsilvano, in compagnia de Turchi et di Tartari. Lo quale conservi Iddio. Ma se li accaderà caso alcuno, series vexabit Agriam et Cassoviam, et vi si haveranno nuovi travagli, questi de qua non ben anchor' assettati.

La superstitione di voler celebrare le mie primitia ne la mia chiesa, non è supertitione, ma devotione da li nostri padri à noi emanata et scesa. Pure io in buona parte accetto questo passo de la Vostra satiretta, con promessa di contentar subito li sollecitatori miei di questo mio debito, che sarò al ritorno da l' intrico di questa guerra.

Ma di quella donna lagrimosa, non di palazzo, da palazzo, veramente non intendo niente; salvo se qualcuno si facesse matematico, et non fusse; cosa, che accade spesso à li vantatori. Et di ciò mi rimetto.

De li colombi miei, tanto manincolici, et de le uova loro mangate da li ratti, è un stroligare molto difficile. Penso però, che vi sodisfaro, se dirò, che disperate de la gratitudine di coloro, ali quali soglio fare di appiaceri. Ma sia quello, che vogliate, pur che li mali ratti del Solimano non ci ingombrino il nido d' Agria, et le uove sue.

Di haver tralasciato il titolo mio del Reverendissimo et del' armato vescovo in vece di conte, saria da dire, se io fussi fatto miles gloriosus; ma et voi havete buon tempo, giudicando dal porto il corso de

le navi d' altrui, nel' alto mare. Et io che con questi nostri altri monsignori siamo venuti in qua, non per spander sangue de mortali, ma che salviamo il nostro gia imbianchito et raffredato per la strenuità, che dimostrassimo questi di passati sotto Alba Regale; non restamo però di tenere il modo, lasciando i fatti, chi di noi meglio sono armati, et basti, che ancho le nostre arme si veggono nel tropheo sotto li nostri padiglioni, non sopra noi, quali puochi mesi fa, facessimo la confessione, non per morir in guerva à cavallo, ma nele case et nostri letti.

Il che Signor Iddio ne concieda, et Voi salutate da parte mia il Signor Cesare di euoli, se sarà costa, perche anchora qui non l'ho veduto. Et quando verrà per appiacer Vostro et contento mio, stroligherò molto volontiere con essolui, di quanto mi havete ricercato. È singolare et virtuoso, et nobilissimo gentil' huomo, e tanto piu gli sono affettionato, quanto è instruttissimo de li miei, et de la casa mia.

Ne al presente vi scrivo novelle, perche dopo molt' altri, forse la nostra etiamdio compagnia si sbanderà, et di curto saremo insieme, ove ragionaremo à nostro piacere. Et se mi dimandate, che animo hò di ritornare da questo mare? — sappiate, che homai vorrei esser con Voi, per non aspettare qui il resto dei flagelli di Dio, dopo quelli di spada et di fuoco. State sano. Dal campo Cesareo sotto Jaurino ali 8. di Ottobre del 1566.

LXXVII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

1566. oct. 14. Ad binas litteras vestras 23. Septembris et 2. Octobris datas serius respondeo propter angorem animi, quo maxime turbor ob statum praesentium rerum huius Regni minime laetum, et tam tristem, quam prope iam deploratum; nisi adhuc aliquam Deus misericordiam nobis reservaverit, velitque ultimis aerumnis atque angustiis nostris miraculose succurrere, ut qui solus sit qui percutit, et sanat, deducitque ad inferos, et reducit, necnon humiliat et sublevat.

Giula enim ac Zigeto cum XII Comitatibus, qui tertiam ferme partem reliquiarum huius Regni complebant, erantque nostrae potestatis, amisso, depopulatoque ex hac parte Danubii, respiciente Noricum, toto eo tractu, qui ab arce Babocia ad Papam usque, in superioribus vero partibus, quicquid amnes Zagyva, Beregh, Hernandusque, et Muranienses saltus silvaeque includunt, supra LXXX millia animarum (uti nunc loquimur) in captivitatem abegerunt; nobis autem etiam nunc in his castris ad Jaurinum positis, inaniter tempus terentibus, et nescio, quas opportunitates expectantibus, quas vix iam ingruente hyeme, tot incommoditatibus comitata, nobis concedent. In dies interim omni genere militum ex his castris dilabente, iam Joannis quoque filius cum Transsylvanorum circiter V, Turcarum vero et Tartarorum

XXIIII millibus arcem Tokay obsedisse dicitur. Quae quanto praesidio instructa sit, non credo admodum sufficienti, ac necessario. Sed quum Lazarus etiam Sfenda aegrotet Cassoviae, et vix habeat apud sua signa IIII millia Germanorum, Hungarorumque nostrorum simul; videatis, quam sit suffecturus, et arci Tokaynae succurrere, et inibi tueri reliqua. Unde quantum metuam etiam Agriae et civitatibus illis liberis, ac Gabrieli Perennio, consideretis.

Quare merito, et istic omnium (uti scribitis) animi conciderunt, et maeror, tristitia, timorque universos occupavit. Quia in toto etiam Regno nulli mortales sunt nostri generis, qui non a spe et a fiducia, ad quam initio expeditionis huius erecti fuerant, iam adesse tempus resurgendi a tot malis, exciderint. Nec tamen ulla succurrit ratio cuiuspiam remedii, nisi deiecto capite spirituque Deo commendato, casum atque interitum expectare, quicunque et undecunque ille inferatur. Haec ad priores vestras succinctius, paulo post prolixius, aut cum cornucopia, quando una fuerimus.

Vos tamen interim diligentius attendatis ad obsidionem Tokaynam; quae si (quod evertat Deus) cesserit hostibus prosperior, metuendum erit mox et civitatibus illis Cassoviae, Eperiessio, Barthvae, Cibino, Leucioviae, ac Sepusso, et consequentibus Comitatibus ad Turocium nostrum, in pedemontanis Carpati sitis. Ideo tempestive hoc casu et Petrum, et captivos nostros Posonium curabitis deducendos, si forte hic me diutius trahere moram contingeret.

De excessu Nicolai Zriny honoratissimo, deque Ladislai Kerecseny deditione turpissima, Giulaeque et Zigeti obsidione, oppugnationeque potentissima, paulo

post, quum rei totius perspectius successum fuero assequutus, scribam ad vos solita mea diligentia.

Ceterum ne hoc quoque ignoretis, allatum est ad castra, Lazarum Sfendam potitum fuisse arce Zardvaar, quae Emerico Bebeccho unica fuerat facta reliqua; ipse vero ad Joannis filium, ad Turcasque profectus adhuc fuerat tempore, coniuge quoque illi relicta, cui Zard cessisset. Et ita eam etiam dicunt in potestatem venisse Sfendae. Sic adhuc mirabili modo Regni huius fortuna agitatur, totque in locis premitur, ut putem, hoc tandem tempore, aut omnino collapsuram, aut rara quadam Dei providentia novum quendam ortum sibi facturam. Faxitque Altissimus, ut deficiente virtute nostra, Divinam sentiamus, et resurgamus. Bene valete. Ex castris Caesareis ad Jaurinum positis 14. Octobris 1366.

LXXVIII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. oct. 26. Salutem et omne bonum. Heri accepi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae per Blasium datas, in quibus aperte intellexi magnum animi angorem et cordis dolorem, ex rebus huius temporis deploratis. Domine Reverendissime; quid opus est angi et cruciari in rebus a Deo mirabili mysterio ordinatis? Putatne Deum suam Ecclesiam deseruisse ideo, quod hostos exultent? Minime; sed mortificat, ut vivificet. Qui namque negligunt eius mandata in libertate

Christiana; complent ea in captivitate Turcica: adeo ut doceantur etiam inimicos diligere, ut vi tracti salventur. Turcae crescunt in numero, non in merito; nos non in numero, sed in merito, sicut stellae coeli et arena maris. Nulla secta tamdiu, cum tanta astutia diaboli, duravit, ut ista; nec ulla tam copiose coelum replet, sicut ista. Nam astutiae daemonis semper Divina sapientia in suam perniciem retortae sunt.

Proinde dominatio Vestra Reverendissima accipiat res, ut accidunt; accommodet se Dei voluntati, nec tamquam terrena solum sapiat; sed miretur Dei iudicia; cuncta nihilominus ad fidelium salutem faciat, et dicat, ut fiat eius voluntas. Ea iam aetate sumus, ut diu vivere nequeamus; et terrena cogitamus? Absit; sed semper parati simus ire ad Dominum. Sit terra vel tota infidelium; nos aliam civitatem habemus, Sanctam Hierusalem.

Sed de iis satis, et multo plura, quam mihi competat ad Episcopum.

Ubi autem Turocio suo timere videatur; puto, frustra timeri hoc anno; neque adhuc eo processerunt hostes, nec processuri sunt iam instante hieme. Aiunt, eos esse occupatos in obsidione castri Thokay una cum Transsylvano, quem narrant esse deploratissimae valetudinis ex morbo colicho. Si quid autem periculi intellexero, admonebo Petrum, ut recurrat huc. Certe mallem, ut illi captivi essent hic, quam ibi, et non deest locus ad custodiam in tam munita civitate; quia sunt in manibus hominum pauperum.

De arce Zardurat recepta nulla talia nova habemus; quam aiunt inexpugnabilem, nisi sola proditione, quoad nos dico.

Fracassum habeo, ut iubet dominatio Vestra Reverendissima, qui iam convaluit, et vestivit se rubea

carisia; de pellicia vulpina curabo, si fieri poterit; sed quotidiani sumptus hic me exhauriunt. Vestivi istos duos pueros, qui nudi erant. Et ego indigerem nonnullis, sed tempus expecto, et transeo, ut melius possim.

Fructus praeter nuces nulli omnino sunt. Semellas mittere saepius curabimus. Pocula tamen duo christallina misimus. Bullae aureae nec habui, nec habeo copiam. Et profecto esset nunc commodum inquirere de illis vineis. Sed pereunte Regno, pereunt et omnia alia.

Porro Leo et Martellus bene valent.

Interim accersitis equis meis visitabo Selye, et videbo seminaturam et alia; mox redibo, si adhuc timendum fuerit; verum si fluvius ille intumuerit, ero diutior ibi. Eget enim cura locus ille; vita tamen hominis pluris est, atque adeo propinqui. Dominatio Vestra Reverendissima curam habeat valetudinis, ut in tali loco ante omnia frigus non admittat autumnale, nec aerem, si fieri poterit; nocent haec inexpertis. Et certe satius esset, ut Praelati cum suis sacerdotibus instarent potius orationibus et sacrificiis in suis ecclesiis, quam in castris desides et inutiles; oratio namque gladio fortior est. Dominatio Vestra Reverendissima diu bene valeat una cum omnibus suis. Ex Posonio 26. Octobris 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio, Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc.

Domino meo observandissimo.
In castris.

LXXIX.

Maximilián királynak Verancsics Antal.

Ad Sacram Caesaream Maiestatem.

De calamitatibus Ecclesiae et Cleri Agriensis.

Litteras Capituli mei Agriensis de calamitatibus suis sane iam extremis et diutius vix toleratu possibilibus, quas ad me recens dedit, Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae, in hoc suplici meo libello descriptas humillime exhibeo, ut clementer videat, quo et quam misero statu ea nunc Ecclesia gubernatur. 1566. dec. 27.

Nec video rationem, cur velim, aut debeam longiore oratione tam horrendam prophanationem ipsius meae Ecclesiae Agriensis, ministrorumque illius, ac meam, et Catholicae, religionis oppressionem apud Caesaream Maiestatem Vestram exaggerare, postquam a triennio iam assidue queror et supplico, nec tamen exaudior, putemque nunquam illum Ministrum Maiestatis Vestrae Caesareae tanta fuisse ausurum, nisi inde et audaciam et licentiam usurpasset, unde tamdiu sustinetur, dudumque cohiberi debuisset; ut, qui et in Divina vim suam sacrilegam extenderit, et diploma defunctae Maiestatis Caesareae, optimi et sanctissimi Principis, temerare, violareque praesumpserit.

Quare quum haec res sic sese habeat, omnisque eius potestas in manu Vestrae Caesareae Maiestatis est, ne fiant huiusmodi, eiusdem benignitati omnia committo; humillime supplicans, dignetur, ut Impe-

rator optimus et maximus, immo et quo tanta etiam Christianitas allevari sperat, sic eidem Ecclesiae meae iam a Magochy conculcatae, adesse auxilio, ut malum eius longius non procedat, et Divinus cultus in eam restituatur, clementerque et hae sequentes litterae fratrum meorum intelligantur, et mihi, ipsisque simul gratiosum responsum detur.

Melléklet : Reverendissime Domine etc. Quamquam summa observantia, et obedientia debita, ac fidelitas hortabatur nos, ut tandem aliquando litteras nostras ad Eam de variis oppressionibus nostris, et de violentia rerum nostrarum, ac etiam de religionis cultusque Divini sublato ministerio daremus; tamen frequentes Tartarorum excursiones, depopulationes, caedes, incendia, ac demum instantis vindemiae cura, et servitii nostri pensum remoraverunt, inque diem praesentem reiecerunt.

Nunc igitur aliquanto liberiores facti, et omissa loci huius ancipiti fortuna, rerumque nostrarum direptione, et de sacris locis plus quam ethnice prophanatis, extinctoque Divino cultu, quod solum facere possumus, lamentamur. Quum in hoc populo non sit, qui vicem cultus Divini accendat, doleat, sive curet; tantus est hominum aversorum stupor, immo impietas, quasi nullus esset Deus, qui ab hominibus in illum finem conditis, iam coli velit. Erepta et clausa sunt hic templa Domino dicata; sacrificii pro humano genere peracti celebratio interdicta; laudum Divinarum continuatio intercepta, sacramentorum canonica administratio sublata; campanae mutilae et mutae redditae; altaria in ecclesia cathedrali et Sancti Michaelis perfracta; reliquiae altarium extantium effossae;

imagines Crucifixi, Beatae Virginis et Sancti Joannis in summo altari ferro vulneratae; libri Ecclesiae dilacerati et disiecti; vexillum furto ablatum; suggestus concionatorius, locus fontis, et aquae benedictae lapis excisus, confractusque, et disiectus in ingressu templi; insigne quoque Reverendissimae dominationis Vestrae ex cathedra sua derasum; consistorium Capitulare clausum; breviter unius cervicosi amentia et perfidia adeo sunt omnia perturbata, deformata et destructa, ut iam hic populus non habeat, quo se Christianum iactet, nisi verba vana. Pii Catholici odio habentur, et damnis ex levi etiam ac iniqua occasione vexantur, et tota adversariorum tragoedia in paucis sacerdotibus, Reverendissimae dominationis Vestrae capellanis terminatur. Quos (Deum immortalem) et quot excogitatis commentis, et compositis rumoribus ac terroribus, fugare tentaverunt, ut suae nequissimae persuasionis fraudes et rapinae melius procederent.

Sed quum iam vident terraculamentis non proficere, et hostem retrocessisse ab oppugnatione arcis Thokay, dilapsum ab Giula exercitum; iam sunt quietiores, et praesertim antesignanus ipsorum, qui vina sacerdotum vindemiata velle se eis refundere, si quis vilia pro generosis accipere velit, praedicat. Nam in specie, sive eadem, quot de nostris vineis collegit, nec dat, nec offert; modos tamen quaerit, quibus iniurias et damna sacerdotibus illata integrare possit. Verum interim fiunt ista, Reverendissime domine, et in templum Domini, et in Capitulum Reverendissimae dominationis Vestrae; quia non est fides in hominibus; alias non laboraremus. Et talia non sustinentes, omnem spem nostram et expectationem in Eius patrocinio collocavimus, per quod etiam (Deo Omnipo-

tente adiuvante) liberari postulamus. Agriae VI. Novembris 1566.

Copia trium articulorum transactionis cum Episcopo Agriensi factae, qui domino etiam Magochy ad observandum iniuncti sunt, nec eos tamen adhuc vel in parte observavit.

3. Imprimis autem cautum esse volumus, ne ullo pacto in ecclesiastica et spiritualia negotia, religionem, ritus ac ceremonias se ingerat; sed eas partes tanquam a se longe alienas iis relinquat, quibus ex officio et cura incumbit. Ipse defensioni tantum et custodiae Agriae, reique militari, ac gubernationi sibi commissae sit intentus, intraque sui muneris metas se contineat.

4. Notum itaque esse volumus Magochio, nos omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam cum jure Patronatus, sicuti iam antea a nobis donatam habuit, Reverendissimo fideli nobis dilecto Antonio Verantio Episcopo Agriensi, super omnia bona ecclesiastica, ac bona et jura possessionaria dicti Episcopatus Agriensis, integram eidem reliquisse. Volumus igitur, ne Praefectus noster vel donationibus, vel libertationibus, vel relaxationibus, vel similibus aliis quibuslibet titulis, praedicta bona et jura ecclesiastica distrahat in illius et Ecclesiae suae praeiudicium.

13. Commissam sibi praeterea putet Magochius defensionem Episcopi et totius Cleri Agriensis per totam Dioecesim Agriensem, ac religionis Catholicae, juriumque et bonorum possessionariorum eiusdem Episcopi et Capituli; edictumque itidem, ne in oppido

ipso Agriensi, neve in pagis totius vallis Agriensis, villisque Agriae contiguis, in quantum id fieri poterit, concionatores et magistros scholarum haereticos teneri foverique patiatur, neve statum Agriensem, quam receperit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

Porrectus est hic libellus 27. decembris 1566.

LXXX.

Oláh Miklós esztergami érseknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Strigoniensem.

Miras novitates exitus anni proximi 1565. (így) 1566. dec. 28.
attulit nobis; primum enim ad subitas mortes Summi Pontificis; deinde trium Supremorum Cancellariorum Bohemiae, Archiducumque Ferdinandi et Caroli supervenit, et de Cardinalis Delphini obitu non infrequens, quamquam nondum etiam certus rumor. Ceterum ne minorum hominum casus maiorum non comitarentur praecipitia, noster quoque frater Augustinus Leleszіensis Praepositus heri circiter noctem hora quinta epilepsia ictus repente est exanimatus, et sepultus hodie. Ego similiter correptus die insequenti natalem Domini, inflammatione renum, nunquam alias simili cognita, adeo viribus corporis redditus sum impotens, ut pedum etiam destitutus officio lectum assidue urgere cogar. Idque solum causae de insperato mihi accidit quod hactenus me hinc recipere

nequiverim. De his autem, quae Summus Pontifex dicitur egisse in extremo excessu suo, Reverendissimae et Illustrissimae dominationi Vestrae inclusae litterae Roma allatae declarabunt. Reliquum est, precor Eidem annum hunc novum felicissimum, et incolumitatem quam diutissimam. Viennae 28. Decembris 1566.

LXXXI.

Cromer Márton ermelandi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominun Martinum Cromerum.

1566, dec. 31. Misi Reverendae dominationi Vestrae litteras domini Zagrabiensis, qui quoniam pestis grassatur Zagrabiae, penitius dicitur in Croatiam recessisse. Idque erit in causa, si haedem litterae serius redditae et mihi et dominationi Vestrae Reverendae fuerint.

Ego posteaquam rescripsi ad Suas, quas ad me dederat Cracovia Septembri 28., nihil omnino ab Eadem litterarum accepi. Cogitoque interdum aut easdem litteras meas intercidisse, aut Eandem tam longe a Cracoviensi urbe discessisse, ut serius etiam nomina nostra ad Eam pervenire possint. Et sane cupio mirifice aliquid iam tandem intelligere tam de statu, quam etiam de incolumitate Sua. Hinc autem quod nunc ad Reverendam dominationem Vestram novarum rerum scribere possim, non admodnm occurrunt multa, sed insignia. Sublato enim ex hac vita Summo Pontifice Pio IIII.; tres quoque Cancellarii Bohemiae,

Archiducumque Ferdinandi et Caroli, clementissimorum nostrorum Principum, dignissimi viri, Joachimus de Nova Domo, Erasmus Haydenreich, et Leonhardus Pylerus, uno atque eodem ferme tempore, et subitis casibus decesserunt. Habemus rumores et de Cardinale Delphino interfecto; sed incertis authoribus, ideo nondum est eis creditum. Nos ad kalendas Februarii Comitia Posonii habebimus. Nec nunc occurrens aliud, Reverendae dominationi Vestrae precor hoc novo anno omnia felicia, incolumitatemque quam diutissimam. Viennae ultima Decembris 1566.

LXXXII.

Maximilián királynak Verancsics Antal.

Humillima opinio Agriensis de officiis distribuendis.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, 1566. végén.
Domine domine clementissime. Difficile est, hac penuria virorum in Hungaria, statuere, quinam ex iis Magnatibus, qui nunc supersunt, primum in Supremum Capitaneum Cis-Danubialem; deinde in Judicem Curiae Regiae; postremo in Magistrum Tavernicorum, in Capitaneum et Comitem Comaromiensem assumi et idonei haberi possent. Nam quum alios graves aegritudines reddunt imbecilles, alios aetas iuvenilis non admittit, pluresque intenti studio et sollicitudine rei familiaris ac privatae curam Reipublicae aversantur; vix ulla certa ratione ac secure de hoc delectu pronunciare queo.

Verum necessitati inserviendo, dominum Comitem Ecchium et dominum Franciscum Tahy, hoc est alterum ex eis, pro clementi Caesareae Maiestatis Vestrae voluntate Supremo Capitaneatu dignum esse censerem. Uterque enim diu iam cum laude exercet studia rei militaris.

Ad officium Judicis Curiae Regiae dominus Merey aptus mihi esse videretur, propter et legum Regni peritiam, et iudicii, consilii aetatisque maturitatem; si modo Locumtenentia Palatinali carere voluerit.

Interim tamen dominum Gabrielem Perennium existimarem esse requirendum, ne se neglectum fuisse lamentari posset. Et si quaedam defectionum suarum notae illi non obstarent, velletque crebrius esse in curia, peridoneum fore arbitrarer, quod et genere et opibus et authoritate polleat.

Si vero dominus Perennius hoc officium recusaret, et dominus Merey assumeret, Locumtenentia Palatinalis commode conferretur in Magistrum Damianum Prothonotarium, boni nominis et sufficientis legum peritiae virum.

Neve dominorum Baronum veteres familiae praeterirentur, ad officium Tavernicorum Magistri dominum Stephanum Banffy censerem esse promovendum. Verum si is id honoris ac muneris subire nollet, domino Stephano Doboni dandum esse iudicarem.

Honore autem Comitatus Comaromiensis semper hactenus, uti audio, potitus est ille, qui fuit Supremus etiam Capitaneus Comaromiensis, ut non ita pridem Joannes Paxy. De cuius honoris collatione quid debeam dicere, non satis scio; postquam dominus Chylimanus eo nunc fungitur.

In Capitaneum vero Nazadistarum probarem

eligi dominum Simonem Forgach; quamquam probaretur et dominus Jo. Balassa; et dominus Zay, si Cassoviensi vellet cedere, cum alias etiam praefuit huic officio, et didicerit modum in cognoscendis technis Turcicis, servandisque exploratoribus.

Haec modo de his visa sunt pro conscientia.

Humillimus Agriensis mp.

LXXXIII.

Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök.

Quicquid in me contulerit dominatis Vestra Reverendissima, immortalitati suae conferet; ego interim curabo, ut perpetua seruitute mea me tantorum beneficiorum indignum haud praebeam. 1567. mart. 6.

Semioppositio Lunae ad Martem, qui prope septemtrionem versabatur in figura oblationis factae, id praesagire videbatur, quod scripseram. Sed ad noctem formari feci figuram, et inveni in ipso oriente Jovem cum capite draconis, qui in revolutione legationem et honorata itinera promittebat; Mercurium et Venerem prope nonam domum, quae ad itinera spectat, coniunctos in ipsius Mercurii domicilio, qui et solem recipit. Quibus aspectibus gratiam maximam, cum armigeris principibus ac delicatis personis, dominationi Vestrae Reverendissimae promitti non ambigo. Cauda tamen draconis in septima ostendit contradictiones non modicas in actionibus dominationis Vestrae Reverendissimae affuturas; sed caput cum

Jove omnia impedimenta tollet. A collera maxime caveat dominatio Vestra Reverendissima, quae unica sibi in hoc itinere nocere poterit; felicissimi tamen successus omnino sperandi. Ego cras purgationem sumam; et crediderim Deo auxiliante convaliturum. Interim me dominatio Vestra Reverendissima commendatum uti et semper velim et opto.

Eiusdem dominationis Vestrae Reverendissimae
deditissimus servus
Modrusiensis mp.

LXXXIV.

Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök.

Reverendissimo Monsignor, signor mio observandissimo!

1567. martius végén. Non so da che spirito mosso M. Pasqualino nostro mi habbia scritto l' inclusa letera; ne so quello ch' io m' habbia da risponderli : perho la mando a Vostra Signoria Reverendissima, accioche la uegga, et si contenti di farmi intender, quanto ho da far.

Quanto a le difficolta de l' attioni di Vostra Signoria Reverendissima di quest' anno, de quali parlaua hieri, quel signore sappra, che non tutti che sanno calcolare, sanno giudicare. Quell' oppositioni nele Natiuita significarebbono in universale, quanto diceva egli; ma bisogna avertire a gli altri aspetti aiutanti, che ne le rivolutioni altramente significano

non solo i pianeti, ma ancho i segni et siti celesti. Come per essempio vediamo di Saturno, il quale in una Nativita risposto in stettimana, mostra nemicitie de potenti et religiosi, et nella rivolutione significa prosperità ne matrimonij. Cossi la Luna nelle Nativita posta in quinta significa copia de figlioli, et nelle rivolutioni mostra legatione utile. Hora guardi Vostra Signoria Reverendissima quello, che li possono nuocere; quelli aspetti de quali si parlo, massime havendo Venere con Mercurio congionti in casa delli amici, ricevuti da Giove nella sua essaltatione, et essendo egli parimente ricevuto nella propria casa da Venere, et essendo Saturno guardato di sestile da Mercurio, il quale lo riceve in propria casa. Significa bene questa oppositione quello, ch' io disse et scrissi gia a Vostra Signoria Reverendissima. Male cio è a gli occhj, ne puo essere, che non habbia qualche difficolta con l' operationi sue, ma per le sudette cause tutte fieno superate, percioche finalmente i luminari non nocciono l' uno a l' altro; et le receptioni de pianeti fanno tanto, quanto si ciascheduno fosse in sua casa propria. Ne mancho da temere il pericolo de la caduta d' alto; perche Marte e recevuto da Venere in casa, et dalla Luna nell' essaltatione, et da amendue guardato di sosta; il qual aspetto è tanto benigno, che mitiga et atorra ogni altra mala dispositione de cieli. Et vegga Vostra Signoria Reverendissima, ch' 'l mio giuditio è vero; poi che per propria virtu, et non per altrui, promotione vien mandata in questa legatione; et vegga, che difficolta gli ha fatta quella oppositione tanto temuta da questo signore, ch' altra non è stata, che 'l darle collega, ilqual sarà poi tutto pendente da lei, et finalmente uscira in tutto et per

tutto il mio ginditio vero. Cosi Dio feliciti Vostra Signoria Reverendissima; a la cui buona gratia mi racomando

servitor obligatissimo
Il Vescovo di Modrusa mp.

Kívül: Al Reverendissimo Monsignor Illustre Vescovo di Agria etc., mio signor osservandissimo.

LXXXV.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Strigoniensem Nicolaum Olahum.

1567 apr. 1. Ab adventu meo Pragam, quod Reverendissimae dominationi Vestrae nihil scripsi; ea causa intercessit, quod nihil tale scribere potui, quod Eius dignum fuisset auribus. Tanto enim omnia hic geruntur silentio, ut raro aliquid ad privatos rerum perveniat. Illud duntaxat his diebus allatum esse, Regem Scotiae una cum patre sublatum fuisse, regia sua subditis ignibus conflagrata. Nec adhuc certum est de authoribus. Quum alij rumores de Regina, alij de quibusdam proceribus suspicantur, ob iniurias gravissimas, quas et in hos, et in Reginam dicitur contorsisse.

Belgium etiam magnopere laborat gravibus tumultibus ob religionem concitatis. Adeo ut Bruxellis templum Divi Francisci, quod amplissimum et pulcherrimum, simulque ditissimum fuisse aiunt, die

XVII. mensis Februarij subito et validissimo arserit incendio a nocte media ad ortum solis; non sine et dolore et terrore universae multitudinis civicae. Quid contra haec Philippus Rex meditetur? Notissimum est, quod vindictam sumendam de Dei hostibus; quum iam per totam Italiam, et per omnes ditiones delectus conscribant. Dominus Deus sit cum illo, et juvet illum sua dextera; postquam non patitur opprimi Catholicam Ecclesiam.

Hic prope dominicam vel septimanam Sanctam diaeta dilata fuit ad dominicam „Quasi Modo“; speroque, quod brevi finient, idque pro voto Caesareae Maiestatis.

Quid de me agatur; Caesar adhuc silet, vulgus maxime garrit, ego trepido et metuo a provincia expectans, quid velit Dominus, qui imperat.

Reliquum est; dominus Lysthius a triduo nonnibil aegrotat. Et ego peto, ut meo silentio parcat, et feliciter valeat. Pragae prima Aprilis 1567.

LXXXVI.

Dessewffy Jánosnak Verancsicsics Antal.

Ad Magnificum Jo. Desewffy.

Postquam huc ad Caesaream Maiestatem veni, 1567. apr. 18.
non dedi ad Eandem ullas litteras, quod nihil tale novarum rerum occurebat, quod esset tanti, ut sollicitor (igy) in scribendo esse debuissem. Nunc iam

Magnifica dominatio Vestra sciat, Comitia Bohemica hoc biduo finem ultimum sentitura, et Caesaream Maiestatem ad octavum diem Viennam versus hinc feliciter moturam; nec uspiam moram facturam, quam triduum Znoajmae Moravici cuiusdam negotii caussa. De aliis rebus, quae vel pacem vel bellum tangerent, nihil omnino est, quod certo scribi possit; quod adhuc hoc utrumque pendeat, nec scitur, quorsum aut pacis aut belli prolapsura sit anni huius alea. Esto quod et hic bellicae curae non torpescant, et Turcae iam latius finibus nostris insultent, spargantque rumores bellicos. Quum interea et novus Turcarum Princeps quieti dicitur inhiasse, et finitimi non desinunt quiddam innuere de voluntate pacis. Sic expectemus adhuc, donec intelligamus clarius, ubi propius belli tempus appropinquare coeperit, et maturuerint utriusque partis vel de pace vel de bello caussae.

Tumultus Belgici subsidere coeperunt Valentianae civitatis deditione, et videntur plures aliae ad gratiam festinare, ac recantare tantae licentiae palinodiam; Philippus tamen Hispaniarum Rex ac earum dominus, pergit instituto apparatu ad sumendas de illis poenas, curabitque haud dubie, ut gratia tanto sceleri facta, infructuosa illi non cedat.

Ceterum cursor quoque ab Electore Augusto heri ad Caesaream Maiestatem venit, qui attulit, cives civitatis Gottes (Gotha), interceptis Crompaccho, et Friderico Saxonum Duce, cum complicibus aliis, volentes esse Imperio Imperatorique rebelles eos 13. die mensis huius eidem Electori, qui ipsam civitatem obsidebat, tradidisse. Sic finito eo bello, quo Maiestas Caesarea non mediocriter sollicitabatur, beneficio publico cives Gottenses assequuti sunt gratiam et lau-

dem non vulgarem. Jamque etiam ex hoc omnes Catholici in spem venerunt ampliorem, sedditiosos quoque Belgas cornua cum animis demissuros.

Quia vero haec Friderici Ducis, filii quondam Friderici Ducis Saxoniae, accidit in dominica, quae vocatur Misericordia; non sine mysterio illa accidisse quidam arbitrantur, quod eadem dominica pater etiam eius cum Lantgravio in Caroli Quinti Caesaris Augusti potestatem olim venerat, similis seditionis caussa. Ideo Magnifica dominatio Vestra videat prodigius et bene valeat. Pragae XVIII. Aprilis anno M. D. LXVII.

LXXXVII.

Pioplus Dénes modrusi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Episcopum Modrussiensem Dyonisium Piopium.

Quum anno superiori ex fenetis Reverendissimae 1567. apr. 22.
dominationis Vestrae vallis Agriensis, quas mihi elocaverat, nullos omnino fructus perceperim, Turcicarum Tartaricarumque procursionum causa; id ipsum quoque hoc praesenti futurum metuens, nisi ex alto benignitas minentibus malis occurrerit; Eidem his meis memoratis locutionem resigno, et admonitam volo, nolle me imposterum earundem quartarum habere curam; redditurus etiam contractus litteras, ubi primum Viennam rediero. Quia si diutius hoc Ei officio gratificari vellem, et me ipsum gravarem nego-

tio neutri nostrum utili; quando hae eaedem quartae neque a praefectorum, neque a militum nostrorum Agriensium licentia tutae esse possint.

Igitur curet, ut imposterum huic suae rei alia via subveniat, putaremque eam opportunissimam et commodissimam fore, si cum Capitulo transigeret; recusante vero Capitulo, cum Praeposito, aut cum provisore iuxta novam rationem deinceps Agriam gubernandi, quod iam tractatur. Nec ulla alia occurreret Reverendissimae dominationi Vestrae securior conditio ad assequendum aliquid fructuum, si utetur ex his altera.

A me vero non accipiat in malam partem, si eadem locatione nolim ulterius potiri. Nam cum videam Agriae ea et hostium et nostrorum rapinis esse exposita; nolo posthac huius officij cura onerari, et aestuare, ne mihi ipsi debitum contraham inaniter, simul et prudens Vestram Reverendissimam dominationem illud quoque refugiens, ne utriusque amicus noster fallatur expectatione sine fructu. Quum ad haec ministros etiam meos iusserim illinc recedere, et huc venire; distributis in privatos, quae ibidem mihi reservavi. Nos iam hic collegimus sarcinas, et instrati equi in horas expectant sessores. Credo, quod 28-a huius movebimus. Prava, volebam dicere Praga, totum me cum substantia fere mea devoravit. Ideo curetis, oro, ut in appulsu meo Viennam iam tandem Illustrissimi domini nostri communis facta mihi, non verba de illo reliquo succurrant. Et feliciter valeat. Pragae 22. Aprilis 1567.

LXXXVIII.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Strigoniensem.

Binas litteras Reverendissimae dominationis Vestrae uno fere tempore, videlicet die 12. et 18. huius mensis datas accepi. Ad quas nunc respondeo. Caesarea Maiestas hoc mane pulsante hora sexta movit hinc Viennam versus felicibus auspiciis. Ego et dominus Lyzthius perendie, comite Domino, sequemur; interim omni studio et fraterna benevolentia curaturus, ut saltem societate bona levem eius aegritudinem, tametsi beneficio Dei incipit iam melius valere, et convaliturum omnino spero, ubi in apertum prodierit, et novo utetur coelo. 1567. apr. 26.

Quod autem Reverendissima dominatio Vestra scire desiderat, ad pacemne, an ad bellum res anni huius spectent; pro ratione tot Comitiorum, quae Maiestas Eius habuit in his regionibus, ego quoque hoc idipsum summa diligentia vestigavi; sed ingenue fateor, nihil me omnino de utroque hactenus assequi potuisse, quod haberem pro comperto. Verum si coniecturis fides sit adhibenda, ita geritur belli cura, ut et eius usus in promptu sit causa postulante, et pax nichilominus amplectatur, si hostis gesserit se non dolose, sed sinceriter. Hoc tamen belli pacisque discrimen liquidius constabit, ubi tabellarius Maiestatis Eius Constantinopoli redierit. Oratori Regis Poloniae commendavi Reverendissimae dominationis Vestrae

amicitiam eo studio, quo decuit. Nec aliud de statu Regni eius retulit mihi, quam quod agebatur de induciis cum Mosco, eisque brevibus. Caeterum quod et magnates et nobiles et plebei eorum non pauci coepissent haereticorum fallacias, suos vero errores agnoscere et resipiscere, redireque ad Catholicam Sanctae Romanae Ecclesiae confessionem. Idque potissimum ex tam multiplici varietate sensuum Sanctarum 'Scripturarum, dum eos identidem pro libidine sua, spirituque, quo sunt vertiginis ac diabolico, mutare et remutare non erubescant; quin etiam insolentissime hanc ipsorum inconstantiam fidei tueantur. Dicebaturque fieri hoc, nulla patrum Ordinis Ecclesiastici contentione, sed prorsus Divina providentia, ex dissidiis intestinis, quibus invicem exarserunt, seque sperare, non ita multo post futurum, ut furiae illorum plane debilitentur, et respiret Catholica professio.

Ex Belgio quoque habemus, Antverpienses desiisse ab insania, receptoque Regis sui praesidio, et Catholicos ritus in Ecclesiam suam resumpsisse, et concionatores haereticos urbe sua exegisse. Sperarique haud dubie, ut tota ea provincia redeat in pristinum religionis statum.

Rebelles vero Imperatoris et Imperii, qui Gottes (Gotha) civitatem insederant, iam qui fuerunt nocentiores, poenas dederunt. Dux Fridericus Drezna tenetur in custodia, duciturque ad Caesarem Viennam vinctus. Grumpak cum tribus aliis vivus quadrifariam sectus est. Alii, qui truncati capitibus, qui in furcas acti; pauci adhuc detinentur, nec novi causam. Elector ipse suo iure civitate potiturus, donec sumptus ei ad bellum facti reponantur.

Ad Themesiensem Passam quod attinet, nisi fallimur hostium perfidia, iam provisum est, ut desistat, gentesque reducat e ditione Caesarea. Dydesque quod exustum sit et deiectum, servatumque praesidium eius, bene factum est; quod fieri de Putanok etiam erit melius, si melius muniri non posset, quam hucusque fuit. Sed haec cura erit Sfendae.

De mutatione praefecti Agriensis Reverendissima dominatio Vestra nihil vereatur, etiam si maior hostium vis illud confinium pulsaret; dummodo illa pestis, qua hactenus vexata ac depasta est infelix Agria, facessat ex ea, et in mille malas cruces abeat. Quam vir militaris ille fuerit, nunc tandem constitit, quando viso lupi adventu, subduxit se mercenarius et publicanus cum suis loculis. Deus inter ipsum et Ecclesiam meam, quam celerrime fieri possit, iudicet, detque illi talem alium, qui honorabit et tuebitur cultum eius, religionemque Catholicem promovebit, neque me ac meos fratres et gregem opprimet dominicum. Quanquam intelligam, nondum esse decretum de praefecto novo, designatisque eo commissariis, non aliud, quam inquisitionem fuisse demadatam eorum, quae ad statum eius Episcopatus totum pentinere videbitur. Utcunque tamen successurum sit, abeat illinc tantummodo Magocziana crudelitas et incivilitas.

Cum Reverendissimo domino Nuncio Apostolico egi omnia, quae voluit, reperique hominem de Reverendissima dominatione Vestra optime sentire, Eidemque in omnibus deferre, uti Antistiti, quemadmodum decebat, qui omni honore, dignitate commendationeque dignissimus. Proinde retexuit coram me omnia illa, quae in Illiani doctoris causa cum Reverendissima dominatione Vestra, imo et cum illo egerit, ut se

accommodaret menti meliori, seque etiam Praelato suo subiiceret, et sic tandem eiusdem reconciliatione, venia, gratiaque promerita, coleret Ecclesiam, in qua benedictionem Domini assequutus est, ut bonus sacerdos et minister Dei, et plura huiusmodi. His etiam non praetermissis, quibus eidem insultaverit, tanquam Reverendissima dominatio Vestra non illi, neque communi aequitati faverit. Quo quantopere offendat? longum esset narrare. Quum illud et adiecerit, iam se plane hominem perspexisse, vidisse oculis, manuque palpasse, non eum esse mentis integrae; videreque, Reverendissimam dominationem Vestram nihil in hac ipsa causa egisse, aut agere, quod cum sacris canonibus non conveniret, deceretque facere in sananda Ecclesiae suae ovicula; esse praeterea illud verissimum, delinquentes sacerdates oportere humiliari, et poenitere de admissis, sicque demum non perfunctorie et ostentative, sed cum vera cordis contritione sumittere sese Antistiti suo, et veniam, remissionemque, et absolutionem peccatorum suorum ab eo implorare. Pluraque in hanc sententiam, eoque affectu, ut Reverendissimam dominationem Vestram vellet esse bono animo; se vero nihil acturum, quod in utroque non esset futurum aequitati consonum. Quamquam solent excommunicatis conditionalem quandam absolutionem dare Canonistae, donec ad officium redeant, et in causa sua dicant, si quid ad dicendum habuerint. Sed et de hoc distulit ad mutuum congressum, quem est cum Reverendissima dominatione Vestra brevi Viennae habiturus. Et de Illicino satis. Dominus Nuncius Eandem salvum esse cupit, et se valide commendat.

De incendio Tyrnaviensi iam rescripsi; salutavique hic omnes eius nomine, uti iussit. Nec desum

etiam apud Maiestatem Caesaream dignitati suae per occasiones. Alioqui quum et Maiestas Sua Reverendissimae dominationi Vestrae sit gratiosissima, et ego instrumentum valde tenue ad praestandam ei aliquid beneficiorum huius generis. Non desum tamen hoc facere quod ipsa vult, et ego possim. Deus Omnipotens Reverendissimam et Illustrissimam dominationem Vestram servet incolumem. Pragae 26. Aprilis 1567.

LXXXIX.

Forgách Ferencz váradi püspöknek Verancsics Mihály.

Ad Reverendissimum dominum Varadiensem Franciscum Forgach.

Nimis diligenter, ne dicam et anxie, Reveren- 1567. máj. 2?.
dissima dominatio Vestra videtur mihi commendare Raphaelem Viaucium, affinem potius quam nepotem meum; qui quum me collateralibus et remotioribus gradibus consanguinitatis contingat per foemineum sexum, sine sane etiam sacrorum canonum examinatione ac scrupulo, facile iam inter nos, si liberos haberemus, coniugia miscere possemus. Verum enimuero quicquid in eum nominis ac tituli nepotis mei contuli, feci pietate, ut qui etiam in alienos, quum possim, beneficia ex me derivare non negligam. Sed id utcunque tituli, minime me invito, usurpavit sibi, indulsi ei, ut si se etiam fratrem meum nominet, dummodo his moribus polleat, atque ornatus sit, quibus ego non erubescam, neque toties in indignationem contra illum

exardeam. Non destiti saepissime necessitatibus atque aerumnis eius succurrere, et plane prostratum (igy) egestate, pluribusque fracto exiliis, allevare. Semper tamen ad ingenium rediit, quotiescunque ope mea refectus est, mihique et curas molestiores cumulavit, et pudorem incussit. Neve hic referam clarius caetera. Haud dubie, si Reverendissima dominatio Vestra intus et incute novisset hominem, longe aliter de illo commendationem suam instituisset. Cesso tamen nunc alia eiusmodi attingere, meque plurimum eidem debere profiteor, et magnas habeo gratias quod quicquid honoris, subsidiique in illum contulit Pornovii, nomini meo dederit, ut consuevit mea causa multo maiora facere, et ea omnia dignitati meae summa cum humanitate (quod est singularis suae erga me benevolentiae argumentum) tribuere, quibus ornat, ac suam tuetur. Itaque, ut plane perspiciat, quanti sit apud me voluntas eius ponderis, petitio reverentiae, aestimationisque commendatio, quibuscunque eam impartita fuerit, Raphaelem recepi in gratiam, et iam sperabit a me meliora, quam sperare diu certe non potuisset, si non incidisset in tantum commendatorem et patronum; qui mihi semper habitus est magnus et charus, et sane quam dignissimus, cui et animus meus, et omnes motus mei sese subiiciant ac pareant, et irae indignationesque mitescant et leniantur.

Quod vero reliquum est, Reverendissimam dominationem Vestram facio certiorem, me iam decretum esse in Turciam de pace Oratorem, spemque de illa dari maximam, quod ab hostibus sic expetitur, ut eam sitire prope videantur. Faxit pater coelestis, ut succedat, et flagellum suum inhibeat, nosque illuminet, ut eum nobis reconciliemus.

De sua autem re, quod his possim adiicere, aliud nunc non habeo, quam quod communes litterae nostri Consilii ad Reverendissimam dominationem Vestram perferent. Rogo, cogitet adhuc nonnihil de sententia commutanda, donec res haeret in initiis, neque cum tanto Caesare dimicet animi sui passionibus. Quum consuetum sit vel exprimentis antiquissimis, facilius a Principibus obtineri solere honorum, ornamentorumque incrementa aequanimitate et patientia, quam pro cuiusque viri etiam maximi arbitratu extorqueri, necessitate eis opposita. Nam et ipsi, ut reliqui mortales, non semper possunt, quae volunt, celeriusque in eos effundunt beneficia, a quibus prudentius eorum possibilitas expenditur et sustinetur. Reliqua propediem de hoc in Comitiis. Nunc valeat feliciter, et me amet. Viennae 22. Maii 1567.

XC.

Melegh Boldizsárnak Verancsics Antal.

Ad Balthasarem Melegum.

Accepi litteras vestras VIII. die huius mensis datas, eisque intellectis agnovi, nondum animum Eius erga me refrixisse. Quin potius ita studia quoque Illius, quibus me complectitur, perspexi esse adaucta, ut mihi hoc tempore his hijsdem vestris litteris nihil fuerit gratius. Quarum quot quot fuere dictiones, tot prope magni amoris vestri agnovi argumenta, quibus 1567. máj. 24.

quanti me faciat, clarissime demonstravit. Habeo itaque Vobis gratias, et fidem facio, ita Vos quoque a me vicissim amari, ut par est amantes redamari.

Ad laudes autem, quas mihi tribuit, meritaque mea in communem patriam collocata extollit, Ipsa quoque amanter et officiose facit. Verum non est, quod ego vel tantillum earum mihi arrogem. Propterea nec respondendum mihi quicquam esse puto. Quid enim omnes mortales habeamus, quod non acceperimus? Unde mihi quoque quicquid est vel virtutum, vel meritorum; dona sane sunt et Dei. Et ne quid in nobis sit, quod velimus nostrum esse dicere, id quoque attributum nobis est Divinitus; quia ex alto omnia. Et sufficientia nostra non ex nobis est; sed eius qui nos fecit et confortat. Igitur quicunque gloriari velit, in Domino et in cruce eius glorietur.

De incendio istius civitatis, et de iactura multorum tam vestri ordinis, quam afflictae plebis, equidem mirifice et manifeste video, omnes iras Dei in nos esse effusas propter peccata nostra, et quod tot flagellis eius castigati, nec adhuc vel dolere, nedum emendari velimus. Sed de his alias.

Et ad vestram operam quod attinet, quam mihi offertis, et est mihi notissima; nec in alia re uti illa volo, quam in amore, quem se mihi dedicasse testatur. Vale. Viennae 24. Maii 1567.

XCI.

Dévi Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Devinum.

Uxor coloni nostri Pauli Kwn de Sellie praesentium exhibitrix venerat ad nos, et supplicavit, ut adhuc eius causam, quam habuit cum Caspare Faczan similiter colono nostro in eodem loco, committeremus iterum revideri. Quod an fieri possit? nescimus; maxime si in eodem causa iam habuerit novum iudicium. Ideo ne ulla in causa alienae aequitati desimus, colloquere cum egregiis aliquot dominis nobilibus, vicinis nostris, cum bonorum nostrorum judicibus et juratis civibus, et etiam cum aliis aliquibus vicinarum possessionum incolis; captoque ab omnibus maturo consilio, sic procedas in dicta causa, ut juris erit, demumque quicquid ab iis decretum fuerit, mature cures exequendum. Quia ut ab aequitate et iustitia neminem vestrum, qui geritis nostra officia, volumus recedere; ita omnino malefactores impunitos, habita criminum et judiciorum ratione, non deferremus. Nec secus facias. Vale. Viennae 26. Maii 1567. 1567. máj. 26.

XCII.

Zay Ferencznek Verancsics Antal.

Ad Franciscum Zay.

1567. jun. 12. Sic Deo, et Caesarea Maiestate, ac fatis meis volentibus ego iterum eo in Turciam cum legatione de pace. Quod felix ac faustum sit, quum Caesareae Maiestati, domino nostro clementissimo, optimoque Principi, tum et Regno afflictissimo Hungariae et toti Christianitati. Mihique sic ubique et in tota actione idem dominus Deus adsit, ut omnibus ex alto donis instructus redeam exorator, et cuncta peragam, quaecunque publica complexa est expectatio.

Legi autem quasdam litteras Magnificae dominationis Vestrae ad amicum quemdam utrique nostrum communem, quibus disuadebat mihi tantae provinciae molem. De qua eius pietate ego quidem Magnificae dominationi Vestrae magnas gratias habeo. Verum quia et Caesaris et patriae pietas istam eius longissimo tractu superat; voluissetne, ut et Caesaris preces expectassem, et necessitati patriae defuissem, meamque vitam, meumque bonum pluris fecissem, quam Patriae, quam tanti Caesaris? cui subditorum ac servorum qui non gratificari atque obedire student, impii sane sunt, et omnis tum civilitatis, tum humanitatis expertes, ignarique officii.

Jacta itaque est alea; experiarque adhuc semel, an sexagenarius etiam possim Patriae ostendere, quantum pro incolumitate eius et hactemus voluerim,

et imposterum velim. Reliqua mea Dei curae commisi. Cupidus ab Eadem scire, ut si quod Constantinopoli velit, mihi jubeat; idque per veredarium. Et bene valeat. Viennae 12. Junii 1567.

XCIII.

Comenduno bibornoknak Verancsics Antal.

Al cardinal Comenduno.

Io hebbi le lettere di Vostra Illustrissima e Reverendissima Signoria, e per raguaglio di quelle il dottor Illicino questi giorni passati depose al Arcivescovo nostro tutti li soi beneficij, et assolto dalla escommunicatione non senza grandi intercessori, et humel dimanda di perdono, sene resto semplice sacerdote, non con altra spence di vivere, cha de avoccare, se cio anchora li sara concesso dalli sacri canoni. Gli amici non li sono manchati. Ma chi saputamente vol manchar à se stesso, à che gl' ufficij delli amici? 1567. jun. 20.

Gli novi servitori del gia di Monsignor Andrea Duditio Sbardellato vescovo di Cinquechiese gieri arrivorno qui da Polonia. Ne ci è piu logo di non credere, che non fusse fatto marito; chosa, che li soi amici mai volevano haver per certo. Ma gia l' esento à tutti il dubio tale, non senza dispiacere, si del caso d' un homo giovene di si rara espettacione, qual ogn' uno haveva da lui; come del scandalo, ch' ha dato alla Catholica Chiesa, et à tutto l' ordene, loquale

con noi altri haveva commune. Signor Iddio gli dia miglior anchora sentimento, se ci sara modo di ricantare.

Io, come gia deliberatissimo di servire la Signoria Vostra Illustrissima, vo a Constantinopoli per ambasciatore, e parto da qui infra diece giorni. Se La mi vol commetter qualche cosa, che Li aggradisse in quelle parti; prego, mi commetta e commandi. Ne manchero di fare tutto quello vorra, quanto la Soa benevolenza e gratia desidero. Signor Iddio La prosperi sempre. Da Vienna alli 20. di Zugno 1567.

XCIV.

Maximilián király Verancsics Antalnak.

1567. jun. 30. Nos Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod nos debitum habentes respectum ad servitia fidelia et merita fidelis nostri Anthonii Verantii Episcopi Ecclesiae Agriensis et Consiliarii nostri, quae ipse nobis et Regno nostro Hungariae cum alias saepe, tum in legatione sua ad Solymanum Turcarum Principem praestitit; considerantes etiam id, quod rebus Regni nostri Hungariae ita exigentibus, nunc quoque ex commissione nostra ad novum Turcarum Principem Selymum oratoris nomine pro-

ficisci debeat; quae legatio cum anceps et periculi plena sit, ei praesertim qui senio gravatus esse videtur; de Regiae nostrae potestatis plenitudine id eidem annuendum duximus et concedendum, ut ipse de omnibus rebus et bonis suis, mobilibus et immobilibus, per se qualitercunque acquisitis, exceptis tamen rebus et bonis ecclesiasticis, ad eas videlicet Ecclesias, quibus nunc praeest, pertinentibus, testamentum rite et legitime condere, et illa sive fratribus, sive neposibus, et aliis, quibus voluerit, fidelibus tamen nostris, legare et relinquere possit. Quod eius testamentum nunc prout extunc, et tunc prout exnunc auctoritate nostra Regia benigne confirmandum duximus; promittentes, quod illud tam per nos observabimus, quam per alios quoscunque subditos nostros observari faciemus; immo annuimus et concedimus, approbamusque et confirmamus, ac promittimus harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio litterarum. Datum Posonii ultima die Junii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo.

Maximilianus mp.

(P. H.)

Nicolaus Olahus
Strigoniensis mp.
Gergius Bochkay mp.

(Az 1567. és 1568-ki, Verancsics második konstantinápolyi követségének éveiből fennmaradt levelek jelen gyűjtemény V. kötetét képezik).

XCV.

Zsámboki Jánosnak Verancsics Antal.

Ad dominum Sambucum.

Magnifice domine et frater charissime.

1568. máj. 12. Carmina tua de incolumi reditu meo gratulatoria, et plena etiam laudis, qua industriam meam de obtenta pace extollis, fuere mihi quidem gratissima, ut alia tua solent omnia, quae ad multorum utilitatem successivis temporibus excudis; maxime autem, quod primus omnium veteri officio comprobare maturaveris, quam me constanter ames, et quanti etiam facias. Cuius erga me tam praeclaram voluntatem quanti ipse quoque faciam; ne vivam, si non pluris, quam multorum aliorum, qui se amici mihi profitentur. Delector enim ex eruditione tua, et ingenio tuo; quod quidem certe dignum esse iudico, ut illud gens nostra et ornet praemiis, et honoribus cumulet. Atque ego, ut et simpliciter et sinceriter profero de te hanc sententiam, ita etiam velim, me omnes in te amando et ornando sequantur, qui in te agnoscunt, quod ego. Ut autem retineas apud te mnemosinon, fuisse me in Turcia, et ibi tui meminisse, misi tibi tapetem, Bezaarem vero ipsemet manu mea exhibebo. Vale et sis felix. Viennae XII. Maij 1568.

XCVI.

Verancsics Antalnak Szerdahelyi Máté myszlai prépost.

Reverendissime in Christo pater, domine ac patrone perpetuo colendissime. Orationum ac servitiorum meorum deditissimam commendationem. Si diu absentis hominis patrisfamilias reditus charis liberis gaudio unquam esse potest, certe Reverendissimae dominationis Vestrae desideratissimus reditus summum omnibus nobis Eam sincere expectantibus gaudium attulit. Cui et propter itineris longinquitatem, et populi ethnici crudelitatem, non potuimus non timere. Vicit hos timores in Reverendissima dominatione Vestra, antequam periculosae legationis iter aggrederetur, pietas et verus in patriam amor; quae res suo tempore in litteras referri merebitur. Aeneae pietatem, licet celebratissimam, pietas, quae in Reverendissima dominatione Vestra vere Christiana ac summa conspicitur, longo intervallo excedit; de quo nunc disserere longum esset et taediosum. Restat igitur, ut, si pietati merces debetur, debetur autem summa, iam bravio pietatis Reverendissima dominatio Vestra illustretur, et ab Agriensi amplitudine ad eum sacerdotii gradum sublimetur, qui est in Ungaria omnium summus. 1568. máj. 24.

Gratulor ex animo reditui Reverendissimae dominationis Vestrae, et gratias Altissimo ago, qui me toties id petentem exaudivit, et inter Scyllas et Carybdas servatam mihi incolumem reduxit; precor, ut

idem Reverendissimae dominationi Vestrae longam vitam, atque semper felicem largiatur; regat suo veraci spiritu, ut eiusdem heroicis virtutibus, stupenda authoritate, multaque rerum experientia, res Ungaricae ter adflictae, diu feliciter gubernentur, et ad posteros cursu secundiore dimanent. Me Reverendissimae dominationi Vestrae deditissimum facio, et in omnibus officia humiliter offero. Ex Misle 24. Maij 1568.

Eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae
veteranus servus
Matthaeus Zerdahelj mp.

CXVII.

Az udvari kamarának Verancsics Antal és Teuffenbach Kristóf.

Ad Cameram Aulicam

1568. máj. 28. Generosi ac Magnifici Domini. Litteras Magnifici domini Alberti de Vys, Oratoris Sacrae Caesareae Maiestatis, collegae nostri, qui apud Principem Turcorum remansit in pristino officio, legimus et intelleximus. Et ubi informationem de pecuniis, quarum mentionem facit, a nobis requirunt, de his nos, quas habuit ante adventum nostrum Constantinopolim, nihil loqui possumus; quod eam pecuniarum rationem omnino non cognoverimus. Verum quum idem dominus Albertus quinquies mille talleros, quos a nobis

acceperat, subito in creditores suos distribuerat, et nos quoque consumptis pecuniis, quae nobis Posonio solventibus datae fuerant, simul omnes tres egere coeperamus.

Ac post multam sollicitudinem, quam habuimus causa sumptuum, quod rebus nostris nullus ordo constitutus fuerat de pecunia assequenda necessitatis tempore, tandem subvenit nobis Benedictus de Gagliano, civis Galatanus, mille quingentis coronatis, quibus divisis inter nos omnes et expositis, alias pecunias quaerere agressi sumus, aegreque admodum duo millia aureorum Turcicorum a Don Josepho Nassy, Gian Myques antea nominato, mutuo levavimus. Atque his etiam inter nos omnes aequiso portionibus distributis et expositis, postremo Hadrianopoli a supremo Passa Mehmet, quod privati nulli offerebantur, qui nos vellent iuvare mutuo sine valde excessivo foenore, levavimus aureos Hungaricos, non Turcicos (ut scribit dominus Albertus) ter mille et quingentos. Quibus pari ratione inter nos distributis, domino Alberto cesserunt mille, Christophoro a Theuffenpach mille, Agriensi vero mille quingenti. Restitutisque ex hac summa Don Josepho Nassy duobus millibus Turcicis, reliquis ad postremum viximus, ac dominus Albertus cum sua portione remansit Constantinopoli, nos duo cum nostris Viennam rediimus.

Ne tamen et illud praetereamus, quod ad hanc informationem attinet; proxime hic iam Viennae dominus Vitus de Dorimberg, qui Venetiis agit Oratorem Maiestatis Caesareae, dedit ad nos litteras, quibus, scribit, submissos fuisse nobis per eam viam de mandato Maiestatis Eius mille quingentos coronatos, ultra illos priores 1900, quibus primum mutuum per-

solutum est Benedicto et Dominico de Gagliano fratribus, altero Venetiis altero Galatae habitantibus. De quibus 1500 coronatis nos nihil accepimus, neque intelleximus, quia iam inde moveramus, arbitramurque, in manus domini Alberti perventuros; qui relinquunturne sustentationi ipsius, hoc solae Magnificae dominationes Vestrae sciunt.

Nos tamen omnes tres ita Passae promisimus, et cum eo convenimus, quod praefata tria millia aureorum Hungarorum et quingentos, sine ullo foenore remittemus illi per praesentem Oratorem infallibiter; rogamusque Magnificas dominationes Vestras, ut id non graventur Caesareae Maiestati Suae ad scitum dare, et curare, ne idem Passa fallatur, et promissis nostris, et expectatione sua.

Ubi autem dominus Albertus fecit mentionem de hac pecunia convertenda ad eliberationem Beghi Zeczieniensis, id nos non omnino fatemur pro re autentica; etiamsi hoc a Ministris tantum audiverimus obiter dictum. Nec putamus e decore Maiestatis Caesareae fore, si id fieri mandabit; quod et pecunia parva sit, et quum res sit ei cum magno Principe, qui dono captivum postulat. Generosius Maiestati Suae esset de hoc deliberandum, ne aliquo pacto a barbaris traduceretur, utque magnitudo Eius Maiestatis in summo remaneret. Quod nos Oratores omnibus viribus nostris curavimus. Viennae 28. Maii 1568.

CXVIII.

Forgách Simonnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum dominum Simonem Forgach.

Egregius Baltasar Ziny reddidit mihi unas litteras Magnificae dominationis Vestrae, alias vero Stephanus Barius; is credentiae, ille pluribus rebus refertas. Et has itaque intellexi, et quae Barius retulit percepi; meamque in eo omnem operam, quam a me desiderat Magnifica dominatio Vestra, promptissimam et propensissimam polliceor, ubi primum ea de re sermo erit. Nec id quidem semel, sed quoties opus erit, et ratio postulabit. Quamquam (renui meo iudicio) non esset hoc tempore de hoc captivo cum Sua Maiestate contendendum, propter pacem, cui omnibus viis ac modis Maiestas Sua suffragandum curat. Non complacere autem Principibus in huiusmodi rerum momentis, o quantam saepenumero quam plures homines de gratia eorundem Principum iacturam faciunt! Ne itaque pro parva utilitate aliqua maximas afferat in discrimen; et ne Magnificae dominationi Vestrae exemplum desit: simile negotium mihi, Stephano Zolthay, Francisco Gemes, et quibusdam aliis militibus contigerat annis elapsis, idque ob Judaeos, qui in captivitatem Agriae inciderant. Quorum quum pars tertia cessisset mihi, omnium portiones una cum captivis Maiestas Sua postulavit. Subterfugientibus nobis hoc facere, et varia allegantibus in contrarium, nihil profecimus; dilapsisque militibus quibusdam 1568. jun. 11.

cum suis portionibus, et Caesareae Maiestatis crescente indignatione, ad postremum nullo loco excusationibus et precibus nostris dato, ne ea molestia vexaremur: tandem Maiestas Sua praecepit, ut quae pecuniae redemptionales eorumdem captivorum in promptu essent, mitterentur ad Suam Maiestatem; quicquid vero deesset toti summae ob eorum militum, qui sese subduxerunt (ratas), ego de meo supplerem. Coactus itaque obedire, mille talleros ad eos, quos acceperam, adieci, et per Zolthay misi. Sic demum placavi mihi Caesarem. Ne igitur dominatio Vestra ad haec veniat, tempestive et cum iudicio deliberet, quid ei sit agendum cum Principe. Ego alioquin non deero tentare omnia, ut Magnificae dominationi Vestrae gratificer; in eo etiam, ut aliquando Agriam revisam. Quo desiderio non certe sum ipse minus, quam dominatio Vestra Magnifica, modo extricare me possem ex aulae retinaculis, quibus in dies magis ac magis irretimur, quanto magis eam frequentemus. Spero tamen brevi futurum, quod ego et amici mei cupiunt.

Pacis negotia (uti video) non est opus pluribus me describere; quum ita de eis Magnifica dominatio Vestra et ad me, et ad Reverendissimum dominum Transsylvanum perscripsit, ut nihil sit praeterea, quod eis adiici possit. Nec ulla erit in illis difficultas, si modo de dedititiis bene transigetur. Quorum res non alia causa videtur in discrimen venisse, quam pace cum Persa facta, ne in bellum nos, vel hoc ipso anno incidissemus, quo fortasse cum sicco etiam viridia amisissemus. Alioqui puto, omnium conclusionem eos quoque cognituros, ad quos maxime Hungariae incolumitas pertineat.

Litterae autem Magnificae dominationis Vestrae in Turciam ad me datae, redditae sunt fideliter; sed ad eas responsum nullum dedi, quod tunc maxime tractatus noster flagrabat, occupabamurque summa rei pacis, et conservationis duarum arcium, Vesprimii et Tattae, quas utique etiam conservavimus, ne diruerentur. Utinam tamen sic vos etiam istic non permisissetis Jazbrinium erigere sub induciis.

Quantum vero nobis Oratoribus licuit, admonuimus de omnibus Maiestatem Caesaream, quae ad commodiorem statum pertineant nostri populi ac nostrae gentis. Sed quum haec non sint authoritatis unius vel duorum hominum; dominationes etiam Vestrae, quum tempus erit, loquantur. Ego inter alios non ero postremus, qui rempublicam nostram salvam esse velim.

De equis meis non est bene informata Vestra dominatio Magnifica; quia vix quatuor eduxi de eo genere, qui parypi nominantur, et tantummodo apti ad gestandum me in curiam. De quibus quum Magnifica dominatio Vestra habeat copiam, non est opus vel verbum de meis facere. Alioqui ego certe militares non quaesivi; nec facultatem habuimus emendi, quos voluissemus; adeo Turcae nobis equos suos invideant simul et prohibeant.

Postremo quicquid mihi significavit oretemus, intellexi, curaboque, (ut) ei nullo tempore desint officia. Tantummodo oro, ut ipsi quoque sit commendata mea Ecclesia, nec fratres molestentur, labefactareturque Agriae Catholica religio. Quae si videro dominationi Vestrae Magnificae serio esse commendata, et me, et mea habebit semper ut sua.

Quum autem sumptibus nonnihil careo, Scipio familiaris meus vendet quosdam redditus meos; rogo,

exhibeat sese illi favorabilem, maxime in divendendis vinis. Quod eius erga me officium, erit mihi certe cumulatissimum; dabitque causam, ut eidem magis, ac magis debeam. Valeat optime et feliciter. Viennae ,11. Junii 1568.

XCIX.

V. Pius pápának Verancsics Antal.

Ad Summum Pontificem Pium V.

Sanctissime et Beatissime Pater!

1568. jul. 12. Post oscula Sanctitatis Vestrae pedum beatorum. Profectus anno superiore in Turciam nomine Imperatoriae Maiestatis de pace Legatus, non putavi eam provinciam feliciter mihi successuram, nisi benedictione Sanetitatis Vestrae fuissem communitus. Res enim tantae molis apud superbissimum et Christiano nomini infensissimum hostem tractare, tenues sane et imbecilles essent humanae vires, nisi ope Divina fulcirentur. Quae mihi quum per benedictionem Sanctitatis Vestrae abundatissime affuit; illud est consequutum, ut, quicquid in eiusdem pacis negotio confectum sit ex sententia, id inprimis Sanctitati Vestrae deferendum est. Per cuius vicariam authoritatem suam Dominus Deus tantum gratiae mihi et collegis meis, viris summa industria curandae Reipublicae praeditis, concesserit, ut maximis duobus Orbis Im-

peratoribus in amicitiam et pacem deductis, id in quam plurima Christianitatis Regna redundavit beneficii, quod diu desideratum et expetitum fuerat.

Haec autem pax magna Legatorum contentione conatuque obtenta, ut praecipue nostris regnis ac provinciis opportunissimo tempore venerit, desperatis nimirum interim ad gerendum bellum auxiliis omnium fere Christianorum Principum ob intestinas eorum discordias, quibus et se ipsos et thesauros suos inanissime, parumque Christiane consumunt atque conficiunt, ita certe iis serio amplectendam conservandamque esse arbitror, quorum maxime interest, ne labefactetur, et in se bellum attrahant, quod maximis Caesaris sumptibus, Legatorum vero laboribus atque industria summotum est. Idque eo tempore, quo facta etiam cum Persa pace, arma nobis insolentissimus et potentissimus hostis secure intentabat, pace ac bello, veluti quodam sinu coram nobis effuso, utrum malemus, eligeremus.

Nimis superbe ac ferociter usus Turca eminenti sua fortuna, nostram nos tempori accomodavimus, et conditionibus etiam nonnihil incommodioribus contenti, bellum, quod in praesentia futurum fuerat nobis vale intempestivum, avertendum curavimus. Reliqua Divinae Providentiae commendavimus, et in meliores occasiones distulimus.

Ego vero interea temporis, etsi iam bis etiam ab inita Episcopatus mei Agriensis possessione, pro iuramento meo in consecratione mea Sanctae Sedi Apostolicae et Summis Pontificibus exhibito, Sanctissima Divorum Apostolorum Petri et Pauli limina visere debuerim; id tamen subiectionis et obedientiae vel nunc maxime erat mihi obeundum, ut reddito devotionis ac pietatis

officio Sanctissimis Apostolis, quod debebam illis, Vestram quoque Beatudinem uberius coram de Turcicis rebus, ac de toto cursu legationis nostrae edocuissem, quam per litteras licuerit.

Verum assiduis Sacrae Caesareae Maiestatis occupatus negotiis, ubi animadverti, hoc mihi nunc non concedi; ne utique vel partem aliquam muneris ac debiti mei negligentius intermitterem, nobilem Franciscum Diatalevi, natione Fanensem, Secretarium vero et Magistrum Domus meae delegi, destinavique istuc, ut loco mei utroque hoc officio defungatur. Fuit enim mecum in Turcia; et quum sit mihi familiaris intimus et veteranus, nec desideretur in illo Principes adeundi modus; demisse supplico, dignetur Beatudo Vestra dignum facere, ut ad Sanctissimos eiusdem pedes in persona mea clementer admittatur, eosque osculo oris mei devotissime et subiectissime veneratus, cetera quoque pro Sanctitatis Vestrae benigna indulgentia exequatur, quaecunque ipse debuissem, si praesens esse potuissem.

Donec autem id facultatis mihi obvenerit, non desinam precari Dominum, ut Sanctitatem Vestram Sanctae Romanae Matri Ecclesiae quam diutissime servet incolumem, fundamentaque reformationum praesentium cleri, quae ipsa Sanctitas Vestra felicissime iecit, ita eiusdem instituta atque exempla in omnium patrum mentes immigrent, ibique occupent firmissimas sedes, ut imposterum quamplurimi Summi Pontifices Sanctitati Vestrae similes longissima serie succedant in Ecclesia; nec raritas bonorum admiretur, sed copia eorum tanta suppetat omnibus futuris saeculis, quanta ex radice optima nasci debuerit. Deus Optimus

Maximus Sanctitatem Vestram in sua gratia quam diutissime et quam prosperrime conservet. Viennae die 12. Julii M. D. LXVIII.

C.

Szerdahelyi Máté prépostnak Verancsics Antal.

Ad Mattheum Zerdahely Praepositum Myslensem.

De tam accurata gratulatione, quod salvus ex Turcica legatione redierim, idque cum optata pace, mihique plurimis laudibus attributis, maxime pietatis in patriam Aeneae me aequantis, habeo vobis singulares gratias; agnoscens veterem vestram erga me voluntatem, et studia, quibus semper mihi non obscure declarastis, quantopere et amaveritis me, et honoribus meis consultum esse velletis. Verum, etsi laudes istae, quas in me congeritis, longe superant mea merita, virtutes vero multo etiam longius; quum tamen in huiusmodi rerum momentis plura amicis conceduntur, quam par esset alias, quod haud dubie beatissimi esse videantur, qui promovent ac sublevant publica commoda; non tam, mi Praeposite, istam vestram gratulationem ex laudibus, quam ex animo et benevolentia vestra metior, qua me sincerissime semper prosequuti estis, et nunc etiam eadem vos adduxit, ut me in tam raris mortalibus collocaveritis, et supra multos extuleritis. Sit itaque hoc, quicquid sit, amicitiae nostrae mutuae; reliqua donemus Divinae gra- 1568. jul. 26.

tiae, quae nos confortavit, fecitque nobiscum, quod cum multis non fecit aliis; ut nimirum et pacis author fierim, et tot Scyllas atque Carybdes evitarem. In quo et Altissimus laudetur, et fortuna Caesaris praedicetur, cuius auspiciis omnes meae et virtutes, et felicitates, et honores omnia imprimis debentur. Quae coelitum recta gubernataque beneficiis, in nos quoque, qui illi adhaerescimus, derivat illustres suos radios et in orbe claros facit. Atque haec ad vestram gratulationem.

De privilegio autem, quod habere cupitis, scripsi ad meum Capitulum, ut illud vobis inquirant et exhibeant, ne libertas Ecclesiae vestrae Myslensis labefactetur, eiusque iuribus succurratur. Nam hoc fratres mei poterunt etiam me absente vobis praestare. Alioqui, quandocunque Camera ista Cassoviensis videbit illud privilegium, mox Praepositura vestra controversia ista liberabitur, et in coenobium Heremitarum de Laad transferetur propter possessionem Kewrem, cuius alienationis ab Episcopatu meo veram causam nunquam hactemus sum assequutus. Hac autem via, si vobis minus succurretur a fratribus meis, ego non deero, ubi primum paulo liberior a curia effectus fuero, et mea etiam potero percurrere privilegia. Et cum his optime vos valere cupio. Viennae 26. Julii 1568.

CI.

Verancsics Antalnak Radetius István váradi püspök.

Ad Antonium Verantium Episcopum Agriensem.

Reverendissime domine et patrone colendissime, salutem et servitiorum meorum deditissimam commendationem. Scriberem ad dominationem Vestram libentissime, si quid scribendum mihi esset; sed in hoc eremo nihil habeo quod scribam aliud, praeterquam quod in hac solitudine, procul a publicis negotiis, vitam in morem heremitae duco; Reverendissimumque dominum Locumtenentem prestolar, communicato enim inter nos consilis decrevimus termas ambo inire; ille ut sua curet edemata, quae patitur in pedibus, ego meam schiaticam. Aderit, ut spero, hisce diebus. Aliud, quod scribam, id habeo, quod bubonum noctuarumque ululatu, cum libet, plurimo fruor. Cum autem huius ululatus me cepit taedium, intercinunt aviculae cantus dulciores, quibus informes bubonum cantus repelluntur. Haec in his rupibus vastis prima mea est delectatio. Quod reliquum est, dominationi Vestrae Reverendissimae me meaque servitia deditissime commendo. Deus Optimus Maximus dominationem Vestram Reverendissimam servet quam felicissimam ad annos plurimos. Datum in Sancto Benedicto de Rupibus die 17. Augusti anno Domini 1568. 1568. aug. 17.

Eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrse
deditissimus servitor et capellanus
Electus Varadiensis sk.

CII.

Draskovics György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Zagrabiensem.

1568. aug. 30. Proximis diebus viguerunt apud nos rumores quidam non satis lecti de istis partibus, et de persona Reverendissimae dominationis Vestrae. Nimirum quod Turcae Bosnenses obsessuri essent arcem Hraztowiczam, minarenturque etiam castello Sisiano; ceterum quod, quum personaliter quoque Reverendissima dominatio Vestra impositura praesidium maius in eandem arcem Hraztowiczam, proficisceretur eodem cum milite non exiguo, et iacturam fecisset in quibusdam militibus antesignanis ab insidiis hostium exceptis, et ipsa quoque met, subito suorum casu percussa, non sine difficultate effugii sese servasset. Qui rumores verine, an falsi fuerint, ego adhuc nescio; plures tamen hic, qui eandem amamus, doluimus. Ego autem nunc etiam doleo, et vereor, ne mea vaticinia eidem vel saltem tunc in mentem veniant, quum intercipietur (quod alioqui avertat Deus) insperato; parato alioqui quopiam periculo, quum ad obeundam tantam provinciam firmo ac sufficienti robore nullus, aut valde tenuis suppeditatur ei nervus contra tam populosae hostilis provinciae praesidem; ne nunc odiosius eloquar aliquid de professione nostra, cuius spiritualis gladius nullum admittit temporalem. Et sint exemplo nobis Petrus Berislaus, Paulus Tomoreus, Augusti-

nus Sbardellatus, et alii vetustiores, immo et recentiores complures, qui non Martis et Bellonae, sed Dei viventis ac Jesu Christi sacerdotes, ubi primum milites quoque utrorumque esse inceperunt, prius sublati sunt hac vita, quam quisquam credidisset, et virtus eorum fuisset cognita. Quod a me ut fraterne accipiat, rogo; nec mihi vertat vitio, quod ex amore dico. Quandoquidem paucis senibus inter nos connumeratis et plane iam capularibus, quanti tandem ordo noster fieret, si quid Episcopo Zagrabiensi, ac Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, vel (ut familiarius loquar) Georgio Drascovitio accidissent? Sed quia iam suscripsit oneri, et est in cursu administratio, caveat saltem a periculorum causis, neque se cum gregariis contra callidos et potentes hostes educi patiatur. Cura alioqui gubernandi non desideretur.

De rebus novis, quum hic nunc nihil habeamus, praeterquam quod et in Galliis, et in Belgio, prospere audimus Catholicis succedere. Non tamen omino sine quodam apparatu nonnullorum Principum Imperii in Belgium contra Ducem Alvam, qui dominationem inter se Hispanorum aversantur, nec ferre vellent, si qua ratione possent illos excludere. Gallus etiam manifeste iam Ugonitis obsistit; ex quibus proxime non paucos dicitur furcarum supplicio fecisse affici. Faxit Altissimus, ut ii saltem duo Principes a Deo Optimo Maximo nobis quam diutissime serventur sospites, qui soli Sanctae Ecclesiae nostrae Catholicae videntur restare protectores.

Ex Hispaniis quoque recenter tabellarii attulerunt, Principem Carolum, eius Regni Regis filium, qui captivus tenebatur, diem suum obiisse Julii proximi die 21. Noster autem summa sollicitudine parat

eo abitum, putoque sexta futuri Septembris iter ingrèssurum.

Classis Turcica, liberato Hadriatico Mari et eius accolis metu, in Aphricam cursum direxit. Nostra ex Hispanicis, Pontificiis, Melitinis, Florentinisque et Genuensium triremibus confecta, opportuno quodam loco ad inhibendos hostes, si quid in littoribus nostris attentare vellent, constitisse dicitur. Nec tamen iam vim aliquam experturos hostes nonnulli putant, propinquitate hyemis; nisi si extra Propontidem animum haberent hibernandi.

Maiestas autem Caesarea, dominus noster clementissimus, habet nunc hic cum Austriacis suis conventum, nec adhuc quicquam conclusnm est certi. Sed et Maiestas Eius magnam ab illis exigit pecuniam, et ipsi ab eo confessionem Augustanam. Quid tandem consequiter de hoc utroque nodo, variae sunt coniecturae; quibus ego nunc ommissis, expectabo rei veritatem, et illam perscribam, ubi palam constiterit.

De conventu nostro magnum est silentium; credo alioqui futurum post Moravicum et Silesiacum. A Bohemico lues pestilens arcet Eius Maiestatem, quae eo Regno latissime grassatur.

Ego vero cum Reverendissimo domino Vesprimiensi sustinemus hic Regni Hungariae Consilium. Reverendissimi Locumtenens et Varadiensis in thermis Trinciniensibus curant suas quasdam aegritudines, et fortasse judiciorum etiam sudores ac molestias detergunt atque excutiant. De statu reliquorum nihil habeo, Vestramque interim Reverendissimum dominationem optime valere cupio. Viennae 30. Augusti 1568.

CIII.

Bernát sz.-györgyi apátnak Velenczében Verancsics Antal.

Ad Reverendum Patrem Bernhardum, Abbatem Sancti Georgii Maioris in portu Veneto.

Antevertisti, Reverende Pater, meum officium 1568. sept. 3.
charitate tua, et complevisti illud Apostoli ad Romanos honorem invicem praevenientes. Quod certe, ut est rarum et optabile in fraternitate et vera amicitia, ita sane iam potes tu hanc perfectionis partem peculiariter tibi ipsi omni iure attribuere. Ego vero ut homo iam prae senectute tardior, quicquid in satisfaciendo promissis meis de scribendo ad te saepius, et mihi ipse defui, et tuam expectationem fefelli, amando, inquam, te, veniamque commissi postulando supplebo. Daturus operam studiosius, ut imposterum hoc a me officium non desideres, et vel saltem illud crebrius ad te scribam, bene me valere, tui semper memorem, et cupidum omnium quum felicium tuorum successuum incrementa optatissima, tum continuae incolumitatis tuae suavissimum cursum.

De gratulatione autem reditus mei cum desiderata pace ex legatione Turcica, deque Sacratissimi Imperatoris mei erga me gratia singulari, quam declaravit plurimis argumentis; quantopere illi placuisset mea industria, qua in demandata mihi provincia gesserim me apud tantum, tamquam superbum ac potentem barbarum, et perfecerim, quod multi quidem optabant, sperabant admodum pauci, propter partim bel-

lum superioris biennii, quod in mortem adegit Solymanum patrem huius Selymi, partim vero complura novarum rerum studia, quod plerumque eius gentis novi Principes mox a sumptis imperii insignibus experiri in hostes solent, — longa mihi quidem opus esset epistola, ut explere possem de tot rebus, quas illic gessi, desiderium tuum, tuaeque etiam gratulationi redderem par officium. Sed quum et occupationibus meis, quibus incessanter apud Maiestatem Caesaream distineor, non vacat scribere prolixius, et res, que sunt in archanis Principum, non est concessum ante tempus mitti in publicum, haec de his nunc sufficiant.

Ceterum magnas habeo gratias, quod tantopere laetatus fueris de his meis successibus, de quibus ego quoque non ommino mea, sed potius publica causa gaudeo, ut quietem et commodum capiant non solum finitimi nostri, sed et complures alii populi, quos ea lues labefactare, grassarique etiam in amicorum et confoederatorum oris iam incoeperit. Esto alioquin, quod et mea nonnihil gratia gaudeam, mihique ipsi pro hominum ingenio placeam, non eo tamen usque, ut quod precaris mihi, audeam ad id aspirare. Nam magni et praestantes viri, scientesque proferre in vinea Domini Sabaoth nova ac vetera, esse debent, quibus cardines Ecclesiae Sanctae Dei committantur. Alioqui quot sunt, Deus bone, hoc nostro saeculo, licentia latissime depravati, qui arripiunt turribulum cum Core, Dathan et Abyron, nec expectant, ut vocentur a Domino; qui certe melius novit, quinam sint digni ministerio altaris eius, quam nos, qui non spiritualiter, sed carnaliter Ecclesiae Sanctae functiones et dignitates ambimus. Unde et in tot tempestates, fluc-

tusque coniecta est Petri navicula, nec in suis tanto numero naucleris reperiantur admodum multi, qui opitularentur ei.

Verum ego, Reverende Pater, quorsum rapior a ratione et ab instituto epistolae in quoddam quasi commentarium, non satis assequor; nisi qnod calamum nequeam deponere, quum ad te scribam; existimans, me coram tecum colloqui. Ignosce igitur, si sim verbosior, et si etiam videbor peccasse tibi, non me, sed affectum meum castiges, reprehendasque desiderium, quo sum sane effusissimo videndi iam tandem tui aliquando, teque amplexandi et exosculandi osculo sancto, immo et renovandi veterem nostram consuetudinem. Quod quia nunc id non datur nobis, expectatione consolemur, quod fortasse diu nos non tenebit; quum ego totus sum in eo, ut et patriam, et amicos propediem invisam.

Reliquum est, de Archiepiscopatu Strigoniensi, de quo mihi gratularis, nondum est loquendum; de Cardinalatu neque cogitandum. Et interim omnia in Deum esse reiicienda, cui ut de omnibus, ita et de nobis est cura. Raphael autem commendatus est satis, nec frango illum odio, sed admoneo disciplina. Pater enim diligit filium, quem castigat. Ipse vero utinam sit is aliquando, quem tu mihi polliceris; non laboraret utique. Et spero talem futurum, quia tu non commendares illum tanto studio, nisi esses persuasus, quod ad frugem rediisset, quodque iam imposterum vellet etiam iudicio maiorum uti et consilio.

De te autem ipso, quod me scire cupias, intellexi; laetorque mirifice de promotione tua ad tanti monasterii praesulatum, gratulorque totis animis et communi nostrae patriae, quod tuis quoque virtutibus

atque honoribus illustratur, mecumque simul et sustentare, et propagare nomen eius contendis. Quanquam ego, etsi diu iam in hac palestra vires meas exerceam, levius tamen omnia illius gratia deinceps sustinebo, postquam talem collegam coelitus mihi adiunctum esse videam. Perge itaque constanti animo in incoeptis, diligenterque incumbe tuae valetudini; curemusque ambo pari sollicitudine, ut nec fortuna nostra desit illi, neque in nobis Divinam gratiam negligamus, quo et ipsa nostra patria gratos alumnos nos agnoscat, et sic in nobis operentur Dei beneficia, ut eius bonitas magis ac magis elucescat apud homines. Valeque optime et quam felicissime in Domino semper. Viennae 3. Septembris 1568.

CIV.

Verancsics Antalnak Dolfino bibornok.

1568. sept. 4. Reverendissimo Monsignor come fratello honorando. Io udij con gran piacere il ritorno de Vostra Signoria con salute della sua persona; e molto mi rallegrai del prospero successo della sua legatione per servigio particolare della Maesta dell Imperatore nostro Signore, e per universale benefitio della Repubblica Cristiana, come ella haverà veduto dalle congratulatione, ch' à mio nome ne fecero seco gl' agenti miei. Mi son poi doppiamente rallegrato con la venuta qui del Diotalevi, havendo da lui inteso à pieno dell' esser di Vostra Signoria Reverendissima,

essendomi da lui data l' amorevolissima lettera, che à lei è piaciuto di scrivermi. Io son qui con desiderio ardente di poter far qualche cosa per Vostra Signoria, et ogni occasione, che mi se ne porga, mi verrà sempre cara et accetta. Pregola à conservar memoria di questa mia buona volontà, et à valersene dove lo giudichi espediente. Che Dio Nostro Signore lungamente la prosperi et essalti. Di Roma à IIII. di settembre 1568.

Di Vostra Signoria Reverendissima

come fratello

il Cardinal Dolfino sk.

Kívül: Al Reverendissimo Monsigner come fratello honorando, Monsignor il Vescovo d' Agria etc.

In Corte Cesarea

Redditae Viennae 21. Septembris 1568.

CV.

Verancsics Antalnak Amulioi bibornok.

Reverendissimo Monsignore come fratello. Non 1569. sept. 4. risposi alle lettere ch' io hebbi da Vostra Signoria alla partita sua per Constantinopoli; perche conossi, che ella non poteva havere la risposta avanti la partita; hora ho ricevuto l' altre sue delli XII. luglio in racione di ms. Francesco Diotalevi Fanese suo gentilhomo. Pero in risposta dell' una et l' altra mi rallegro con Vostra Signoria, di quanto ella ha felice-

mente operato con la bonta et con il valore suo nelli negoci in Constantinopoli, dalla quale opera ne puo reuscire molto benefitio alla Cristianita. A ms. Francesco ho offerto la casa et tutta l' opera mia à favore suo, poi che mi viene molto strettamente racommandato da Vostra Signoria mio antiquo amico, et che puo disponere di me come di se stessa; ho fatto poi anchora diligenza di rivederlo, ma fino hora, forse per l' occupationi sue, non si è trovato. Di qua non ho che dire a Vostra Signoria se non, che Dio gratia sto sano da vecchio, et tengo memoria dell' amicitia nostra, et desiderio di fare per le ogni servicio; pero Vostra Signoria si vaglia di questo mio desiderio, et diami occasione di mostrarlo con veri effetti del amore, che le porto. Et Nostro Signor Dio la contenti sempre.

Di Roma di IIII. settembre de LXVIII.

Saprea volentiera, se Vostra Signoria ha finita la sua historia, overo fin a che tempo sia arrivar lo resto. Tengo per fermo, chio conservo amorevole et honorata memoria della sua amorevolissima persona, et della amicitia nostra.

Di Vostra Signoria

buon fratello
il Cardinal Amulio sk.

Kívül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo d'Agria etc.

alla corte Cesarea.

Redditae Viennae 18. Septembris 1568.

CVI.

Radetius István váradi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Episcopum Varadiensem Stephanum Radecium.

Vacationem Reverendissimae dominationis Vestrae praesentem a negotiis publicis ita cupio eidem succedere et laetam esse, ut non obscure illi invideam, ac me quidem certe si quis Jupiter eadem vacatione secessuque dignaretur! Equidem omni vitae ac frequentiae urbanae eremum istum suum cavernarum et rupium montis Carpathi auteponerem, bubonumque ac noctuarum ululatum pro suavissimis lusciniarum, carduorumque concentibus iucundissimum haberem. Quid enim homini variis animi dotibus praedito iucundius ac felicius queat contingere, quam, quum in se ipso habeat omnia, quaecunque aut urbanus, aut aulicus status suppeditat, nunquam tamen adeo solus in quavis vasta ac remota solitudine esse potest, in qua ne bubones quoque ac noctuae reperiantur; ut eorum suavissimam societatem non habeat, quorum virtutibus atque aeterno nomini neque mors, quae omnia delet, obesse potuit, et ex sese in dies tale aliquod pariat, quod eum oblectet longe magis, quam ullae opes, ullum bonum fluxile, ulla dominia, urbanaeque deliciae, aut splendores aulici. Ac mihi quidem iam seni, quam exoptata instiusmodi veniret solitudo etiam apud meum Znionem, in summis alpibus eiusdem montis Carpathi situm, et latissimis silvis obsitum, 1568. sept. 5.

obsessumque perpetuo horrore nubium. Si veniret Deus immortalis, quanta cum voluptate hos postremos aetatis meae annos, qui restant mihi, exigerem, satur iam terrenis honoribus, et aspirans ad coelestes. Ad quos certe pluribus nominibus invitamur, delapsi iam in senium defectu virium, oculorum caligatione, surditate aurium, imbecillitate stomachi, morbis denique plurimis, et quam multis similibus. Praesertim quod deliri a iuventute appellemur, qui eorum absurdissimas morum ac voluntatum actionumque novitates non probemus, semperque vetera illis ingerimus, urgemusque, ut sint frugi, maiorumque suorum disciplinam potius conservare adaugereque contendant, quam negligere et immutare studeant. Quam itaque dispari animo simus, abhorrente Reverendissima dominatione Vestra ab eremo, me vero illum exoptante, ipsa videt. Nec alioqui seiungit nos aliud in hoc discrimine, quam quod, ubi ego iam incipio desinere, Reverendissima dominatio Vestra occupat feliciter initium.

Quapropter et ipsa me, ut iam senem curis temporalibus, et munerum Reipublicae administratione, vitaque prope fatigatum, habeat excusatum, et optantem statum solicitarium non condemnet eadem, interim et monita et rogata, ne patriae, statim in limine honorum suorum, tam felicia fortunae suae primordia, hoc statu eius turbulentissimo, denegare ac subtrahere velit. Educavit enim eandem a parvulo, ut optima parens; nunc iam in viro, eoque sane apud eam non postremo, et opem, et operam suam desiderat. Hoc maiores nostri praestiterunt illi; hoc et nos hortatur illius pietas, et successionis ordo cogit; ut qui iam in functionem eorum successimus, succedamus etiam

in procurandae salutis eius curas. Quibus cum iam ego ab annis ferne XL navo operam, Reverendissima dominatio Vestra, mi Radeci, quae nunc incipit, capessat partes sibi a Principe impositas, nec Divinae vocationi desit, quae est, ut patriae casus atque pericula sublevare pergat; neque desistat, antequam ad senium accesserit. Sic demum ipsa chara superis conscendet aethera, et in terris nomen relinquet gloriosum et immortale, patriae vero, dum stabit fruetarque incolumitate, semper erit desiderabilis.

Bubonum autem et noctuarum ubi lugubres cantus ac feralem ululatum pertaesa fuerit, relinquat istas Carpathi montis rupes atque cavernas cum suo amne Vago, cum sua sycera, cumque suis noctuis atque bubonibus, seque Pernonem ad Noricorum montium ferreum recipiat promontorium, ubi pro cavernis ac rupibus amoenissimos colles et campos, pro tristibus inauspicatisque bubonum ac noctuarum sonis habebit aviculas laetissimi concentus, proque Vaghi lymphis et amara sycera amnem Pinquam et vina suavissima, melioraque phalernis potabit, fruetarque aperto coelo, nec includetur nivosis montibus, nec hyemes tolerabit longiores, quam Tyberis ac Padi tolerat accola. Velit tantummodo bonis suis frui. Valeat quam optime, et quam diutissime. Viennae 5. Septembris 1568.

CVII.

Diotalevi Ferencznek Verancsics Antal.

A ms. Francesco Diotalevi.

Le vostre del 23. d' agosto, che furon prime
1568. sept. 17. doppo la giunta vostra a Roma alli 11. del instante, mi sono state appresentate. Ne vi posso dir altro in risposta, suol che ho preso grande contentezza d' animo, poi che prima da Soa Signoria nostro Signore, e poi dalli altri Illustrissimi e Reverendissimi signori Cardinali Alexandrino, Farnese, Morone, Amulio, et etiamdio dal Reverendissimo et honoratissimo mio fautore Rusticucci siate stato benignamente veduto. Faccia Iddio Signore, ch'io anchora habbia da sua Divina Maesta qualche occasione di poter con la effettiva gratitudine mia remeritar tanta benignita di Soa Santita, e benevolenza de si rari et eccellenti Prelati dela Santa Chiesia. E se con altro no, almeno con le mie orationi, e con tutta quella servita, che saprano poter esser in me per i loro contenti e sodisfattioni. E voi, che costa, sete la mente, il volere e la lingua mia, suplirete il resto, dechiarando primieramente questo mio bono et humel animo, che tengo sempre al commodo della Santa Sede Apostolica, et honore del Summo suo Sacerdote e deli santi padri, che sostengono quella con la loro prudenza, sapienza e vita, che et Iddio odora sempre con grandissima soa contentezza, et il mondo alla giornata prende sume dello etterno albergo, farete, ovunque bisognara li debbiti

miei ringratiamenti et oblatione, che si convenga. Di resto non ho che scrivervi altro, se non, che tutto 'l successo delle commissioni a voi date, havete negotiato con tutti li debbiti modi, e con piena nostra sodisfatione; esortandovi anchora, che principalmente vi sforzate di mantenermi in buona gratia del Illustrissimo e Reverendissimo mio signore colendissimo Alexandrino, e signor Rusticuci. Ne occorendomi altro per hora, state sano, e scriveteme spesso. Da Vienna alli 17. di settembre 1568.

CVIII.

Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok.

Molto Reverendo Signore come fratello. Ho letta la lettera di Vostra Signoria de XII. di luglio con molto mio piacere, et ascoltato volontieri ms. Francesco suo nella relatione, che mi hà fatta del viaggio, et del negotio trattato dallei in Constantinopoli felicemente in servitio di Soa Maesta Cesarea, et in benefitio universale di tutta la Cristianità. Laquale ragionevolmente dovra haverglieno altrettanto obligo, quanta è stata veramente la consolatione, che ne hà presa Nostro Signore, sicome havrà facilmente potuto comprendere il medesimo ms. Francesco dalle parole di Soa Santita. Il quale, per esser molto ben informato dell' animo mio verso di lei, et della memoria ch' io intendo havere dei molti meriti di Vostra Signoria, et in spetie dell' amorevolezza usata dallei 1568. sept. 22.

verso di me con si rare et belle cose donatemi a nome suo, non dovra mancare di darglieno conto particolare in nome mio. Onde rimettendomi in questa parte alle parole sue, le renderò quelle gratie maggiori ch' io potrò di questo suo cortese offitio, offerendomi pronto ad ogni commodo et benefitio suo, et pregandola intanto a valersi di me, et à tener conte del prefato ms. Francesco. Il quale e stato giudicato da Soa Santita et da me degno suggetto d' esser amato, et stimato dallei. La quale il Signor Dio conservi et consoli di cioche desidera. Di Roma à 22. di settembre 1568.

Di Vostra Signoria molto Reverenda

come fratell

il Cardinale Alessandrino.

Kívül: Al molto Reverendo Signore come fratello, Monsignor il Vescovo di Agria, Consiliere di Soa Maesta Cesarea etc.

CIX.

Diotalevi Ferencznek Verancsics Antal.

A ms. Francesco Diotalevi.

1568. sept. 24. Questa mia presente vi sara per aviso, che per la posta prossima rescrisse alle prime vostre, che mi deste doppo la vostra giunta a Roma, et havuta l' audienza de Soa Santita nostro Signore, e delli Illustrissimi signori Cardinali miei padroni e padri tutelari.

Delle altre cose de qui non ho a scrivervi, suol che parte degli conseglieri Hongari chiamati da Soa Maesta, sono arrivati, e penso, si trattara de piu cose pertinente ala nostra Repubblica.

Io lasciati il signor Leporino Propertio physico, e Pietro chyrurgo, m' ho dato nelle mani del signore Allegrio, e gia mi sento vie piu megliorare in quindeci giorni dela sua cura, che di tre mesi di quello faxit dominus Benedictus, ut respondeant ultima primis.

Ne penso, siate ieiuno delle dicerie de qui di molti, et di nostri oltra ogni dovero. Perho non havendo voi havuto da me commissione alchuna sopra le dicerie, che si fanno dalli emuli, ezzetto di visitare la chiesa delli Santi Apostoli, e basciare li santi piedi de Soa Beatitudine, con fare la humile reverenza a certi Illustrissimi signori Cardinali. Avertite bene, di non mover alchuna cosa, per la quale io potrei esser giudicato veramente ambitioso di gradi, che non si convengono alla mia piccolezza, e li quali bisogna espettare da Iddio; il quale conosce molto meglio, che sorte d' homini fa per la soa Santa Chiesia, e per il suo eccelso altare, cha noi alchuno bassissimo gregge siamo degni di presumere et usurpare a guisa di core, tanta alta funtione e ministerio della Divina Soa Maesta. Piu vi potrai raggionare sopra cio. Ma sapendo voi ogni mio intrinseco, e qualche mi schifo sempre di persuadermi troppo di me stesso, cesso dir altro, e lascio 'l tutto alla prudenza vostra. State sano. Da Vienna alli 24. di settembre 1568.

CX.

Faseolo Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Io. Faseolum.

1568. okt. 1. Excellentissime Doctor, domine et amice mihi honorandissime. Ut magna fiducia proximis diebus cupieramus, nepotem nostrum in tuum contubernium, inque scholam virtutum tuarum collocare, ut aliquando cum summa nominis ac famae tuae gloria potuisset in luce hominum commemorare, quod potissimum sub te praeceptore bonis litteris profecisset; ita sane primum tui senii, deinde multorum etiam plane diuturnorum laborum ac vigiliarum, quas ad splendorem tanti gymnasii per omnem aetatem tuam conferre studeas, aequo animo excusationes tuas accepi; teque rogo, ut ignoscas mihi, si qua in hoc a me importunitate affectus fueris. Nec enim urgeo imprudenter, quod nequit fieri; nec propterea ita desinam te et amare, et virtutes tuas magni facere, ut amicitiam, quae inter nos causa huius negotii sumpsit exordium, nolim perpetuo apud me in usu conservare. Habeas itaque persuasum, te mihi esse charissimum, nihilque etiam me occasionum praetermissurum, quaecunque mihi offerentur ad benemerendum semper de tuo optimo nomine, et de eruditionis tuae celeberrima fama. Ne autem omnino curam nepotis mei intermittam, Magnificus vir Zacharias Scaramellus, civis Venetus, venturus est Pataviam, ut eidem nepoti meo alia via prospiciat. Qui si aliquo casu te quoque conveniet

consilii petendi gratia: te rogo, ut illi adsis tuo et consilio et auxilio, ut quod quaerimus, vel inprimis ope tua assequamur, et habeamus aliquid, quo tibi jure et merito debeamus. Bene valeas, et sis diutissime felix. Viennae prima Octobris 1858.

CXI.

Verancsics Antalnak Draskovics György zágrábi püspök.

Reverendissime Domine, frater observandissime, salutem et servitiorum meorum commendationem. 1568. okt. 8.
Redditae mihi sunt binae litterae dominationis Vestrae Reverendissimae, quarum unae datae fuerunt 12., alterae 30. die praeteriti mensis Augusti. Quae non potuerunt mihi non esse multis nominibus gratissimae, maxime tamen ob amicam et fraternam sollicitudinem dominationis Vestrae Reverendissimae, qua me et res meas prosequitur. Ut autem breviter ad easdem dominationis Vestrae Reverendissimae litteras respondeam; noverit eos rumores, quos scribit eo perlatos fuisse falsos. Hoc quidem verum fuit, me una cum collega meo et aliis dominis regnicolis, mense Augusto, cum octo millibus (vel circiter) hominum peditum et equitum, in castra descendisse, ad hoc persuasi, tum quia metuebamus obsessionem Hraztoviczae vel Sisij; tum quia flumina ita eo tum decreverant, ut hostes facile transire potuissent; tum quia milites nostri non pauci in finitimis locis peste sublati erant. Ita si hostes animadvertissent, nos re-

bus nostris minus advigilare, procul dubio aliquid tentassent. Sed cum paratos nos viderunt, nihil tentarunt; neque iacturam in militibus fecimus, neque ego in fugam versus sum, neque aliquis me aut meos in iis locis atque eo temporc persecutus est. Nihilominus Vestrae dominationi Reverendissimae pro eo dolore, quem ex huiusmodi rumoribus conceperat, habeo maximas gratias. Hoc negare non possum, quemdam iuvenem capitaneum meum iam antea in confiniis Sclavonicis prope Dombro interceptum fuisse, et ad Portam Caesaris Turcarum abductum: sed Deo sit gratia, huius unius loco simul quinque agas apud me in compendibus vidi sedentes, quales nunc quoque carcer meus habet. Id quidem, quod dominatio Vestra Reverendissima mihi iam antea consuluit, et nunc quoque suis litteris consulit, ne incautus per silvas oberrem, nt quondam fecit Petrus Berislaus et alii, quos nominat dominatio Vestra Reverendissima, grato accipio animo; et me diligenter cavebo, ne me periculis manifestis exponam imprudens. Quamvis fieri non potest, ut ab omnibus periculis et vitae discrimine liber sit, qui in confiniis versatur. Hoc tamen agam, ne videar me vel meos, hasque reliquias ultro in apertum coniecisse periculum. Novi eos, qui pericula amant, frequenter in iis perire. Quod si horum confiniorum res, et Caesareae Maiestatis voluntas pateretur, libenter me ab huiusmodi curis et sollicitudinibus ac periculorum metu liberarem, atque in otio et securitate viverem. Neque etiam pretio aut precibus meis mihi Banatus officium contigit; quod Reverendissima Vestra dominatio certius cognovisset, si sibi Constantinopolim properandum non fuisset. Sed frequenter a dominatione quoque Vestra Reverendis-

sima audivi, non esse reluctandum Principibus, et non expectandum, ut servitores ab ipsis rogentur. Ego vero non solum expectavi Principis petitionem, sed etiam quodammodo indignationem Suae Maiestatis mihi meis iustis et honestis excusationibus paraveram. Itaque quamdiu potero, et Deus volet, officium judicis, quod ad Episcopum proprie pertinet, (geram), et defensionis pauperum curam habebo. Nihilominus tamen admonitionem dominationis Vestrae Reverendissimae fraterno et grato accipio animo, tanquam ab amico et rerum experto ac prudente viro profectam. Vicissimque dominatio Vestra Reverendissima fraterno et benevolo animo accipere velit, quod eam admoneam, ut visa paucitate Episcoporum Hungariae sacrificantium, aliaque officia episcopalia obeuntium (nam praeter Reverendissimum dominum Locumtenentem et me nullus est), velit iam tandem et sacrificare, et sacerdotes ordinare, qui in Hungaria paucissimi sunt, et alia ad episcopale officium spectantia perficere, quod eandem et velle et posse non dubito. Id si intellexero, nihil gratius mihi accidere poterit. Et hoc non ideo scribo, quod Banatum meum excusem, a quo amicorum, et inprimis dominationis Vestrae Reverendissimae opera me, Deo volente, expleto anno liberum fore spero; sed ut fraterno officio et conscientiae meae satisfaciam. Video enim negotium Agriense, et in spiritualibus, et in temporalibus, longe rectius processurum, si dominatio Vestra Reverendissima episcopale munus exerceret, et Agriae potius residentiam faceret quam Viennae. Nam vix crediderim, ullum esse vel inveniri posse ullibi, qui et mores Turcarum rectius nosset, et loci illius defensioni commodius prospicere posset. Sed haec, ut dixi, valde

confidenter et fraterno animo scribo. Vestra dominatio Reverendissima ipsa pro sua prudentia consideret, quid honestius et utilius sit futurum, et esse possit.

Pro novitatibus Vestrae dominationi Reverendissimae ago gratias; atque eandem obnixe rogo, ut, dum in aula fuerit, dignetur saltem de rebus communibus ad me scribere.

Hinc scribi nihil potest, quam quod satis pacifice vivimus. Nullibi apparet exercitus hostium. Plagiarii tamen suum faciunt officium, et miseros homines in confiniis, ubi possunt, abripiunt et abducunt. Vini hoc anno non habemus magnam copiam, sed milio abundamus; unde in annum futurum famem non timemus.

Hisce diebus ordinavi subdiaconos, diaconos et presbyteros, et habeo plebem satis obedientem et religiosam. Tum etiam, quae ad defensionem confiniorum pertinent, mihi et curae et cordi sunt; hocque studio summo efficere conor, ut omnes meae fidei crediti, et haec confinia, et adiacentes provinciae, quiete et pace gaudere possint.

Deus conservet dominationem Vestram Reverendissimam diutissime incolumem. Datum Zagrabiae 8. Octobris 1568.

Reverendissimae dominationis Vestrae

servitor et frater

Zagrabiensis mp.

Kívül: Reverendissimo Domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, ac Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario, domino et fratri observandissimo

---

CXII.

Verancsics Antalnak Farnese bibornok.

Molto Reverendo Signor come fratello. L' affettione che Vostra Signoria si è compiaciuta di portarmi gia tanti anni, come per la sua humanissima lettera, et insieme la bocca di ms. Francesco Diotalevi suo agente mi vien significato, mi obbliga tanto maggiormente alla debita corrispondentia verso di lei, quanto io meno la posso haver meritato seco fra questo tempo, non essendo stato tra noi comercio alcuno, ne io haveva havuto di lei altra notitia, che quella, chel suo buon nome alcuna volte mi ha portato alle orecchie. Ma se per lo avenire mi si presenterà occasione, con la quale io possa in qualche parte meritar quello, che per l' adietro non ho potuto meritare; non mancherò di far conoscere à Vostra Signoria, ch'ella non s' inganna punto nel giudicio et nella confiidentia, che mostra haver di me in questa parte. Et perche dal suo medesimo agente ella potra essere pienamente ragguagliata di quanto è passato sopra cio tra lui et me, non mi distenderò in altro per hora, che in offerirmi pronto ad ogni commodo et honor suo. Cosi Nostro Signor Dio la conservi. Di Roma a XIX. d' ottobre M.D.LXXVIII. 1568. okt. 19.

Di Vostra Signoria

come fratello
il Cardinal Farnese s. k.

CXIII.

Draskovics György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Georgium Drascovitium Zagrabiensem Episcopum.

1568. nov. 10. Superiores litteras dederam ad Reverendissimam dominationem Vestram, non, ut eam ab officio strenue gerendi Banatum deterrerem; sed ut periculi duntaxat familiariter admonerem, de quo tanti apud nos rumores ferebantur. Monebarque ad hoc genus officii singulari amore, quo eam prosequor, et summo studio, quo vellem et honori et incolumitati eius esse consultum. Praefecturam autem istam, ut apud nos elapsis saeculis clarissimi praesules tenuerunt, gesseruntque magna cum gloria, ita certe hoc tempore neminem video, cui dignius conferri debuerit. Probavique magnopere et iudicium et consilium, immo et decretum Caesareae Maiestatis de hac ipsa electione eius; de qua bene etiam contentam esse intelligo, quod in dies aliquid argumenti capiat, quo virtus Reverendae dominationis Vestrae iudicio Maiestatis Eius semper quodpiam de se addit incrementum. Quod quidem Divinum beneficium, ut perpetuo illi prosperet, etiam atque etiam percupio: laetus admodum, eos numeros non solum fuisse falsos; sed etiam quod hostibus frontem, non terga verterit, eosdemque castris partim tanto numero virorum fortium frequentibus, partim praesentia sua terruerit. Pergat itaque feliciter, et sublevet patriam, toto iam flore virorum orba-

tam, et labentem ad extrema. Nec antiquae gentis nostrae gloriam virtute ac fortitudine sua, quoad eius fieri poterit, sustentare ac tueri desinat. Mundo quoque ostendat, eos summos viros esse, quibus ultimis rerum necessitatibus salus tutelaque reipublicae commendatur.

De meis autem sacrificiis, deque meo sacerdotio non attinebat (uti arbitror) commemorare, si ego quoque nec sacerdotium meum otio transigo, nec inutiliter sacrifico; ut qui vel hac legatione Turcica et incolumitate et vita mea (haud quamquam LXIV annorum aetate retardatus) devota patriae etiam litaverim, pace toti genti nostrae, ac plurimis Christianis relata, mihi vero ipsi gravissima aegritudine comparata. Cuius, inquam, pacis causa, nisi ego periclitari constituissem, abnegato sane etiam me ipso pro Dei populis; heu, quot hucusque Christiani et caedem pertulissent, et in captivitatem devenissent. Immo ne ista quoque Reverendae dominationis Vestrae confinia quiete ac securitate, de qua scribit, fruerentur.

Quod quidem an sit sacrificare nec ne, iudicent, qui affectibus carent. Si tamen mea et Reverendae dominationis Vestrae sacrificia aequa lance librabuntur, haud dubie cognoscetur, non eius sacrificiis, sed meis, omnem quietem ac securitatem tam multorum populorum esse deferendam. Minus tamen aliena merita hoc tempore (uti video) aestimationis habent, dum quique mortales extollunt sua, et frequenter meminerunt, quoties singulis sabbatis ieiunent, quot elemosinas erogent; supputantes insuper etiam talentorum suorum exercitia. Ego interim intra sinum, et summisse intentus rebus meis, non sugillans alienos, satis contentor pro hoc ipso tempore, quod mea quoque

non sunt talenta mihi otiosa, et tantum in suo genere conferunt nostrae reipublicae (nisi etiam me fallit mea opinio), quantum cuiusque sua. Juxta illud Salvatoris, qui insignitis, et instructis diversis gratiarum, ministrationum, operationumque donis spiritualibus ministris Ecclesiae suae, non certe fecit omnes Apostolos, non omnes Prophetas, non Doctores; non item omnibus dedit virtutes curationum, opitulationum, gubernationum, linguarum genera, et interpretationes sermonum. Quando et divus Paulus scribens ad Corinthios palam professus fuerit, non esse se ad baptizandum missum. Num propterea non fuerit Apostolus? num cum aliis Apostolis de eodem spiritu non participaverit?

Evangelizent itaque alii in populos verbum Domini; alii ordinent acolytos, subdiaconos, diaconos et presbyteros, cleroque augeant Dei Ecclesiam, et laetentur, quod habeant plebem religiosam, piam, pacificam, obedientemque et perfectam in Domino. Quod profecto et laudabile valde est, et maxime expetendum esse affirmo. Verum vicissim debent in iis esse et alii aliqui, qui praediti alio talenti genere, curent industria sua, quo haec in otio et in pace ab iis, qui domi manent, obiri possint, necesse est. Si itaque duobus nobis diversae proprietatis ac muneris data sunt talenta, eaque uno atque eodem spiritus affectu ad reipublicae nostrae commoda conferimus, equidem nescio, in quo inter nos discrepemus.

Quare suadeo, ut sedulo et sacrificent et concionentur, et presbyteros pariant omnes illi, quibus celerius datum est tempus suum ad haec obeunda. Meum, si nondum concessit mihi Dominus, quod interim aliis me ministeriis suis exercere voluerit, ut omnipotens,

et cuius consilia nemo novit, ipse pro me loquatur, measque partes tueatur. Qui forte fortuna noluerit me eodem tempore, et sacris suis operari, et prophanis, seu Mamonae operam dare; quum et Christus dixerit, sacerdotes non posse duobus Dominis inservire, alterumque omnino esse deserendum, ut commodius alteri mos geratur.

Verum, arbitror, brevi me iam liberatum iri ab hoc opprobrio, nisi me et opinio et desiderium meum fallat. Nam hinc senio, hinc aegritudine redditus ad profana munia imbecillior, quae fortasse una erit mihi e postremis, recidemus tandem ad peculiarem professionem nostram, incipiemusque gratificari amicis nostris hoc officii genere, postquam tantopere genuina nostra functio desideretur ab illis in Ecclesia. Quo tempore ad Agriae quoque curam vela convertemus Caesare permittente. Quam ut nos sumus eius voluntate, ita et Reverendam dominationem Vestram putamus esse in Banatu. Quod et litterae eius ad me datae testantur, et plane videmus, non ecclesiastica temporalibus, sed temporalia ecclesiasticis hoc depravatissimo saeculo sarciri, et contineri ab extremis malis. Idque certe praepostere et licentia, praesumptioneque Divinas ordinationes nimis habendo familiariter. Quod qui faciunt, ipsi viderint. Ego tamen ab Episcopatu meo non refugio, et redire in eum sane percupio, modo is velit, qui iam de hoc a me interpellatus aliquoties, nec ipse adhuc vel ipso nutu, nedum verbo significavit, quidnam velit, nec ego ad eloquendum intempestivius urgeo, ne imprudens habear, et infensum mihi reddam. Quum saepenumero difficilius sit veteres Principum gratias recuperare, quam obtinere novas. Atque haec de sacerdotio et sacrificiis.

De novis vero rebus, Maiestas Caesarea ad XXIII. instantis mensis proficiscetur Lincium, denuo Viennam reditura ad Natalis festa, et nostra Comitia, quae habebimus circiter Epiphania Domini. Imperatrix peperit filiam Leonoram. Regina Hispaniae in partu obiit. Cardinalis Commendunus saepius est cum Caesare, neque adhuc scitur, quid rerum tractet. Nostra iudicia fervent. Noster quoque Franciscus Forgach nuper ad Transylvanum transiit, spe quam optima, nescio; nota tamen tali, qua parum certe illustrabitur. Sed de eo ulteriora expectemus, postquam dubium nobis patefecit de discessu suo a fide Caesaris. Similes enim mutationes status nequeunt subito venire hominibus ex sententia. Et interim saepenumero subrepit nequicquam paenitudo, nota etiam inflicta fronti et minora nacti, quam sibi vana cupiditate promiserant. Sbardellatus soli iam uxori cognitus, latet Cracoviae in obscuritate non praevisa.

De bello Belgico et Gallico tam multa et varia ad nos etiam perferuntur, ut uberius de illo scribere non audeam. Concurrerunt (uti nunciatur) Germani Principes sub Orangis signa contra Ducem Alvam ad XXXVIII, nitunturque Germani copiis multo maioribus, quam Hispanus. Tantummodo dispares sunt animis et facultate nervi bellici; quod utrumque Hispano abunde suppetit. Germanus quoque pressus penuria commeatuum, Mosellam amnem, qui exercitus dirimebat, de improviso, magis necessitate famis, quam belli ratione ductus, transmisit, effususque per quasdam obvias civitates minus emunitas, magnas in illis praedas egit, et sic sustentavit copias. Putantque, quod hac rerum penuria, et offensione civitatum, pro quibus arma sumpsit, coactus celerius, aut in aciem

ad pugnandum descendet, aut desistet a conatu, urgente iam etiam bruma militum nuditatem. Hispanus caute agit omnia, speratque, quod mora hostes franget; quum et in campo robur habeat virtute quam magnitudine validius, et potitur munitissimis civitatibus, virorum armis instructis. Nec hostis, sed suo pugnabit arbitratu.

In Galliis aeque tumultus bellici recrudescunt. Rex proscripsit omnes haereticos prementes Gallias, iussitque toto Regno suo excedere, quicunque ad Ecclesiae Romanae confessionem, et ad ipsius Regis obedientiam non reverterentur. Habet (uti afferunt tabellarii) XXX millia peditum, equitum vero cathaphractorum XX. In quibus eum quoque in persona affuturum, et fortissimo animo incoeptum bellum prosecuturum affirmant, nisi rebelles resipuerint.

Conde multa apud Pictones molitur, ac movet, ut contra Regem novas vires reparet, sollicitata etiam Regina Angliae pro suppetiis; sed nondum attolli potest. Nec vel in tantum conatus suos promovet, ut castra habere queat; maiorem turbam vagorum hominum, quam virorum militarium secum trahens.

Praeclarum quoque incidit hoc tempore et Tolosatum facinus in Aquitania; palam testati, qua fide essent cum erga suum Regem, tum in Catholicam Romanam Ecclesiam constantia. Effuderant sese in eorum populorum ditionem magnae Ugonotorum copiae, eamque urbem captantes, quo in illa sibi arcem belli constituerent, late viciniam ferro flammaque vastarant; impositis quoque per opportuna Catholicorum municipia praesidiis; pedicis etiam constringere incoeperant. Tolosates mature occursuri subito peri-

culo, in cruciatam (simile quoddam maiorum suorum vetus exemplum imitati, qui eius temporis haereticis hunc in modum restiterant) concurrunt, signa Regia erigunt, armatique Ugonotis declarant, omnia se prius in mortem tentaturos, quam ut ipsis sese adiungant. Sic delusi, ac prope territi perditissimi sectarii destiterunt et a consilio et a conatu. Nec alia de his postea sunt allata.

Quorsum sutem iam hoc earum partium bellum sit postremo evasurum, varie homines opinantur. Faxit Omnipotens, ut Catholicis victoria cedat. Turpe tamen est illis Principibus, adeo feroces esse in invicem, in Turcas nec armari se scire; quumque praesens opportunitas maxime suaderet in eos conspirare et insurgere, in seipsos et iras, et tela convertunt. Nam Turca nunc occupato rebus novis Persae, quem dicunt cum Hyrcanis, Parthis, Curtis, hoc est Mesopotamis, et Arabibus Rubri Maris accolis, percusso foedere, contra Ottomanum arma sumpsisse; nostri quidem Principes, quasi Deus has illis oportunitates in sese saeviendi obtulisset, nihil minus cogitant, quam de communi hoste insequendo. Et ad haec, quum solos duos Principes, inter sese patrueles de domo Austriae habeat orbis Christianus, veluti duo numina sua tutelaria, quorum alter terra, alter mari statum, libertatemque Christianam tuetur a tyrannide Turcica: tantum abest, ut ii, de quibus sermo est, hos eorum tam pios conatus iuvare cogitarent, privata duntaxat sua curantes; ut etiam hoc tam ardenti atque ultroneo studio, Christianas iniurias ab acerrimis hostibus illatas vindicandi, offendi videantur. Quantum praeterea alteri nulla suppeditare volunt auxilia, invidi eius virtuti ac potentiae adversantes, ne fortius

invalescat et inclarescat latius; tantum alteri propriae facultatis detrahunt ad prosequendam publicae omnium salutis propugnationem, distinendo illum partim a gerendo bello contra Turcas, partim in Christianos lacescendo, ne ipse quoque de memoratis hostibus triumphando, religionemque Catholicam ab haeresibus defendendo, magis illustretur et fiat gloriosior.

Sed, o quorundam similium caecitatem nimis sane crassam! si sit modo caecitas, et non potius meditata malignitas. Qui coacto Philippo arma a Turcis avertere, in Christianos vero convertere, et in eorumdem perniciem, dum a rebellibus suis defendit sua, opes suas prodigere, triumphum sese retulisse arbitrantur; quum interim imperio maris in potestate hostium relicto, Hungariaque cum provinciis suis magis ac magis in casum destituta, et hos Christianitatis unicos defensores imbecilliores omnino ad tutelam publicam reddunt, et ipsi ineptientes inter sese inaniter, non prius discere et scire belli gerendi rationes contra Turcas inibunt curam, et studium amplectentur, quam in medias usque Germanias iidem (quod Deus avertat) illapsi hostes, e stratis eos excitare incipient. Magno equidem cum dolore ista scribo. Sed valde falluntur meo iudicio, qui tanta rerum suarum felicitate hausti, cogitent de his meliora, nisi ad salubriora consilia mentes suas revocabunt. Et vaticinium non est difficile, si ad Evangelium attendimus. Quippe quod iam nulla natio in Christianis est, quae non sit intra se divisa, quae intestinis armis non deflagret, non mutuis seditionibus conflictetur.

Verum ne sim prolixior, postquam et de novis rebus Reverendae dominationi Vestrae satisfeci, et de sacrificiis meis reddidi in parte rationem; precor

eidem a Divina Maiestate omnia optima atque felicia; immo et eam gratiam, ut quod aliis dixit impossibile esse, ipsi faciat possibile. Nimirum, ut in utraque functione spirituali ac temporali aeque illi cuncta succedant ex sententia. Valeat quam optime et quam felicissime. Viennae 10. Novembris 1568.

CXIV.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

1569. jan. 7. Quid in causa sit, quod actenus Faustum ad me non miseris, plane nescio; sed arbitror, quod ab hyeme peperceris teneri eius aetati. Quod et ego probo; quia hic etiam tanta frigora et tam fortia saevierunt per Decembrem totum, ut plures homines occiderint in itineribus. Sed iam spero remissiorem futuram, vosque curetis, ut quam primum huc mittatur. Cui iam honestissimum, et bene natum ac doctum juvenem Hungarum disposui, quem adiungam illi propter respectus meliores. Nos iam in apparatu sumus descendendi Posonium ad Comitia, in quibus quicquid fieri debebit de summo Regni huius sacerdotio, eadem Diaeta demonstrabit, mihique tanta spes undique iniicitur de accessione eius, ut iam mihi ubique publice et palam gratulantur. Sed quum adhuc ego nihil a Caesare intelligo, solitum silentium et expectationem urgeo. De fistula mea hoc est, quod gesto illam cum

pudore sine molestia. Cauterium etiam, quod mihi aperuerunt medici propter tumorem quendam catharricum in clavicula pectoris iuxta iugulum, iam positum extra periculum, post multam ulceris purgationem consolidatur, et ad finem deducitur. Sed fortasse adhuc haerebant aliquae reliquiae catharri in artubus meis, quas ex toto salsae parigliae potus non exaequat, in pedes mihi descenderunt sub podagrae nomine, dextrum imprimis pedem torserunt mihi ferme per octo dies, iam sinistrum torquent occupato calcaneo, perstricto etiam genu dextero. Has etiam ex lecto ad vos dedi, superatis doloribus, et expectando, ut vestigia figere possim. Vobiscum vestra quomodo egerit per hanc hyemem, postquam in aestate habuerit propitiam, scire cupio. Quod ad Petrum et Magdalenam attinet; recte valent, nec eos domum mittere ausus sum brumae duritie; ubi primum tamen mitescent frigora, expediam illos. De novis nostris aliud scribere nequeo, quam quod maiorum nostrorum nepotes seniorum suorum transitiones in parte Transilvani facere egressi sunt. Nam Andrea Duditio Sbardellato permutato Episcopatu in coniugium puellae cuiusdam Polonicae, et in tenebris luce sibi collocata; Franciscus Forgach olim Varadiensis cum Vladislao Julaffy ad Transilvanum relicta fide Caesaris transierunt. Fac sit Deus, ne apud nos novae turbae, similes tamen veteribus exoriantur. Perditissima gentis nostrae ingenia nequeunt conquiescere, etiam tot maiorum suorum recentibus exemplis edocta, adeo in praeceps ruit, et extrema rerum suarum sibi invitat Quod reliquum est, bene vos valere optamus. Viennae 7. Januarii 1569.

CXV.

Stekelius Anzelmnek Verancsics Antal.

Ad Anselmum Stechelium.

1569. jan. 16. Magnam mihi voluptatem attulerunt tuae litterae, quibus plane perspexi, quantopere me et amares et coleres. Et licet nullum unquam me dubium subierat, quod essem apud te imprimis, quos observare et Musis tuis laudare consuesti; tamen his tuis litteris, nescio quo pacto, sed clariore quodam testimonio fidem fecisti mihi, me tibi prae multis amicis tuis esse charissimum. Quo ego et delectatus sum mirifice, et multo etiam vehementius adductus, ut te vicissim sic complectar, et in intimis meis habeam, ut aliquando certis intelligas argumentis, non frustra te amasse, coluisse et observasse Verancium. Sis itaque firmissime persuasus, nunquam tibi hunc animum meum defuturum.

Ubi autem obligatum te mihi esse ais, propter liberalitatem meam, quam in te quandoque conferre non recusavi; mecum te haud quaquam volo uti hoc vocabulo. Quia quicquid in te beneficiorum meorum contuli, id tuae datum est eruditioni et virtuti. Et quia dotes animi praecipue regunt res humanas, et ex illis plurima commoda in mortales diffunduntur et derivantur; vos potius, in quibus huiusmodi naturae bona et dona Altissimi elucescunt, ceteris et honoratiores esse, et nominibus multo clarioribus dignari appellarique debetis. Tu itaque et eruditioni et virtuti tuae,

hisque etiam animi dotibus, quarum iam magno passu limina penetrasti, non segniter, sed sedulo incumbe, et enitere totis viribus, ut superatis liminibus summa conscendas, summaque teneas subsellia. Nec interim, ut polliceris, amplificationem panegyrici mei intermitte. Laudata sunt haec plurimum eius carmina a doctissimis viris; quo fit, ut ardentius mihi desideratur, eumque etiam expeto, sed sic amplificatum, ut spe me imbuisti. Quis enim laudes suas non habeat gratas? non etiam cupiat ut laudetur, et adhuc vivens degustet suas gloriolas. Hinc triumphi, hinc statuae, hinc coronae civicae, murales et pleraeque aliae cum titulis, et variis ac diversis aliis insignibus originem habuerunt, plurimique etiam curarunt, ut in historias referrentur, decantarenturque in poetis. Sed ne id magis efflagitare abs te, quam a multis etiam aliis promeruisse videar, hic desino; et tua ultronea, non demandata, neque imposita promissa exigo. Vale. Viennae 16. Januarii 1569.

CXVI.

Wis Albertnek Verancsics Antal.

Ad Magnificum dominum Albertum de Wis, oratorem Caesareum apud Turcarum Principem.

Ad VII. diem Novembris accepi a Magnifica do- **1569. jan. 19.**
minatione Vestra litteras plenas et officii singularis, et amoris erga me fraterni, hisque de causis suaves, iucundas et gratissimas. Nec enim quicquam optabi-

lius mihi evenisse potuisset hoc tempore, quam manus suae testimonio cognovisse, quod esset et statu optimo valetudinis, et mei tam amanter, tamque constanter meminisset; nec praetermisisset prior ad me ad scribendum provocare, quum id mearum omnino erat partium, ut enavigata istius pelagi vastitate portuque arrepto, iam decennali exilio in eodem pelago agitatum solari debuissem. Quod quidem officium, etsi me haud quaquam fugerat, quin etiam assidue in mente sane mihi versabatur; tamen quia nec tabellariorum tuta certaque facultas occurrebat, nec ea eram firmitudine valetudinis, potu salse parili ob catharrum, quem contraxeram Hadrianopoli, occupatus, imo et pressus, ut vacare calamo potuissem, nullas dedi ad Eandem litteras. De quo et dolui vehementer, et peto maxime veniam.

Ceterum Ibraim Beghus potuit affatim de statu, et de mea erga se quum voluntate, tum etiam officiis istic depraedicare. Nam quum ipse legationem illam gereret summa cum dignitate sui Principis, et suo cum honore; tum ego etiam memor officiorum eius, quae in nos fere quotidie conferebat, et sua solabatur consuetudine, haud quaquam passus sum, illum vices meas desiderare. Quum interim et apud Caesaream Maiestatem saepissime egerim, ut eum clementius habere dignaretur; tametsi et sua dexteritate hoc assequebatur, et Magnitudo Imperatoris eius, ac Magnifici domini Supremi Passae Mehmet benevolentia, qua est erga Suam Maiestatem, conciliabat illi, sic ut certe multo cumulatioribus habebatur honoribus, quam multi credidissent. Quicquid itaque et ego amoris hic in illum contuli, et istic in me ipse; cupio, ut et ille boni consulat meum officium, et pro suo ego habeo

eidem magnas gratias. Maxime si me in gratia Magnifici domini Supremi Passae Mehmet conservare non desistit. Quem ego quidem certe tanti semper feci et facio, quanti nullum a remotissimis saeculis passam, quorum nunc ipse locum tenet, authoritateque potitur, unquam fecerim. Non desinens etiam nunc per omnes occasiones magnitudinem ingenii, judicii et dexteritatis eius in regendo tanti principis regna atque imperia, apud Caesaream Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum laudare et extollere. Cui ut officia mea velit commendare, rogareque meo nomine, ut eidem Domino nostro Clementissimo favere pergat, Magnificam dominationem Vestram etiam atque etiam peto.

Quanto autem studio una cum collega nostro egerim apud Maiestatem Caesaream, ut iam tandem detur Illi successor, et revocetur ex Aegypto, decennalique Eius exilio finis imponatur; non desunt mihi testimonia. Speroque, quod brevi cognoscet utriusque nostri hanc Illi operam non defuisse. Quamquam alioqui diu Maiestas Eius nihil difficilius egit, atque hoc; nimirum, ut istic Magnificae dominationis Vestrae ministerio careat; adeo pro voto illi inservit. Inducta tamen est, ut Eam exaudiat, et patriae suae restituat.

De galero purpureo, quem precatur mihi, non est opus Eam esse sollicitam. Nondum est postulatus; ultro autem ut conferatur ignotis, et quos nulla servitus, nulla merita commendant Summo Sacerdoti, Christi Vicario, nescio equidem, quo jure, quave ratione fieri possit, ne ad credendum adduci queam. Non cesso alioqui et Caesareae Maiestati inservire, et Christianis populis esse commodo, quam diligen-

tissime possim; cetera curet, dirigat atque perficiat omnium Dominus. Haec ad Suas litteras rescripsisse placuit; cupidus de Saurero nostro aliquid intelligere, num fuerit sanitati pristinae restitutus. Quem etiam salvum esse iubeo.

Hic autem apud nos in Hungaria coeptum est, nonnihil maiorum rebelliones repetere. Quibus dederunt initia Franciscus Forgach olim Varadiensis Episcopus, et Wladislaus Gyulaffy; non tanti momenti ambo, ut vel exilem lacunam (így) turbare possint. Erant rumores et de quibusdam aliis, sed nondum de quodam alio constitit.

Nostra Comitia, quae debebant haberi sexta mensis instantis, Caesarea Maiestas distulit ob varias rerum aliarum causas, quibus per hoc tempus vacare cogetur, quaequc sine magna sua iactura nunc omitti non poterant. Brevi tamen nova eorum ratio inibitur.

Maiestas vero Caesarea, cum Sacratissima Imperatrice, et Serenissimis liberis optime valet. Ego itidem, excussa Turcici itineris lassitudine, et contractis infirmitatibus bene curatis, iam idem esse incipio, qui fueram; et servio Eius Maiestati iam omnino firmus et compos priorum virium.

Quod reliquum est, non gravabitur R. P. Zeffam, Ibraim Beghum, Mahmut Beghum, cum aliis amicis nostris nomine meo salutare; sibique persuadere firmiter, esse me sui deditissimum cupidissimumque, ut felicissime valeat. Viennae 19. Januarii 1569.

CXVII.

Az egri káptalannak Verancsics Antal.

Reverendi et venerabiles Domini, fratres in Christo nobis dilecti, salutem et paternam benevolentiam. Etsi clare edocti simus, ac nimis quidem displicenter accepimus de conversatione Magistri Lucae Bala Zenthmiklossii, qua ille inter vos minus concorditer et convenienter aliquot iam vicibus sese gesserit, propter quod proxime etiam in tantam et nostri, et vestri justam indignationem incurrerit, ut non abs re per censuras et constitutiones Ecclesiae nostrae in eum iure animadvertendo, a nobis quidem officio et beneficio privatus, a vobis vero tanquam membrum dispar exclusus, fuerit condemnatus: tamen consideratus pia animi ratione, non illum tantum, sed nosmet ipsos, quotquot sumus, ea humana fragilitate, et corruptae naturae imbecillitate sic esse circumdatos, ut etiam iusti septies in die cadant, et qui se stare putant, quandoque lapsus graviores accipiant. Quos tamen Christus ipse, salvator noster, non illico tanquam aeternis poenis addictos censuit a se repellendos, vel ab Ecclesiae sinu arcendos, quominus, si poenitentia ducti convertantur, in consortium fratrum recipi possint; sed et septuagesies etiam septies, hoc est quotiescunque resipuerint, errata illis condonentur, et in gremium Ecclesiae rursus recipiantur. Propterea nos eiusdem salvatoris nostri piam et salutarem institutionem prae oculis observantes, studioseque, quantum in nobis est, imitari volentes; viso hoc etiam, quod 1569. jan. 31.

idem Magister Lucas pro suo demerito satis a nobis correptus et castigatus existens, ad suimet emendationem se devote inclinasset; inducti sumus, eidem super huiuscemodi excessibus suis, pro hac vice gratiam facere, ac eundem omnium beneficiorum, officiorum, et proinde jurium suorum, quibus antea in ista Ecclesia nostra Agriensi usus est, capacem reddere. Propterea dignum et iustum censentes, exemplo nostri salvatoris, vos quoque, quemadmodum et nos fecimus, cum praefato fratre vestro, agnoscente sua peccata, et veniam deprecante, reconciliari, eique de commissis contra vos ex corde vestro remittere; hortamur vos in virtute salutaris obedientiae, et etiam authoritate nostra vobis committimus, quatenus dum et quando memoratus Magister Lucas cum praesentibus vos requisiverit, gratiamque et pacem a vobis postulaverit, omni rancore, odio atque vindictae cupiditate semota, fraterne illi sua errata condonetis, ipsumque in gratiam et consortium vestrum fraterna dilectione, qua erga inimicum esse debetis, assumatis et recipiatis, quin etiam omnium proventuum suorum, quos ab exclusionis suae tempore inter vos percepisse, vel posthac percipere de iure deberet, participem et capacem, nulla difficultate et contentione adhibita, velitis reddere; paternam nostram requisitionem, et vestram debitam obedientiam in eo recognituri et exequuturi. Bene in Domino valete. Viennae ultima Januarii 1569.

Kivül: Reverendis ac venerabilibus Dominis, Capitulo Ecclesiae nostrae Agriensis, fratribus in Christo nobis dilectis.

CXVII.

De Andreis Jeromosnak Verancsics Antal.

Ad Hieronymum de Andreis.

Excepi Joannem Ferrum eo animo, quo et tu, 1569. febr. 27.
cum patre eius, et complures alii petierunt, qui de mea voluntate erga se fiduciam habuerunt. Utinam autem sic sese ipsemet commendatum apud me efficiat, ut commendatus est partim a parente suo, et a te, quibus ego plurimum defero; partim ab amicis fere communibus, quibus pari assensu gratificari volui, ne fiducia fuissent frustrati, quam de meo erga se animo fecerunt sibi. Nam nisi his dotibus homines praediti fuerint, quae prius eos reddant commendationibus huiusmodi dignos, haud quaquam (mihi credas Hieronyme) rite et cum fructu commendantur. Si itaque Joannes Ferrus eam frugem de se ad me retulerit, post tam diuturnam peregrinationem, quam tua et aliorum exigit commendatio, facile una commorabimur. Alioqui omnes laterem lavabimus; nimirum ego, vos et ipse. Habet enim etiam nunc nonnihil de priori ingenio. Sed fortasse nondum maturuit. Ideo necessum habeo iterum tironem facere et disciplina imbuere, quod peregrinatione proxima nimiam licentiam imbiberit. Ceterum vir quoque iam ad haec factus, existimationem duntaxat sibi vendicat, ad disciplinam aegre revertitur, grandiore iam aetate prohibitus. Sic magna pars iuventutis per universum orbem decipitur, quando sine custode et sine institutore annos per-

currit adolescentiae. Ego tamen in Joanne conabor experiri, quod agricolae in adultis iam arboribus solent, quae plurium annorum cultura destitutae, et inutilibus ramis condensatae, putantur ferro, et luxu illo liberantur. Resecatis itaque pari modo in eodem Joanne multis, quae ipse licere sibi arbitratur, tanquam adhuc liber et paternae domus illecebris fretus, omni vento appetitus circumfertur. Videbo tandem, quid ex his in illo emendare potero; eam interim ipsius curam habiturus, quam de pluribus Regni huius nobilium filiis, quos foveo in meo famulitio, meisque imbuo documentis. Quibus si se ipse etiam submiserit, et ea ad usum suum accomodaverit, extra vulgi turbam erit. Sin secus, ipse viderit. Ego vero munere meo expleto. nec patri, nec affinibus, neque etiam amicis eius debebo quicquam praeterea.

De tuo autem epigrammate exasticho, quo me tantopere celebrasti, habeo tibi magnas gratias; mirorque, quod adhuc habeas Musas tibi faventes et familiares; quum me iam et Musae et Apollo ipse dudum reliquerint, postquam me sibi hinc senectus, inde Reipublicae negotia vendicarunt. Nec aliud mihi restat de poesi, aut de poetico studio, quam quod libenter lego carmen; tam tardus vero sum ad carmen faciendum, quam qui nunquam ea facere sciverit. O te felicem itaque! cuius senectutem prope iam extremam Musarum chori comitantur, Apollo lyra sua solatur, sustentat otium domesticum, nec anxior cura Reipublicae, quae omnis hoc saeculo miserrime affecta est, distineat a suis studiis. Ad quae si tibi reliqua bene respondeant, optime tecum agi censeo. Ego hic, quanto in maiore dignitate sum et honore constitutus, tanto sane minus sum meus. Ne huc adscribam aerumnas

Regni Hungariae, consequenterque nostra incommoda, qui in eo ad summa loca gradusque conscendimus. Sed quum res humanae universae alternas vices ferre cogantur, infelices nos, qui in hanc ultimam memorati Regni aetatem incidimus, desperantesque omnino reparationem eius nostris annis, solitudinem optamus. Vale. Viennae 27. Februarii 1569.

CIX.

Verancsics Antal a római egyház bibornokának felajánltatik.

Summo Pontifici Pio V.

Antonius Verantius, Sanctissime Pater Piissime 1569. mart. 1.
Pie, Agriensis Praelatus Reverendissimus, et Maximiliani Caesaris a Consiliis illustrissimus, qui nuper periculosissimum bellum a barbaris Pannoniae illatum, utilissimis induciis eiusdem Caesaris Legatus dispulit, et Tuae Sanctitati, et universo fere orbi Christiano integerrimus, maxima rerum experientia, ac eximia prudentia et facundia vir cognitus est. Is a Tua benignitate et ob eius praeclara merita, et in Caesaris certe vel petentis vel non petentis, honorem ornandus est; is idem Tuo lateri, qui coelum potestate reserans terris praesides, adiungendus; atque hoc demum viro Sacrum Cardinalium Collegium, quibus illud fulgere decet, et quibus fulget virtutibus adaugendum est. Hoc Ecclesiae, hoc totius fidelium Rei-

publicae utilitas postulat, Catholicus orbis cupit, praecipue vero Dalmata natio, quae perpetuo fidelissima, atque huic Apostolicae Sedi devotissima perseverat, quaeque quartum lumen Ecclesiae, Divum Hieronymum, quae hunc ipsum Verantium dedit, humillime a Te petit; hoc denique posteritas a Te factum inter prudentissima Tua atque optima gesta recensebit, Tu vero nobis diu vale.

Ex Venetiis kalendis Martiis
Tuae Sanctitatis

pedes osculans
Antonius Proculeianus.

CXX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas,
Domine, domine mihi clementissime!

1569. máj. 15. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Vestrae Caesareae Maiestatis humillimam commendationem. Causa Telegdini et civium Tyrnaviensium currit per varias et multas faeditates, nec aliud actum est hactenus, quam quod per dies proximos disputatum est magna contentione doctorum. Impactum postremo est in eo: quod Telegdinus agi vult de iniuriis sibi illatis diffamatione civium, cives autem in eo solo instant, se nec authores, nec accusatores esse infamiae Telegdini. Quumque mandatum

Vestrae Maiestatis solis civibus videtur suffragari, dicendo, ut illud tantum iudicio domini Locumtenentis revideatur, an ipsi cives authores infamiae sint Telegdini, de iniuriis vero Telegdini nulla in eo fit mentio; nec dominus Locumtenens, nec nos alii scimus in eadem causa procedere, nisi ambarum partium propositiones in considerationem et iudicium adducantur. Cuius rei causa supplicatum est Maiestati Vestrae a tota Sede, alias hoc iudicium nequit procedere.

Ceterum, clementissime Imperator, miseris meis fratribus Capituli Agriensis nondum sunt domus liberatae a militibus; possessio etiam arci vicina nomine Felnymeth variis et indignissimis modis opprimitur, eiusque colonis imposito per dominum Forgach concionatore haeretico, et parochus eorum, et altaristae exclusi sunt ex principali sua ecclesia; usurpata etiam dimidia parte eorum proventuum. Et quia haec sola possessio ab initio semper fuit Catholica, omnibus aliis infectis haeresum maledictionibus, hoc dolore omnes et Capitanei, et alii in eorum eversionem coniurarunt et incubuerunt. De quibus oppressionibus suis quum habeant apud Reverendissimum dominum Vesprimiensem libellos supplices, demisse supplices, dignetur Maiestas Vestra et his miseris, et Capitularibus succurrere, ne desolentur, neque transactio mecum facta violetur. Alioqui omnia ibunt pessum, nec tardioribus remediis convalescere poterunt! Et Deus Optimus Maximus Vestram Sacram Maiestatem Caesaream servet incolumem et quam felicissimam. Posonii 15. Maii 1569.

CXXI.

A Salmis Gyula grófnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum dominum Julium Comitem a Salmis.

1569. máj. 18. Litteras Magnificae dominationis Vestrae super querimonia colonorum suorum de Wyzkewz, quod videlicet officialis meus Selliensis exactione telonii eosdem molestet; idque (uti scribit) in praeiudicium antiquae eorum libertatis et immunitatis ab huiusmodi onere solutionum, intellexi, vellemque omnino, si posset fieri, non id inter nos controversionis incidere. Sed ut Magnifica dominatio Vestra secure agit pro conservatione suorum privilegiorum, nec propterea offendit animos amicorum; ita sane et ego arbitror, vitio mihi verti non debere, si similiter privilegia mea tueri volo. Paratus alioqui semper, omni propensione et studio meo eidem inservire et gratificari.

Quod igitur ad rem attinet: nolo uti prolixioribus verbis; sed Magnifica dominatio Vestra non gravetur perlegere aliquot titulos in Tripartito legum nostrarum opere de privilegiis. Et cognoscet omnem rationem et distinctionem privilegiorum huiusmodi, et an liceat Regum antecessorum successoribus Regibus infringere privilegia. Quum autem Bela Rex Turociensem Praeposituram instituit, dotavit, et privilegio telonei ad amnem Vagum oppidum Sellie alluentem, commendavit. Quod quale est, quod habet Magnifica dominatio Vestra? a quonam rege sit collatum? quave ratione meum debeat infirmare, tam antiquum, et sigillo

aureo emunitum? nondum scio. Et sane scire cupio, petoque, ut illud mihi demonstrari, mandare non gravetur. Quod quidem si tale erit, cui meum debebit cedere, sine contentione illi deferam. Si secus, spero, Magnificam etiam dominationem Vestram non oppugnaturam mea iura. Alioqui, ut ego annis prioribus semper summa observantia parentem Magnificae dominationis Vestrae colui, ita certe pari animo erga Eandem, eius nobilissimum filium, semper esse volo. Nec deero vicinitati nostrae ullo officio, dummodo istinc a ministris suis aeque rei huius cura habeatur. Quamquam nuper etiam rates quaedam meae ex Turocz missae cum silvestri materia erant, officialesque Eiusdem ad Galgocz omnes asseres, quas vehebant, nobis ademerunt, non sine et damno nostro, et colonorum nostrorum, qui eas vehebant, iniuriis. Ne igitur talia contra nos deinceps fiant, rogamus. Et utatur nobis, ut vicino non molesto, paratoque ad omnia, quae amicitiam nostram mutuam conservabunt. Valeat incolumis et felix. Posonii 18. Maii 1869.

CXXII.

Unokaöcscsének Faustusnak Verancsics Antal.

Ad Faustum Verantium nepotem suum.

Ternis tuis, quas omnes die mensis huius III. 1569. jun. 1.
IX. et XVI. ad me dedisti Patavio, responsurus; scito, eas mihi placuisse multis nominibus; sed his potissimum, quod iam nonnihil et purgatius scribas, et moni-

tiones meas ad virtutes amplectendas non gravate accipias, ceterumque sic etiam istic te gerere coeperis, ut etiam praeceptoris tui Fascoli, doctissimi et gravissimi viri, laudem de bonis moribus tuis promerueris. Incumbe itaque toto animo, totisque tuis viribus, ut in istis studiorum tuorum principiis tam praeclaris, de quorum etiam mihi maximam expectationem concitasti, sic pergas atque emices, ut eo demum evadas, ubi laureae Doctorum sortiantur. Neque enim satis est bene incipere, nisi etiam perficiatur optime. Quia ex fine omnium rerum omnis laus metitur. Memineris itaque sic ad optatum et propositum studiorum tuorum finem contendere, ut spem, quam de te et ego et parentes tui concepimus, non destituamur; tu vero temetipsum exponas risui, si oleum et operam, quod est in proverbio, perdideris.

Ad studium autem musices, quod scribit Joannes Jovius, affectare te mirifice, laudo desiderium tuum; quum ea scientia valde olim apud Graecos floruerit, et summa in veneratione fuerit. Quapropter et Temistocles habitus est indoctior, quod eius fuisset imperitus. Et quia eius partes dicantur esse tres: prima, quae confingit cantus, secunda quae modulatur, tertia quae agit instrumentis: tu quod sis aptus ad cantus componendos et ad modulandum, haud quaquam adhuc perspexi. Scire vero talem scientiam, quae iucunditate afficit utique aliqua homines, fructibus autem nullis; haereo equidem, quidnam facturus es de tertio eius genere, perpetuo digitos fidibus atterendo, et aures dumtaxat stridulis sonis recreando. Nec habeo aliud, quod dicam tibi, quam me nihil posse solidioribus commodis tuis polliceri. Nolo tamen, ut omnino cesses ab eius desiderio, teque nunquam illi applices.

Quin potius volo, ut eam discas et ediscas, sciasque omnino testudinis, sive, ut nunc vocamus, luthinae peritiam, qua possis interdum et aliorum studiorum tuorum vigilias sublevare, et senectutem meam recreare. Quod instrumentum quum omnibus ingenuis tuto conceditur, tum etiam ne magnatibus quidem interdicitur; eius tu studium paulo tardius, meo certo iudicio, aggrederis. Cavebisque diligenter, ne te sic dedices ac devoveas illi, ut non orator, non philosophus, non physicus, non jurisperitus, sed coraules, utricularius et cytharedus in patriam revertere, tibique illud obiiciatur domi a conterraneis: „Scytha Patavium, Scytha Patavio.“ Horum itaque sedulo memineris.

Quod vero Jacobo Superancio Patricio Veneto, non ita pridem apud Turcam Bailo, nunc Praetori Patavino, viro claro et omnibus numeris absoluto, raroque in administranda Republica sua Senatori, insinuasse scribis, probe fecisti. Et scito, laudem esse non postremam, principibus placuisse viris. Hic autem clarissimus, tantum de meo nomine ac fama bene meruit, ut non ego solum, sed tota domus nostra debet quicquid pro maximis beneficiis grati homines debere solent. Nec cetera requiras articulatius; sed eius benevolentia atque opera facti sumus ei notiores, et laudatiores apud multos Principatus. Affuit enim non mutus testis industriae meae, qua proximam legationem, gravem sane et difficilem, gessi in Turcia.

Quum itaque vos omnes mei meae erga illum gratitudinis debito teneamini, ob patrocinium, quod ex eo vestris in rebus sperare possitis tu pro virili parte tua agnosce virum amplissimum et omni colas observantia; agnoscatque etiam ipse ex huiusmodi

tuo officio meae quoque aliquid erga se voluntatis ac studii.

Reliqua de his, quae usus tuus postulat, ad Joannem Jovium perscripsi, eaque ex eius litteris cognosces. Vale. Posonii prima Iunii 1569.

CXXIII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad fratrem Michaelem.

1569. jun. 10. Litteras vestras VIII. Maii datas accepi, gaudeoque omnes vos istic bene valere. De Archiepiscopatu non est iam, quod loquamur aut somniemus; nisi si quid insperati futura Comitia ediderint, quandocunque illa habebuntur.

Dos Margarethae tota erit in auro, et iam tota est numerata. Tantummodo occurrat aliquis fidus, cui secure ad vos detur.

Nec illa bono animo accepi a vobis. Si eam mihi credere nolitis, credite alii cuipiam. Deus bone, quorsum haec tanta diffidentia. Aut num vos ego iam a me reiecerim, si Petri nostri causa durius aliquanto vobiscum egeram. Sed, quaeso, absint in posterum a nobis huiusmodi motus, et liberius maioreque fiducia agatis mecum, vel saltem solita. Cui similiter nihil unquam defuit, quod ad coniunctionem nostram pertinuit.

Ubi vero celeritatis me admonetis, ne Margarethae proci alio vertant studia; agnosco rei periculum,

sed certe nequeo magis festinare. Et quia tantum aes mitti Venetias consultum esse non puto, neque hinc per ullum ex hac gente ad vos destinandum, ne fortasse pravis quorumpiam ingeniis traduceremur: existimarem, huc istic aliquem mittendum, si quem tantae fidei haberetis, nec parceretis sumptibus, quos ego essem repositurus vobis.

Habebam autem in animo, ei rem committere, de quo etiam nominatim ad vos scripseram. Sed et illum bene ambo cognovimus, et experti sumus. Quare omisi hanc cogitationem, vosque istic videte, et mature me edocete, quicquid in hoc commoditatis habere poteritis. Nulla deinceps usuri opera Devii; sed solidioris cuiuspiam viri, qui et fide erit integra, et provinciam obire sciet.

De statu ac de valetudine mea si quaeritis; nunc hic Posonii cum Episcopo Transilvano publicis praesum Judiciis; et perquam optime valeo cetera, nisi quod adhuc catharro levi humeri, quem e Turcia cum pace retuli, vexor. Nec habeo medicos, qui eum expugnare queant, vel etiam sciant. Singuli enim imbecillitatem senectutis meae causant, et inediam mihi inculcant Quos ego quidem omnes iudico parum esse medicos; quum videam eos vix quicquam scire praeter ea, ubi Galeni atque Hypocratis regulae non successerint. Et saepe hominem occidunt, dum explorant morbos; incerta interim, et fortasse etiam aliena remedia adhibentes. Quo fit, ut me valde male habet, quod nunc hic nec empyricos habemus, nec mulierculas, quas nostri Pannones noctivagas et semimedicas vocant. Quod utrumque genus hominum simplicibus utentes radicum atque herbarum virtutibus, puto, quod maiore cum effectu his inclusis morbis, qui non

habent in urinis locum seu aphorismum, mederentur. Illi ubi venena miscuerint infirmo, adeo expurgant alvum, ut cum noxiis etiam innoxios humores eruant; quantumque ad tempus, sine ullo incremento diuturnioris incolumitatis prosunt, tantum toti vitae obsunt et detrahunt. Sed quia is defectus communis est omnibus mortalibus, nos etiam aequo animo pergamus ad nostram metam; sustentantes interim vitam nostram, ut melius poterimus, etiamsi plura incommoda seniles anni nostri nobis accumulaverint.

Quod ad nova vero attinet: Oratores nostri, qui calendis Ianuarii munus honorarium in Turciam portaverant, redierunt, et attulerunt, eum tyrannum grave bellum, alterum ab Arabibus maris rubri sustinere, alterum contra Moschum ordiri; nobiscum omnino pacem velle, Transilvanoque, qui iam in nos moliebatur hostilia, dabatque operam apparatibus bellicis, mandasse, ut a consilio, et a conatibus, quos urgere coeperat, desisteret, et coleret cum Caesare nostro pacem. Caesar autem noster minime ab hac qualicunque pace per hoc tempus alienus, quo totam ferme Christianitatem bellorum incendio flagrare, et simultatibus mutuis irretitam esse videt, eam, ut non intempestivam, gratam habet. Parum tamen et Turcae et Transilvano, eius pullo, fidei adhibendum; maioribus praesidiis instruit confinia, ne imparatum hostis offenderet.

In Galliis, Conde sublato, tumultus bellicos ferme omnes putabamus esse exstinctos. Sed Volfgangus Bipontinus Dux in illud Regnum cum exercitu non contemnendo cathafractorum et peditum, mox a clade Condeana infestis invectus signis, nunciant

parum deesse, ut se cum Admiraldo Regis hoste coniungat, et simul denuo in eum arma intendant.

Belgium bene ab Hispanis castigatum cornua demisit, silere coepit, seditiones omisit, arma deposuit, et imperata facit. Nos libenter paci studeremus; sed quorundam rebelliones proximae ita nos reliquos in varias suspiciones apud Germanos coniecerunt, ut omnes male audiamus. Deus itaque male faciat improbos, et pereant universi, qui bella volunt, et quietem publicam perturbant, novisque periculis has exiguas Regni reliquias obiciunt

Reliqua erunt de Joanne Ferro, qui neque nunc apud me permansit constans. Mira hominis levitas, inaudita vanitas, volubilitas animi super omne, quod non constat sibi. Vestiveram illum tum aestivis, tum hybernis perquam nobiliter. Neque his contentus, ut familiares mei reliqui, contraxit mutuum, et plura addidit suo cultui; huncque in modum factus magis conspicuus, sociatusque cuidam Italo familiari meo, statura atque ingenio sibi simili, non aliter per urbem Viennensem ambularie sese venditavit, quam si in ea solus fuisset Pamphilus, essetque Sibenici. Nec reliquas eius ineptias huiusmodi volo vobis recensere. Sed tota iam et ea urbs, et Caesaris aula de illo loquebatur, quaeritabatque, num affinis esset Agriensis. Quare videte, quo poteram esse animo, foris erubescens, domi contumaces et turbulentos habens. Ad haec quum domum cuiusdam Oratoris, viri clari, uxorem secum habentis, mihi vero amicissimi, crebro in die pertransiret, et lascivius per fenestras eius iacularetur oculos, animadversa est iniuria, et consultandum de ea vindicanda. Ignorabatur mihi hoc facinus, nec prius de illo quicquam scivi, quam ipsemet Ora-

tor monuisset me, inhiberem hominem. Alioqui ego si forte neglexissem, ipse aut fustibus, aut etiam gladiis corripiendum curavisset; cui etiam ad illam usque diem gratia mea pepercisset. Auditis his exhorrui, et expavi fere ad stuporem ipsum, miratusque de insani audacia, simul et de imprudentia, mox reprehendendum et monendum curavi, ut desisteret et caveret; quia Orator omnes servos suos erat in illum armatos immisurus. Territus tandem vitae periculo, silentio rem commisit. Coepitque interim delectus militum fieri, et Cassoviam mitti; animum vertit ad militiam, et facultatem abeundi postulavit, obtestans me maximis precibus, ut ei pecuniam suppeditarem, qua sibi ad duos equos apparatum disponeret. His petitionibus duabus magnopere offensus; primum parentis eius gratia, ne quo casu orbaretur filio; deinde sumptuum meorum causa, quos haudquaquam in illum tunc temporis faciendos mihi esse arbitrabar. Usus itaque mox disuasionibus et variis et validis, ne se in incommoda et pericula bellica praecipitaret, maneretque in statu in quo erat, et consiliis meis, meaque disciplina diutius uteretur, quae illi esset honorifica, operireturque alias occasiones apud me meliores, quae conditioni suae futurae fuissent magis et honestae et accommodae. Obaudivit, et eo usque ursit me et sollicitavit, ut coactus fuerim annuere. Datoque illi modo fere ducentorum tallerorum, apparatum sibi instruxit, et digressus est a me. Quod pluribus verbis ad vos descripsi, ut, si opus fuerit, excusetis me apud eius patrem, ad quem nihil scripsi de his, quae in eum a die, qua ad me venit, insumpsi. Sed profecto constitit mihi talleris quadringentis et aliquanto pluribus. Verum vadat ut ivit; in meam tamen domum eius furiae

nunquam deinceps admittentur quibuscunque casibus iactabitur, aut felicitatibus florebit.

Nec plura modo. Catherinam cognatam, et omnes liberos vestros salutate, ac bene valete. Posonii X. Junii 1569.

CXXIV.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Missile Regium, tenore cuius Transilvaniensis, 1569. jun. 17.
Agriensis et Varadiensis Episcopi causa tractandorum certorum negotiorum Viennam advocantur. Viennae 17. Iunii 1569. (A volt m. kir. udvari kanczellária régi levéltári lajstromából.)

CXXV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacram Caesaream Maiestatem.

Proximis diebus unus ex vaywodis naszadistis, 1569. jun. 19.
nomine Dionisius Nemeth, hospes et inquilinus oppidi mei Sellye, questus est Sacrae Maiestati Vestrae de me, quod domum quandam eiusdem violenter ab eo occuparem; mihique duo etiam eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae exhibuit mandata, quae districtissime

imperabant, ut ab huiusmodi violentia desisterem, et de facto ademptam domum illi restituerem.

Quae quidem mandata omni cum humilitate et reverentia, qua debui, recepi. Verum quum idem Dionisius secus rem suam Maiestati Vestrae exposuit, gravaturus me non iustis causis, quam sese habeat: aequitatis rationes et jura mea exposcunt, ut hoc ipsum negotium non ita de facto exequi possit, sed suis modis prius revideatur et cognoscatur, deinde quod juris atque aequitatis erit, inter me et illum transigatur. Cui haud dubie ego essem judex pro ea parte, qua oppido meo et terris meis fruitur. Nec est conveniens, ut homo, qui est conditionis eius, terrestrem dominum non agnoscat, et insuper hospes atque advena existens, jus sibi nobilitare, consequenterque haereditarium arroget et usurpet. Habito tamen Sacrae Maiestatis Vestrae pro fidelitate et subiectione mea debito respectu, ubi primum haec Judicia finem sortientur, quibus ex clementi deliberatione Maiestatis Vestrae (inter) esse me oporteat, ad memoratum oppidum meum Sellye descendam, et hanc controversiam cognoscendam, jureque mediante decidendam curabo.

Est tamen operae pretium, ut Sacra Maiestas Vestra meam etiam causam clementer intelligat, quae mihi est cum hoc, et cum tribus aliis vaywodis inquilinis et hospitibus meis; qui ductis in eodem oppido uxoribus, et iis, obtentis etiam agris et omnibus aliis commoditatibus et utilitatibus, iam non ut inquilini et hospites, sed ut oppidani mei vitam degunt, inhaerentesque naszadisticae suae libertati, et suis exemptionibus ab oneribus, quae debentur Principi, me qui sum eis terrestris dominus, haud quaquam volunt agnoscere; sed praeter alias insolentias, quas in me

assidue committere non verentur, etiam litigare mecum secure audent et praesumunt, tanquam condivisionales mecum in bonis meis. Quod certe nostra gens ferre minime potest; fitque ex hoc etiam Ecclesiae iuribus magnum praeiudicium, quibus tuendis et conservandis nos ecclesiastici magno iuramento adstricti sumus. Nec id solum vigore sacrorum canonum, sed etiam Principum ordinatione, a quibus similia beneficia accipimus.

Ut autem de maiori etiam audacia et confidentia praefatorum vaywodarum Maiestatem Vestram humillime edoceam: Proxima eiusdem Maiestatis Vestrae expeditione contra Turcas facta, quum attributae fuissent illis duae naszadae omnibus classiariis instructae, putantesque eam eis occasionem valde oportunam advenisse, mali cuiusdem animi sui contra me furorem declarandi, ad praefatum meum oppidum venerunt Vago flumine, irruentesque in illud cum toto ferme numero classiariorum suorum, perpetratisque in eodem multis violentiis, postremo domum quoque meam invaserunt, usique ibidem magna licentia, proscissoque maximis vituperiis et me et officialibus meis, fuderunt demum et sanguinem, aliis ex familia mea vulneratis, et aliis verberatis. Exsaturatique tanto facinore, minabundi ubi rediissent graviora, discesserunt.

Huiusmodi itaque hospites atque inquilini, Clementissime Imperator, Maiestas Vestra benigne videat, an sint mihi in bonis meis tollerandi. Ceterum, si nos a militibus Maiestatis Vestrae similes insultus atque iniurias sustinere opporteat, unde oppressionibus nostris tutela atque defensio quaeri debeat, non video. Quum autem ego etiam unus sum ex servis

Maiestatis Vestrae sicut multi alii, Eidemque non inferiora servitia exhibeo, quam sunt aliquot vaywodarum huiusmodi, Sacrae Maiestati Vestrae humillime supplico, dignetur me clementer a similibus hospitibus et inquilinis liberare; quum homines sunt supra modum arrogantes et temerarii. Idque vel hoc solo titulo, quod vaywodae sint Maiestatis Vestrae classiarii. Alioqui neque ego mihi ipsi penes aequitatem meam deesse possum; quia et Ecclesiae meae jura tueri debeo, et qui ex terris meis vivunt, aequum et iustum est, ut cum aliis subditis meis onera quoque sustineant, et in tantum mihi deferant, meque agnoscant, in quantum de terris ac bonis meis participant. De quibus omnibus distincte et humillime ad Sacram Maiestatem Vestram in responsionem querimoniae Dionisii Nemeth scribere volui, ut etiam de rationibus meis sit aliqua in parte informata, donec ad oppidum meum Sellye proficiscar, et absolvam reliqua. Deus Optimus Maximus Sacram Maiestatem Vestram servet incolumem, et felicem ad multa saecula. Posonii XIX. Iunii 1869.

CXXVI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

1569. jun. 24. Accepi Sacrae Maiestatis Vestrae Caesareae mandatum, quo me clementer iussit Viennam ascendere propter ardua quaedam publica negotia, ubi primum haec Judicia Generalia fuissent absoluta. Quod

mandatum ut recepi omni cum humilitate et reverentia; ita eidem parere ac morem gerere diligentissime curabo. Sed quum omnino sum destitutus sumptibus, nec habeo modum Viennam ascendendi, nisi haec Posoniensis Camera reddiderit me contentum de pensione kalendarum Februarii; humillime supplico, dignetur Sacra Maiestas Vestra tribus iam mandatis suis super hac re quartum quodpiam aliud his fortius aut validius superaddere, ut tandem de illa mihi satisfaciat. Quinque iam exacti sunt menses a kalendis Februarii, nec praeter centum talleros et quaedam vina vel nummum habui. Videatque clementer Maiestas Vestra, quam mecum recte agatur; quamquam et domi, et foris commode esse possim, nullo interim adiutus vel subsidio, vel salario, vel etiam quibuspiam obventionibus, ut quidam alii; serviens alioqui non minus multis aliis, parumque et importunus et molestus, et ita semper paratus ad Sacrae Maiestatis Vestrae etiam in hac senectute obsequia; ut vix conditionis meae multi sic, qui et aetate polleant, et fortuna omnium patriae postularet, imprimis autem Sacrae Maiestatis Vestrae dignitas atque magnitudo. Sed haec, quum non sint huius temporis, ad quae una dierum Sacra Caesarea Maiestas Vestra, uti spero et confido, respicere, mihique providere dignabitur, quia revera male sum provisus; iterum humillime supplico, dignetur melioribus et fortioribus quibuspiam rationibus clementer decernere, ut constitutis terminis haec mihi deponatur pensio, neque tantopere desudem in ea assequenda. Cuius expectatione tamdiu tractus, illud quoque me excipit damnum, ut interim victitans aere mutuaticio, totam fere, aut maiorem eius partem absumunt mihi foenera. Consideret itaque clementer Sa-

cra Maiestas Vestra, quo sit res mea statu, et benigne tandem dignetur committere, ut praesens memorata pensio deponatur mihi, quo Viennam quamprimum ascendere queam; postea ex innata sua bonitate et munificentia curatura, ut commodioribus quibuspiam rationibus statui meo succurratur. Quam Deus Optimus Maximus diutissime sospitet atque felcitet. Posonii 24. Junii 1569.

CXXVII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc Rex etc.

1569. jun. 24. Reverende fidelis nobis dilecte. Quemadmodum nuper, ita denuo tibi committimus et mandamus, ut nulla facta excusatione eorum, quae proxime tibi significavimus, arduorum negotiorum causa statim, ubi has acceperis, huc ad nos festines. Et secus non feceris. Datum Viennae 24. die mensis Junii 1569.

Maximilianus m. p.

Joannes Listhius
Episcopus Vesprimiensis m. p.

CXXVIII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Missile Reginum quo Agriensis Episcopus causa tractandorum certorum negotiorum horsum advocatur. Viennae die 25. Junii 1569. (Az előbbi m. kir. udv. kanczellária régi levéltári lajstromából.) 1568. jun 25.

CXXIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, Domine, domine mihi clementissime! Post felicem ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Vestrae Caesareae Maiestatis humillimam commendationem. Hodie aliud mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis accepi, quo denuo clementer mandat, ut nulla excusatione interposita in curiam maturem. Cui ut humillime obediam, nec aliud faciam, quam quod Maiestas Vestra benigne iubet, mox eodem mandato lecto misi pro equis meis, qui ubi primum aderint, et viam aliquam quoqiam loco aquarum inundatio aperiet, quae et pontium et traiectuum usum latissime ademit, quam maxime potero, Viennam maturabo, omni cura etiam pensionis meae intermissa. De qua nec adhuc quicquam mihi porrigitur a Ca- 1569. jun. 25.

mera; esto, quod illi hoc etiam mandatum postremum demonstravi, sperans aliquid me delibaturum; sed aeque negavit, se quicquam pecuniarum habere, ut hucusque. Confisus tamen de benigna Maiestatis Vestrae gratia, veniam ut potero. Deus Optimus Maximus Sacram Maiestatem Vestram Caesaream sospitet et felicitet quam diutissime. Posonii 25. Junii 1569.

CXXX.

Diotalevi Ferencnek Verancsics Antal.

Al ms. Francesco Diotaleui.

1569. jul. 6. Questi passati giorni ritrovandomi in Posonio nelli giuditij generali, due delle vostre mi capitorno delli XI. e delli XVIII. giugno. Alle quali queste seranno in risposta, non vogliando lasciarvi longo tempo senza le mie. Per tanto harete à sapere, che la indispositione mia del catharho era nel vero molto grande, quando andai a Posonio. Ma ivi datomi nelle mani del dottor Spino, quell' effetto di giovamento, che non potero farmi quattro medici di questa cita in un anno, con il succo di salsapariglia ò di legno Indico, esso Spino lo fece in dodeci giorni, con quattro bagni domestichi, con le fricationi, e certi fomenti; di maniera, che restai non solamente sano, ma anchora gagliardo. Siche potete esser di miglior animo, quanto in questa parte del esser mio.

Ne Monsignor Illustrissimo Amulio, mio signore osservandissimo sente, se non con grandissima ragione, ch' io gia passati li LXV anni il penultimo del prossimo maggio, dovrei rimetettermi alla quiete, alla quale hormai il tempo et il vigor d' animo tuttavia mi esorta, inviti sprona, e principalmente il debito della professione mia, la quale io istesso veggo, non esser piu per la corte. Ma che possiamo altro, se per l' ordinario i boni servitori meno vie piu riposino, e sono soi proprii apresso li principi, che e dover voria, e saria ragione. Ringratiarete la Soa Illustrissima Signoria di questo aviso de cosa a me veramente desiderosissima, et offeriretele la mia humilissima e molto constante servitu.

Di dar recapito ad un giovine honorato, dotto, e professore della medicina, vorei potervi compiacere. Ma nelli tempi mei d' adesso non lo posso fare per piu cause, che col tempo saprete, e giudicherete, quelle esser state legittime.

Delli vostri caldi assai si meravigliamo qui, ove anchora molti e molto usano le pelizze. Ne li fredi ci danno tanta moglia, quanto l' inundatione del Danubio ni recca danni. Tutte li convalli e le campagne detto fiume de tutti due lati in tanto sono somerse d' aque, che si dubitamo d' una grandissima carestia di pane e di fieni. Ne perho le vigne altro di se promettono, cha pochissimo vino, se pur ancho le vue potessero maturare. Tanta intemperie et inequalita de tempi regnano in queste nostre parti; e tutto questo per li peccati nostri et eresie, che non rimettono pur un minimo che.

La venuta costa del vescovo di Segna potria esser per altra causa, cha per quella, ch' a voi par; e

facilmente potria esser stato mandato dal Revendissimo di Zagabria. Ha da far ancho lui per le correrie di Turchi Boznesi, che li sono molto molesti.

Delli gioveni gia per inante in risposta delle vostre vi ho dato chiaro raguglio, per le quali me scrivevate, che se non li havesse inviato, restasse d' inviarli per le cause, ch' alhora mi scriveste. Hora io non so che fare, perche sono dipartiti, chi di qua e chi di la. Ne è cussi facile far di nuovo la scelta, poiche la prima fu intermessa; ne questa colpa è mia, ma vostra, ovcro di quello, che vi fece scrivermi in quella maniera. Provedete dunque voi à questo errore meglio, che potete; perche io non so che fare cussi presto.

Fracasso con doi altari se ne ando in Agria. Ne perhò si contenta, come sapete bene, li suoi humori; e penso, ch' un giorno l' haveremo qui di nuovo. Perche m' imagino, che non potra fermarsi in quelli travagli del confin, e fra tanti rattori e violenti soldati; immo etiamdio per li periculi, ch' ogn' hora si temono dalli vicinissimi Turchi.

Ne judico altro per queste suol, che m' informate dal modo di farvi capitar qualche danari per la sustentation vostra; si pure vi pare di slongar il ritorno vostro. Non habiando che far altro costa, sopra che rimetendome in voi; state sano. Da Viénna alli VI. luio 1569.

CXXXI.

Tesvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

Jam non est opus quenquam istinc huc mittere 1569. jul. 16.
causa eius negotii, de quo vobis proxime meis significaveram. Mittam enim ad vos Vincentiam Galassum cubicularium meum via Fluminae civitatis. Qui iam ita est accinctus, ut fortasse citius illum excipies, quam has recipies; venietque sic instructus vobis, ut nihil eorum desiderabitis, quae expectatis.

De mea autem valetudine paucis utar, postquam doctor noster Śpinus intra XIIII dies proxime me, dum essem in Judiciis Posoniensibus, sanavit a catarho, quod adeo erat molestum. Nec id quidem aliis remediis, quam fricationibus, fomentis et balneis domesticis; rebus omnibus exterioribus. Laudatque admodum, quod mature ablegaverim succos ligni Indici et salsae parigliae, totque venena pharmacorum; nihil dicens esse mihi perniciosius remediis, quae per os sumuntur. In quo quum illi promptissime paruerim, vos quoque moneo, ut huiusmodi ab ore vestro propulsetis. Quod reliquum est, valere vos cum omnibus vestris, et cum Petro quam felicissime cupio. Viennae XVI. Julii LXIX.

CXXXII.

Ugyanannak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

Litteras vestras XV. currentis datas accepi, et
1569. jul. 22. habui gratissimum propter nuncium, quem mihi attulerunt de omnium vestrum bono statu. De quibus autem scripsistis mihi, ad eam sic respondeo.

Nuptias Margarethae neptis meae non diu futuras, in mora mea causa, quam intra XII dies expediam ad vos Vincentiam, eiusque adventus fiet vobis vestro arbitratu. Dicam tamen quod sentio. Non oportere patresfamilias vulgarem seu popularem luxum, licentiam, imo et deliria aut sequi, aut imitari; dotes filiarum maiore numero, quam re metiri; nec omnino ad multos annos persolvere, nisi cum magna iactura facultatum. Vos itaque nollem ego in hoc aut errorem aut defectum committere, qui optime nostis vestro vos metiri pede, et mensura uti, quae simul et semel non vobis adimat omnia. Plus autem multo est, quod uno actu et sub uno obtutu generis datur, quam quod per plurium annorum calendarumque Graecarum curricula promittitur atque expectatur. Sed haec Minervae. Alioqui admonitiones nunquam nocent. Senes etiam crebro affectibus superantur, sed non aliter, quam seducti ab iis, quibus sese crediderunt. Quae ad vos obiter, et ut cum illo, cum quo etiam coram iucundius colloquerer, et Margarethe nuptiis interesse possem.

Conductio possessionum domini Simonis Arbensis placuit, laudo etiam conditiones eius, quae summe erant necessariae. Jam restat, ut advigiletis, ne Petro desit industria; qui mihi adiuvandus fuit eo modo, quo meliore fieri potuit. Scitis enim, quam egenus, quam et ego non pecuniosus semper.

De cura bonorum Arbensium per id tempus omittenda propter causam, quam mihi significastis, placet vestra sententia. Memineritis tamen eius maxime, si pretium non erit excessivum. Et hoc propter permutationem, videlicet si res ad effectum venire posset.

Quod opinio mea de quibusdam consiliis bonae tuendae valetudinis vestrae vobis non displicuerit, libenter intellexi. Illud tamen male me habet, quod nec epulas habetis istic gratas, nec vina. Quae ut a solo saxeo appelastis saxea, ita certe poteratis et de epulis dicere, ut de alga maris, qua nihil, quod vel ex proverbio didicimus, potest esse vilius. Ne itaque impransus et incaenatus saepius a mensa surgatis, et invitus ieiunetis, deficiatisque ante tempus huiusmodi inedia, de duobus alterum vobis proponatis faciendum. Ut scilicet aut iubete, ut vobis iuvenem aliquem mittam cocum, qui vos Apicianis vel Lucullianis fovebit epulis, cum aromatum condimentis; vel ad me veniatis, et fruamur una his, quae utrique nostrum placebunt. Sic tamen cum domina coniuge vestra, mea vero cognata paciscamini, ne postea et vestri eius desiderio distrahamini, et illius vestro anxiemini. Quod si forte inciderit, neque animus vester, neque corpus haberet suam quietem, sua solatia, et sua vota libera. Deque his ita vobiscum mox a Margarethae

nuptiis constituite, ut alterum omnino faciatis, et annos vitae longius proferatis.

De trierarchatu, et de parviano satis est intellexisse. Ceterum de propaginibus prunorum Damascenorum curabo hoc autumno. De centum florenis scripsi Petro; credoque, quod non aegre illos a me expectabit, et plures alios; quia volo, eum venire huc in reditu Vincentia. Nec vos quoque iam diffidatis de subsidiis, postquam Petrus quoque coepit habere aliquid.

De domino capitaneo Gluceyith intellexi, quod litem vicerit, et domum erat intra 8 dies petiturus. Ideo non direxi ad eum partes meas litteras. Dicetis illi ac suis omnibus salutem meo nomine.

Faustus iam defecatiores scribit ad me epistolas, et declarat, plane esse se Patavii. Non patior quicquam deesse illi; tantummodo vos etiam inculcate illi, ut discat, et amet parsimoniam. Jam enim constitit mihi talleros 400.

Alium qui adhuc est domi, vellem, ut huc mittatis, exigatque apud me biennium. Postea eius etiam geremus curam, postquam Faustus incipiet esse in arce studiorum suorum. Vellem enim, ut ipse etiam addisceret aliquid Hungarice et Germanice. Ego autem beneficio Dei bene valeo, a catharro omnino liberatus, quod proximis etiam tabellariis ad vos scripsi.

Posonii autem quia ad X. Augusti diaetam habebimus, eo me brevi conferam. Nova spe multorum, mea vero nulla, in eadem decretum iri de Archiepiscopatu. Hac autem confecta diaeta Caesarea Maiestas conferet se in Bohemiam, aiuntque quod Wratislaviae cum Rege etiam Poloniae conveniet; vehementerque dubito, quod me etiam secum esse iubebit,

quod nollem. Alioqui non potero non parere, si huius animi fuerit.

Quod reliquum est: Signa iam apparent, bellum hoc anno nos in Hungaria non habituros. Rex autem Poloniae in proxima diaeta coniunxit Lythvanos cum Polonis perpetuo vinculo, perfecitque felicissime; quod multi Reges antecessores eius nequiverunt. Jamque imposterum unis legibus parebunt. Ex quo ille Rex, quantum nomen in toto mundo consequetur, eloqui non est facile; donata Polonis etiam haereditate sua Lythvaniae, quam ei maiores sui reliquerint. Quo similiter tanta gloria a suis celebretur, ut praeferatur multis prioribus.

Dominam cognatam salutetis, et bene valeatis. Viennae 22. Iulii 1569.

CXXXIII.

Pankotai Ferencz egri vicariusának Verancsics Antal.

Ad Vicarium Agriensem.

Reverende frater in Christo nobis dilecte et honorande salutem. Superioribus diebus Andreas Choka omnem eam pecuniam, quam illi ad nos dedistis, accepimus, et agimus vobis gratias, quod ea carere nos noluistis; quamquam nihil etiam erratum fuisset, si eo quo a nobis erat destinata, restituissetis illam. 1569. jul. 26.

Testamentum autem quoque Dobrey confirmavimus, et illud Magistro Georgio Zegedy Canonico nostro ad vos dedimus, ut illud rite exequendum curetis. Omni tamen studio adhibito, ne quid eorum

eiusdem testatoris depereat, quae ad nos relatione quorundam sunt perlata; quum suo tempore dabimus operam, ut cognoscamus an ita sese res habuerint; nec etiam praetermittemus eam curam, ut, quomodo legata eiusdem demortui distributa fuerint, sciamus. Neque vos ex hac sollicitudine nostra quippiam in vos transferamus, quod scilicet nôn crederemus vobis; quia iam dudum ex multis argumentis cognovistis, et plane manu quoque palpastis. Sed quum et multa audimus de similibus testamentorum exequutoribus, et ex parte non pauca credimus; agnoscetis res demortuorum fratrum apud complures, qui in legatis non habuerunt. Memineritis itaque, ut deinceps isti tales exequutores nos etiam inter se connumerent (igy). Habita interim diligenti cura, ut et a Rubero, et ab aliis debitoribus muta exigantur; teneatur omnium optima et sincera ratio, quae elargiri oportebit.

De negotio Magistri Gregorii Zegedini, qui pro gratia apud nos laboravit, illud nos velle sciatis, ut causam eius citra strepitum popularem et vulgus revideatis, neve ulli ex fratribus nostris etiam fragilioribus primum cura pastoralis, deinde pietas, ac postremo gratia nostra desit; iisque maxime, qui resipiscunt a viis suis malis, vitamque dirigant in melius, paterne castigati atque admoniti. Sic cum hoc ipso Zegedyno transigat, ut gratiam errati sui obtineat; prius tamen non, quam et hanc mulierem, cum qua apostatasse, ac ordinationibus Sanctae Romanae Ecclesiae omnibusque Sacris Conciliis deliquisse dicitur, ab sese summoveat, et canonice palam promittat, quod imposterum cum suspectis in domo sua non cohabitabit; et si secus fecerit, judicii rigorem subeat, et eas poenas luat, quas delicti culpa commerebitur.

Si enim non licet Episcopo manifeste peccantes aut pietate, aut commiseratione prosequi; quanto minus ei est permissum, ut perseverantes in peccatis gratia sua complectatur, et indulgentia corroboret, et depravatiores reddat. Quum autem et liberos ab eadem femina susceperit (uti audimus), et praesentium temporum licentia plurimos homines pervertat, a disciplinaque et a recto, suaque professione abducat; facile et iura matrimonii cum illa usurpasse potuit. Quod quia cognitionem fori vestri concernit, nos iam de his loqui desinimus.

Ceterum non ignoratis, quanta molestia laboremus ob desertorum altarium Ecclesiae nostrae vineas, quarum hactenus magnam partem in laicos, atque in hereticos dilapidavimus; nec id tam ultronea et incircumspecta nostra voluntate, quam et vestro, et aliorum fratrum nostrorum consilio, praetextuque minime approbando, ne videlicet in solitudinem devolvantur. Quumque huiusmodi ratione ducti partim vinearum integritatem conservavimus, partim ab Ecclesia alienavimus, nullas denique ex eorum manibus recuperamus, nisi et magno nostro negotio, et iniuria similium possessorum: deinceps itaque statuimus, ut memoratae vineae, etsi desolentur et ad labruscas redigantur, nemini prorsus ulla conditione conferantur. Detisque operam, ut ea ad altare Omnium Sanctorum pertinens, et existens apud Egregium Joannem Vytezium, Magistro Marino de Bonis, rectori suo restituatur; et si quae sunt aliae hunc in modum quibuspiam collatae, pro vestris viribus enitamini, ut in pristinum revocentur, nec quemquam in posterum patiamini sic agere cum suis vineis, ut eas non omni tempore in sua habeant potestate, quotiescunque rehabere voluerint.

Quum autem Magister Raccamontes non potest Agriae et canonicus et mercator esse, ut hic Viennae; mandetis illi, ut desistat quaestum agere, et merces, quas istuc ex Italia attulit, remittat ad hanc civitatem. Istic sacerdotem gerat. Alioqui si in hac licentia perrexerit, cum inobedientum sententia feriatis.

Lectorem quoque admonete, ut scortum, propter quod coactus est tantopere erubescere, et non pauca perpeti incommoda, ab se reiiciat, et tali vel culinae, vel aliorum domesticorum operum utatur ministra, quae suspicione scorti careat, nec nobis moveat bilem, veteremque (így) toti ordini atque Ecclesiae nostrae identidem opprobria retexet; promisit enim, eius se commercio liberaturum, ubi primum Agriam redisset. Quod si non fecit, et in eodem adhuc erret luto, extendite in illo authoritatem vestram, et honori tum Ecclesiae, tum ordini nostro consulite. Beneque valete. Viennae 26. Julii 1569.

CXXXIV.

Faseolo Jánosnak Verancsics Antal.

A ms. Giouan Faseolo.

1569. aug. 4. Parmi esser cosa molto difficile, à poter talmente disciplinare la giouenta, che si conserui nelle prime parti della soa educatione. Anchora che cò grandissima diligenza si tenghino sott' il freno. Et è verissima quella sententia d' Horatio, che li giouani subito sciolti dalla custodia di maggiori suoi, si danno

à diuersi solazzi e studii, cò usurparsi appresso tutta quella liberta, che chiamamo licenza di maniera,, ch' al fine bisogna lasciarli a uincere. Poi che mandati ne stranieri e lontan paesi, se ne sogliono dar per se stessi in tutto quello, che li uoleri loro gli porgono inante, e guidare più tosto la, oue gl' appetiti se godeno, non le uere, ne le legittime ragioni, con el suo uie piu maggior dano ch' utile. Di che esempi nò ci manchano tutta uia ch' ogni giorno fa nascer la gabbia di questo trauaglitissimo mondo. Lo quello malamente gouernato nel presente nostro secolo dalli suoi mortali e monarchi, le giuuentu anchora appresso tutte nationi sono deprauate, manchandole Curii, Fabricii, Catoni, e molti altri simili, per il gouerno delli quali ogni bona disciplina e costumi regolati da per tutto stauan' in piedi, ne nissuna ettà inante il tempo è senza giudicio di maggiori soi si reccaua la liberta, et il potere di uiuere a suo modo.

Pertanto questi anchora nostri dui, raccomandati à uoi, oue uolea, che uiuessero sotto la disciplina uostra, come solto la mia ueggo; che seguendo il comune errore e diffetti publici, cominciano uoler tutto quello, che nò saria ne uostro ne mio instituto. Ne so quello mi debbia dire, imm' ancho ne fare sopra cio, tante ragioni mi propongono di maniera, che uorebbono starsen' da per se; e uiuer à suo modo. Qual stato nò direi esser fuora di proposito, si pure fussero di tale maturita, che si sapesso ben gouernare. Per il che io anchora volea, che qualche tempo stessero in potere del maestro. Dubitandomi, che ne quella ettà, in qual sono, nò sarebbono stati sufficienti à gouernarsi per se stessi, et ut est in proverbio, nare sine cortice.

Ma puoi che s' hanno assecurato tanto, che gia pare, siamo fatti maestri nell' Israele, faciano essi, e lasciateli 'andare e tenere la uita e la cuccina quale uolno. Prometendoui, che se nò si gouernarano saviamente, io anchora ordiro altro pensiero di loro. Ne uorrò, che totalmente seguino li suoi humori, e corrino alla uentura.

E tra questo mezzo, gli ho commesso, che ui sodisfacciano per tutto quel tempo, che sono stati apresso voi, offerendomeli anchora io cò tutti quelli appiaceri et ufficii, che da me si potrano prestarsegli. Ne lei restera di comadarmi e ualer se ne di tutto quello, cò che saremo bastanti à servirla. E quest' è quanto in resposta delle soe del primo di luio. State sano. Da Vienna alli 4. d' agosto 1569.

CXXXV.

Verancsics Antalnak Rust Jeromos.

1569. sept. 10. Reverendissimo Signor mio! Io non ho voluto lasciar partir di qua il Diotalevi suo secretario senza la compagnia di questa mia a Vostra Signoria, la quale mi servira solo al presente per salutarla, et per farle fede, che egli e stato sempre volontieri da Nostro Signor, per rispetto di Vostra Signoria principalmente, et perle virtù et modestia sua. Del desiderio, ch' io tengo di servirla. non le dirò altro, senon che mi rimetto alla relation, che dovrà farlene

in mio nome il medesimo Diotalevi, come informato appieno della volonta mia. Con che allei bascio le man, offerendole et raccontandole dicontra, chel Signor Dio la conservi. Di Roma alli XVI. di settembre 1569.

Di Vostra Signoria Reverendissima

l' affectuosissimo

Girolamo Rust mp.

Kívül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo di Agria.

CXXXVI.

Verancsics Antalnak Amulio bibornok.

Reverendissimo Monsignor come fratello! Ritornando hora a Vostra Signoria ms. Francesco suo secretario, non voglio io se non salutare lei, rimettendomi nel resto, à quanto le dira esso per mio nome; poi che lo conosco in questi giorni, che l' ho conversato, tanto discreto, modesto et inteligente, che son certo, non defraudara punto al' amore ch' io porto a Vostra Signoria; et al desiderio, che tengo di farle servicio. Et certo è servire meritevole della gratia di lei, il stato et sanita mia la sara monstrata da esso, quello che posso et vaglio tutto è di Vostra Signoria, alla quale mi offero, et prego dal Signor

1569. sept 17.

Dio ogni contento. Di Roma li XVII. settembre del LXIX.

Di Vostra Signoria

come fratello

Il Cardinal Amulio mp.

Küvül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo de Agria, etc.

CXXXVII.

Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok.

1569. sept. 17. Molto Reverendo Signor come fratello! Il Diotalevi, il quale se ne ritorna a Vostra Signoria, spedito da Nostro Signor nella commession sua, come ella vedrà, è stato cossi ben visto da Soa Beatitudine per rispetto di lei, et per le virtù sue anchora che per non difraudarlo di quanto merita in questa parte, le ne ho voluto far fede con le presente. Onde lo raccomando a Vostra Signoria come secretario suo demerito, et come amandome ancora, che sara fine di questo; offerendomi in tanto ad ogni commodo suo sempre. Di Roma alli XVII. di settembre 1569.

Di Vostra Signoria molto Reverenda

come fratello

Il Cardinale Alessandrino mp.

Küvül: Al molto Reverendo Signor come fratello, Monsignor il Vescovo di Agria.

CXXXVIII.

Verancsics Antalnak Dolfino bibornok.

Reverendissimo Monsignor come fratello hono- 1569. s pt. 18
rando. Venendosene da Vostra Signoria il suo Diotalevi, et havendo conosciuto, mentre è stato qui, con quanta saldezza io conservi in me il buono affetto, il quale ho portato sempre a Vostra Signoria, mi parrebbe severchio, s' io volessi interno à questo dirle più di quello, ch' ella potrà udir dalla viva voce sua. Rimettomi dunque à lui cose di questo, come del resto dell' esser mio, e delle cose di qua, delle quali egli è instruttissimo, e potra darlene abbondante ragguaglio. Questo solo non le taccio, che come non è effetto di vera amorevolezza, il quale ella non si possa prometter sempre di me, cosi mi sarà sopra modo caro, che ella mi dia talvolta occasione da mostrargliene segno. Mandole un paco di rocchetti, li quali sarà contenta di godersi per amor mio. E di buon cuor mele offero e raccomando. Di Roma à XVIII. di settembre.

Di Vostra Signoria Reverendissima

uti amantissimus frater

Cardinalis Delphinus m. p.

Kívül : Al Reverendissimo Monsignor come fratello honorando Monsignor il Vescovo di Agria.

CXXXIX.

Verancsics Antal esztergami érsek.

1569. okt. 17. Nos Maximilianus etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod quum diligenti cogitatione in animo revolverimus inter alia, quae Culmini Nostro Imperiali dignitatique Regiae varia incumbunt munia praecipuum esse, quod honorem cultumque concernit Divinum, ipsaque Dei Optimi Maximi Maiestas nonnisi fide et religione, quam Sancta docet et profitetur Ecclesia, coli venerarique soleat et possit; cumprimis elaborandum nobis judicavimus, ut in Regnis et Provinciis, adeoque Imperii Nostri circulo Dei benignitate Nostro regimini curaeque tradito, Ecclesia Dei piis et idoneis gubernatoribus atque ministris, tanquam cultus ipsius Divini necessariis instrumentis quovis tempore habeantur rite provisae. Vacante itaque impraesentiarum Metropolitana et Primatia Regni Nostri Hungariae Ecclesia Strigoniensi, legitimoque pastore orbata, haud differre voluimus, quin illi de idoneo Praelato et Rectore quamprimum prospiceremus. Et propterea debitum habentes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, vitaeque et morum integritatem fidelis nostri nobis dilecti Reverendi Antonii Verantii Episcopi Agriensis et Consiliarii Nostri, quibus ipsum munere Divino ornatum ab annis non paucis propria nostra experientia comperimus; confisi etiam de solerti et attentissima cura atque sollicitudine, quam ipse in administranda rite

Ecclesia, tuendaque et propaganda vera fide et religione, more boni pastoris et Praelati, summo conatu adhibiturus sit; non immemores denique haud vulgarium illius meritorum, quibus sese divo quondam genitori Nostro, et Nobis quoque commendatum reddidit; eundem ab Episcopatu Ecclesiae suae Agriensis ad Archiepiscopatum Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, nunc per mortem et decessum Reverendissimi quondam domini Nicolai Olahi, eiusdem Archiepiscopatus ultimi veri et legitimi possessoris de jure et de facto vacantem, transferendum, nominandum et praesentandum, ac eundem Archiepiscopatum Strigoniensem eidem authoritate Juris Patronatus Nostri Regii, quod in omnibus dicti Regni Nostri Hungariae Ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis more divorum quondam Hungariae Regum, praedecessorum Nostrorum felicis memoriae optimo jure habemus; simul cum omnibus castris, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, praediis, ac aliis cunctis pertinentiis et juribus possessionariis ubivis et in quibuscunque Regni nostri Hungariae et Partium ei subiectarum Comitatibus existentibus habitis, ad eundem Archiepiscopatum Strigoniensem de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, pariter cum omnibus eiusdem juribus, libertatibus, praerogativis, proventibus, et aliis quibusvis emolumentis quovis nominis vocabulo vocitatis, dandum et conferendum; imo transferimus, nominamus et praesentamus, damusque et conferimus praesentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris honorabilibus Praeposito, Vicario, Lectori, Cantori, Custodi, ceterisque Canonicis et beneficiariis tam dictae Ecclesiae Strigoniensis, quam aliarum Collegiatarum Ecclesiarum ad eandem pertinentium, ha-

rum serie committimus et mandamus; quatenus a modo imposterum praefatum Antonium Verantium pro vestro legitimo et indubitato Archiepiscopo habere, tenere et cognoscere, Eidem debitam reverentiam, honorem et obedientiam praestare, ac in omnibus licitis et consuetis rebus jurisdictioni ipsius parere et obtemperare modis omnibus debeatis et teneamini, secus non facturi; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in arce nostra Regia Posoniensi decima septima die mensis Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

CL.

Verancsics Antal mint esztergami érsek nyeri az esztergami egyház kegyúri jogát.

1569. okt. 17. Nos Maximilianus etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod nos debitum habentes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, aliasque animi dotes, ac circa Ecclesias Dei, ac eligendos earundem ministros, diligentem curam fidelis nostri Reverendi in Christo patris domini Antonii Verantii Archiepiscopi Strigoniensis, Primatis Hungariae, Legati Nati, Summi et Secretarii Cancellarii et Consiliarii Nostri, quibus ipsum Divino munere praeditum, non alieno saltem testimonio, verum etiam propria Nostra experientia cognovimus; Jus Patronatus Nostrum Regium, quod in Ecclesia Strigoniensi, aliisque Collegiatis Ec-

clesiis ad eandem pertinentibus, sicuti in caeteris universis Regni Nostri Hungariae Ecclesiis, instar praedecessorum nostrorum divorum quondam Hungariae Regum felicis memoriae, optimo jure habere dinoscimur, ex certa nostra scientia, animique deliberatione eidem domino Antonio Verantio Archiepiscopo duximus dandum et conferendum, imo damus et conferimus, ac in illum transferimus praesentium per vigorem; annuentes et concedentes, ut ipse omnia Beneficia Ecclesiastica, utputa Praeposituras, Lectoratum, Cantoratum, Custodiam, Canonicatus, et Praebendas, quae a modo deinceps tam in dicta Strigoniensi, quam aliis Collegiatis Ecclesiis ad illam pertinentibus, quocunque nomine et titulo legitime vacare contigerit, dicti Juris Patronatus Nostri authoritate per Nos sibi hac in parte concessa, personis idoneis et benemeritis, ecclesiasticaque functione dignis, fide praeterea, vita, moribus et honesta conversatione, eruditioneque commendatis, Hungaris tamen et non alienigenis, dare et conferre, ipsisque de eisdem disponere, ordinare et providere valeat atque possit; imo damus et conferimus, harum Nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum in arce Nostra Regia Posoniensi decima septima Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

A

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK

ÁTNÉZETE.

ELSŐ OSZTÁLY: OKMÁNYTÁRAK.

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR, a brüsseli országos levéltárból és a burgundi könyvtárból. Összeszedte s lemásolta Hatvani Mihály (Horváth Mihály). I. KÖT. 1441—1538. Pest 1857. XXI és 387. — II. KÖT. 1538—1553, Pest, VIII és 367 l. — III. KÖT. 1553—1608. Pest 1859. VIII és 324 l. — IV. KÖT. 1608—1652. Pest 1859. VIII és 323 l. I. Ferdinánd kir. hasonmásolt levelével. — *Monum. Diplom. I—IV. kötet*

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR, londoni könyv- és levéltárakból. Összeszedte és lemásolta Simonyi Ernő. 1521—1717. Pest 1859. VII és 316. l. — *Monum. Diplom. V. köt.*

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR (Fejér György Codex Diplomaticusának folytatása). Közzé teszi Wenzel Gusztáv. I. KÖT. 1001—1235, és Függelékül: *Kritikai jegyzetek Fejér György „Codex Dipl. Hungariae Ecclesiasticus et Civilis“ czímű munkájának az árpádi korszakot illető része felett.* Pest 1860. XLII és 405 l. — II. KÖT. 1234—1260. és Függelékül *Az Árpádkori Új Okmánytár és a kapcsolt országok okmányai.* Pest 1861. XIX. és 402. l. — III. KÖT. 1261—1272. s Függelékül: *Olaszhon levéltára a magyar történelem szempontjából.* Pest 1862. XV és 363 l. — IV. KÖT 1272—1290. Pest 1862. XX és 414 l. V. KÖT. 1290—1301. és Függelékül: *Theiner Ágoston „Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram illustrantia“ czímű munkájáról.* Pest 1864. XXI és 336 l. — VI. KÖT. v. a második folyam I. kötete: 890—1235. Pest 1867. XXXVI és 578 l. — VII. KÖT. v. a második folyam II. kötete: 1235—1260. Pest, 1869. XXVI és 561 l. — VIII. köt. vagy a második folyam III. kötete: 1261—1272. Pest 1870. XXII. és 479 l. — *Monum. Diplom. VI—XIII. köt.*

Ezen kötetek sorába fel vannak véve, s egymás után sajtó alá adatnak: az *Árpádkori Új Okmánytárnak* egyelőre még négy kötete; a *Milánói M. Okmánytár*, két kötetben. *Beatrix királyné Levelestára*, két kötetben.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

SZERÉMI GYÖRGY, II. Lajos és János királyok házi káplánja EMLÉKIRATA MAGYARORSZÁG ROMLÁSÁRÓL. 1484—1543. Közli Wenzel Gusztáv. Pest 1857. XXXIV és 410 l. — *Monum. Script. I. köt.*

VERANCSICS ANTAL, m. kir. helytartó, esztergami érsek ÖSSZES MUNKÁI, közli Szalay László (1—7.) és Wenzel Gusztáv (8.) I. KÖT. Történelmi dolgozatok deák nyelven. Pest 1857. XX. és 370 l. — II. KÖT. Történelmi dolgozatok magyar nyelven, és Vegyesek. Pest 1857. XV és 321 l. — III. KÖT. Első portai követség 1553—1554. Pest 1858. XII és 463 l. — IV. KÖT. 1555—1557. Pest 1859. XI és V. 404 l. — V. KÖT. Második portai követség 1567—1568. Pest 1860. VIII és 396 l. — VI. KÖT. Vegyes Levelek 1536—1549. Pest 1860. VI és 373 l. — VII. KÖT. Vegyes Levelek 1549—1559. Pest 1865. VI és 369 l. — VIII. KÖT. Vegyes Levelek 1559—1562. Pest 1868. XIV és 399 l. — IX. KÖT. Vegyes Levelek 1563—69. Pest 1870. VI és 315 l. — *Monum. Script. II—VI. IX X. XIX. XX. kötet.*

GR. ILLÉSHÁZY ISTVÁN nádor FŐJEGYZETEI 1592—[illegible] HIDVÉGI MIKÓ FERENCZ HISTÓRIÁJA 1594—1613 [illegible] folytatásával (és két Függelékkel: Enyedi Pál Énekéből 1592—[illegible] okmányok Mikóhoz és Illésházyhoz). Közli Kazinczy Gábor. [illegible] X és 351 l. *Monum. Script. VII. köt.*

ROZSNYAI DÁVID, az utolsó török deák, [illegible] TÖRTÉNETI MARADVÁNYAI. Összeszedte s jegyzetekkel, okiratokkal [illegible] gyi Sándor. Pest 1867, 462 l. — *Monum. Script. VIII. köt.*

ALTORJAI B. APOR PÉTER MUNKÁI. Közli [illegible] Lusus Mundi. Synopsis mutationum notabiliorum [illegible] nia, at programma vitae meae, Metamorphosis Transylvaniae [illegible] CSERREI MIHÁLY Pótlékai és Megjegyzéseivel). Pest 1863. [illegible] *Monum. Script. XI. köt.*

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY magyar kir. történetíró MAGYAR HISTÓRIÁJA 1490—1552. A m. kir. egyetemi könyvtár [illegible] szerző életével közli Toldy Ferencz. I. KÖT. Második [illegible] lata, hasonmással. Pest 1863, CIX és 461 l. — II. KÖT. [illegible] trónra léptétől 1537-ig. Pest 1867. IX és 495 l. — III. KÖT. [illegible] Brutus elveszett XIV—XX. könyveinek töredékei 1571-ig. [illegible] és Levelei (sajtó alatt). — *Monum. Script. XII. XIII. XIV. köt.*

GHYMESI FORGÁCH FERENCZ nagyváradi püspök MAGYAR HISTÓRIÁJA 1540—1572. Forgách Simon és Istvánffi [illegible] Jegyzéseikkel és Forgách Ferencz kisebb irataival együtt. A [illegible] féle kéziratból közli Majer Fidél; bevezette Toldy Ferencz. [illegible] 1866. LXXXVIII és 555 l. — *Monum. Script. XVI. köt.*

BARONYAI DECSI JÁNOS MAGYAR HISTÓRIÁJA 1592—[illegible] A szerző életével közli Toldy Ferencz. Pest 1866. LXXX és [illegible] *Monum. Script. XVII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1676—78 [illegible] Torma Károly. Pest 1866. XII és 199 l. — *Monum. Script. [illegible]*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1689. [illegible] Leveleskönyve 1694; Dobai Zsigmond Naplója 1690; Sándor [illegible] Mihály és András, meg Balogh László Naplóik 1694 [illegible] Kálmán. Pest 1868, 2 részben XXXII és 7[illegible] l. — [illegible] *XXIII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1693—94. [illegible] eredeti kéziratából közli Nagy Iván. Pest 1863. VIII és 191 l[illegible] *Monum. Script. XV. köt.*

Sajtó alatt: KRITOBULOSZ, az utolsó byzanti [illegible] II. [illegible] nemet Élete, görögül és magyarúl, 2 köt. Dethier [illegible] és Szabó [illegible]

VERANCSICS ANTAL Összes Munkái Wenzeltől. X. köt.

SZAMOSKÖZI ISTVÁN fennmaradt Történeti Munkái, [illegible] Ferencztől.

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR, IX. kötet.

LONDONI MAGYAR OKMÁNYTÁR, Simonyi [illegible]

ALVINCZI PÉTER OKMÁNYTÁRA Kassa [illegible] a m. királylyal folytatott alkudozások történetéhez 1[illegible]—[illegible] Sándortól. 2 kötet.

Pest, Nyomatott az „Athenaeum" nyomdájában, 18[illegible]

38. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR

TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

HUSZONÖTÖDIK KÖTET.

PEST, 1871.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADÉMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGÁNAK KIADÁSAI.

TÖRÖK-MAGYAR-KORI TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. Első osztály: I. II. köt. Okmánytár a Hódoltság történetéhez Magyarországon Szilády Árontól és Szilágyi Sándortól. I. II. köt. XXX és 459 és 480 l. 5 frt.

— — — III. IV. köt. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár, szerk. és jegyzetekkel ellátták Szilády Áron és Szilágyi Sándor. I. II. k. VIII és 428 és 524 l. meg egy tábla 6 frt., külön mindenik kötet 3 frt.

— — — V. köt. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár, u. azoktól. 420 l. fűzve 3 frt 60 kr.

M. TÖRTÉNELMI TÁR. I. köt. X. és 266 l. egy pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — II. köt. 215 l. száz pecsétmással 2 frt 10 kr.
— — — III. köt. 264 l. egy czímerrajzzal 1 frt 10 kr.
— — — IV. köt. 260 l. 2 frt 40 kr.
— — — V. köt. 231 l. 1 frt 40 kr.
— — — VI. köt. 264 l. egy pecsétrajzzal 1 frt 60 kr.
— — — VII. köt. 266 l. 1 frt. 60 kr.
— — — VIII. köt. 259 l. 4 kőirati táblával 1 frt 60 kr.
— — — IX. köt. 244 l. 1 frt 40 kr.
— — — X. köt. 240 l. aranybullák s okm. hasonmásaival 1 frt 60 kr.
— — — XI. köt. 240 l. 1 frt 40 kr.
— — — XII. köt. 292 l. 1 frt 70 kr.

Az egész tizenkét kötetes folyam ára tizenöt forint.

MAGYAR TÖRTÉNELMI TÁR. XIII. v. Új folyam I. kötete 1868, 252 l. 1 frt 40 kr.
— — — XIV. v. „ II. kötete 1869. 282 l. 1 frt 80 kr.

MAGYAR LEVELES TÁR. I. köt.: Négyszáz magyar levél 1504—1560. Szalay Ágostontól. XX és 432 l. kilencz kőirató hasonmásos táblával 4 frt.

FEJÉR GYÖRGY MAGYARORSZÁGI OKMÁNYTÁRÁNAK betűrendű tárgymutatója. Czinár Mórtól. XVI és 519 l. 3 frt.

ÉVMUTATÓ Fejér György Okmánytárához. Knauz Nándor által. 14 l. 40 kr.

HUNYADIAK KORA MAGYARORSZÁGON Gr. Teleki Józseftől. I.—V., VI. 1. és X.—XII. köt. Mindenik kötet ára 3 frt 65 kr. — (VI. köt. 2. része sajtó alatt.)

MAGYARORSZÁG HELYRAJZI TÖRTÉNETE fő tekintettel az egyházi intézetekre, vagyis a nevezetesebb városok, helységek, s azokban létezett egyházi intézetek, püspök megyék szerint rendezve. Rupp Jakabtól. Első kötet két darabban. Az esztergami egyháztartomány a hozzá tartozó püspökmegyékkel együtt. XVIII és 807. l. 5 frt.

BUDA-PEST és környékének helyrajzi története, Rupp Jakabtól. Két térképpel 306 l. 2 frt.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA. Magyar Történelmi Emlékek, egy-egy kötet ára 3 frt 15 kr. kivévén a következőket: I. osztály, XI. köt. (Árpádkori Okmánytár VI. k.). II. oszt. XII. k. (Brutus I.), és XVI. köt. (Forgách) 4—4 frt. — XV. k. (Tóth Nagy Ivántól) 4 frt 50 kr. — XVIII. köt. (Tököly, Tormától) 1 frt 20 kr. — **E nagy gyűjtemény tartalmát l. a boríték következő lapjain.**

MONUMENTA
HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XXV.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

HUSZONÖTÖDIK KÖTET.

PEST, 1871.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLI

WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. R. TAG.

10


TIZEDIK KÖTET.

VEGYES LEVELEK.

1569—1571.

PEST, 1871.
EGGENBERGER FERDINÁND M. AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

a*



Pest, 1871. Nyomatott az „Atuenaeum“ könyvnyomdájában.

ELŐSZÓ.

Verancsics Antal munkái kiadásának folytatása, melyre feledhetetlen történetírónk Szalay László halála után a Magyar Tud. Akademia Történelmi Bizottsága által felszóllíttattam, 1868. február 2-ka óta, a mikor ezen folytatásnak első, vagyis az egész gyűjtemény VIII. kötetét tettem közzé, íme két (a IX. és X.) kötettel bővült ismét. Ezen alkalommal kötelességemnek tartom, e két kötet tartalmáról a közönség előtt számot adni, s egyúttal Verancsics munkáinak még hátra lévő közlendőit néhány szóval érinteni.

Gyűjteményünk hatodik kötetével Szalay Verancsics Antal munkáinak harmadik alkatrészét, t. i. vegyes leveleit, kezdte közzé tenni. S bármi érdekesek és jelesek az első két kötetben foglalt történelmi dolgozatok; bármi fontosak a harmadik, negyedik és ötödik kötetben kiadott kettős portai követségnek iratai (1553—1557. és 1567—1568.): azért a vegyes levelek bárcsak futólagos áttekintése után mindenki meg fog győződni arról is, hogy ezen vegyes levelek tartalma hazánk akkori, főleg belviszonyainak történetére nem kevesbbé fontos és érdekes.

Alulirott eddig a vegyes levelek közlését 1559.

martius havától 1571. végeig, három kötetben folytatta; a mihez képest, a második portai követségnek idejét levonva, közleményeim csaknem tizenkét évre terjednek. A mennyiben pedig Verancsics ezen idő alatt előbb mint egri püspök, s azután mint esztergami érsek és prímás, részint előkelő egyházi és országos állásánál fogva, részint mint Eger és Érsekújvár várainak hadi kormányzója, a legfontosabb közdolgokra igen jelentékeny befolyást gyakorolt, kora legjelesebb egyházi dignitáriusai, államférfiai, hadvezérei és tudósaival közvetlen és szoros összeköttetésben volt, s a reá bízott ügyek kezelésében nagy tevékenységet fejtett ki; a mennyiben továbbá családi viszonyai is több tekintetben nem csekély érdekkel birnak: magában világos, hogy hazánk XVI. századi története ezen a politikai, jogi és társadalmi élet minden iránylataira vonatkozó számos levelek által sok nevezetes felvilágosító és tájékoztató adatot nyer.

A VIII. kötet előszavában azon forrásokat említettem fel, melyekből az általam közlött leveleket vettem. Ezek általában a bécsi császári titkos levéltár, az előbbi m. k. udv. kanczellária levéltára, Verancsicsnak a nemzeti muzeum könyvtárában lévő kéziratai; továbbá Verancsics számos leveleit tartalmazó egy kézirati codex a győri papnövelde könyvtárában; Verancsics kéziratainak az egri érseki könyvtárban lévő másolatai; végre egyes levéltárak és kézirati gyűjtemények, melyekben történelmi kutatásaim alatt egyik másik számra találtam. Ezen tudósításom a IX. és X. kötetek tartalmára is alkalmazható.

Névszerint a IX. kötet XII. XXIII. XLI. XLII.

és LXXXI., s a X. kötet XXI. XXVI. XXX. XXXII. és LXXIV. számait a bécsi császári titkos levéltár eredeti példányai után; a IX. kötet XV. CXXIV. CXXVIII. CXLIX. és CL. számait az előbbi magyar k. udv. kanczellária levéltárának ügydarabjai után; a IX. kötet I—III. VII—IX. XLIV. XCIV. és CXXVII., s a X. kötet XVII. XXII—XXIV, XXVIII. C. és CV. számait az egri érseki könyvtárnak kéziratai után közöltem; a IX. kötet LXIII. CV. CVIII. CXII. és CXXXV—CXXXVIII., s a X. kötet III. V. VII. XV. és XXVII. számait a nemzeti muzeum „1680. fol. Lat.“ jegy alatti, csupa eredetieket tartalmazó kézirati codexéből; a IX. kötet IV—VI. X. XI. XIII. XIV. XVI. XVIII. XXI. XXII. XXIV. XXV. XXXVI. XXXIX. XLIII. XLVII—LX. LXIV. LXVII. LXIX—LXXVI. LXXVIII—LXXXV. LXXXVII. XC—XCIII. XCV. XCVI. XCIX. CI. CIV. CIX. CX. CXIV—CXXIII. CXXV. CXXVI. és CXXIX—CXXXIII., s a X. kötet I—XV. XX. XXVII. XXIX. XXXI. XXXIII—XXXV. XXXVII—XL. XLIII. XLV. XLVIII. XLIX. LII. LIV—LVIII. LX. LXI. LXIV. LXVII. LXVIII. LXXI. LXXIV. LXXVI.LXXX—LXXXVI.LXXXIX.XCIV.LCIX. CII. CIV. CVII. CVIII. CXI. CXXIV—CXXVI. CXXXIV. CXXXVI. CXLV. CLVIII. CLIX. CLX. CLXI. és CLXIII. számait a nemzeti muzeum könyvtárának „1681. fol. Lat.“ jegy alatti négy kötetű kézirati gyűjteményéből; a IX. kötet XIX. XX. XXV. XXVII—XXXV. XXXVII. XXXVIII. XL. XLV. XLVI. LXI. LXII. LXV. LXVI. LXVIII. LXXVII. LXXXVI. LXXXVIII. LXXXIX. XCVII. XCVIII. C. CII. CIII. CVI. CVII. CXI. CXIII. és CXXXIV., s a X. kötet XVIII. XXV. XXXVI. XLI. XLII.

XLIV. XLVI. XLVII. L. LI. LIII. LIX. LXII. LXIII. LXV. LXVI. LXIX. LXX. LXXII. LXXIII. LXXV. LXXVII—LXXIX. LXXXVII—XCIII. XCV—XCVIII. CI. CIII. CVI. CIX. CX. CXII—CXX. CXXII. CXXIII. CXXVII—CXXXIII. CXXXV. CXXXVIII—CXLIV. CXLVI. CXLVII. és CLXII. számait a győri papnövelde Verancsicsféle kézirati codexéből; végre a X. kötet XVI. XIX. XXV. és CXXXVI. számait Hevenesi kézirataiból vettem.

Érdekesnek tartom felemlíteni, hogy azon reversalis, melyet Verancsics Antal mint esztergami érsek 1570. april 24-én adott, s mely a X. kötet XXV. sz. a. közöltetik, Hevenesi kézirataiból (XXX. kötet 233. l.) van véve. A mennyiben pedig a győri codex 197. l. hasonló szövegű, de 1570. évi martiushó 15-ke keltével ellátott iratot tartalmaz; nem lehet kétség, hogy ez volt az eredeti fogalmazvány, mely utóbb néhány, az érsek jogosítványát némileg megszorító határozattal volt megtoldva, és ehhez képest módosítva. A martiusi fogalmazványnak, mely — mint látszik — az elöbbi érsekek állásának megfelelt, X. kötetünk 56. lapján a 26. sortól kezdve rövidebb szövege a következő :

„Veteranos vero milites, qui iam in ea arce Wywariensi diu militarunt, omnes quicunque in officio, et intra conditionis suae terminos perstiterint, eruntque, haud quaquam loco atque servitio suo movebimus; qui contrarie sese gesserint, nostrum erit, ut quemadmodum de aliis securitatibus, ita etiam de ista militari eidem arci consulamus. Non defuturi ullo tempore, ut de stipendiis suis iidem milites reddantur contenti. Decimas denique nostras stb. Datum Posonii die 15. Martii anno Domini M.D.LXX.“

Végre megjegyzem még, hogy a mennyiben a jelen X. kötet 1571. végeig terjed, a XI. kötet még azon leveleket fogja tartalmazni, melyek 1572. kezdetétől Verancsics Antal haláláig, primási és királyi helytartói idejéből származnak.

De minthogy kutatásaim alatt Verancsicsunk nehány még nem közlött kisebb idodalmi művére is akadtam; s ezen alkalommal több fontos és érdekes, mindeddig kiadatlan, s az előbbi kötetekben sem foglalt levelét is sikerült felfedezni: mind ezeknek közlésére még egy XII. kötetet szántam; mely az egész gyűjteményt bezárandja, s egyszersmind az összes tizenkét kötetnek betűszerinti tárgymutatóját fogja tartalmazni.

Pest december 31-kén 1870.

WENZEL GUSZTÁV.

TARTALOM.

1569.

1570.

1571.

ANTONII VERANCII EPISTOLAE.

V.

I.

Veranesics Antalnak Andronicus Tranquillus.

Ad Reverendissimum dominum Antonium Verantium Archiepiscopum Strigoniensem Tranquillus Andronicus.

Non possum oblivisci tuae benevolentiae, quam 1569. okt. 19.
saepe perspexi erga me singularem; sed tunc evidentius sese exeruit, quum Viennae proxima aestate legens quoddam meum epigramma de malis reipublicae, me fideliter et amanter admonuisti, ne pergerem immodicus esse in deplorandis nostris temporibus; quoniam lamentis nihil proficimus, neque laborando meremur aliud, nisi odium, interdum etiam perniciem. Nam plerumque vera etiam dixisse multis exitio fuit: siquidem morsus, qui ex vero trahuntur, gravius premunt, et altius infinguntur. Superbi sunt potentiorum animi, et aequari Deorum potentiae volunt, quos facile dicendi libertate irritaveris; adulationibus conciliantur, silentio praetermittere tutissimum est. Quamquam summa tua quidem auctoritas et candor animi tui vehementer me permovent, ac sane vehementius ceteris omnibus: interim tamen abs te peto, concedas hoc mihi, nec moleste feras; dum tibi probem causas a me suscepti negotii, spero, cognitis rationibus omni crimine me absolves. Legimus, Socrati bonum a puero daemonem aspirasse, qui addebat calcaria viro impigro, et ad bona studia sua

ipsius natura sponte currenti: contra vero me genius meus, ut desidem, conctabundumque, statim ab adolescentia coepit incitare atque impellere, ut in communia commoda pro viribus incumbam. Ego vero, qui sum, ut Deo maxime salutaria praecipienti resistam? Essem equidem culpae affinis, si contumeliis et maledictis temere per memet ipsum iactatis quemquam proscinderem. Nunc autem quod eloquor, quae Deus posuit in os, cur in vitio vertitur? Adeone molesta est quibusdam delicatis veritas, ut in professores veritatis odio plus, quam Vatiniano ferantur; perinde ac omnia divina et humana evertissent? Atqui praecipue vera dicendo Christum confitemur; quid enim aliud Christus est, nisi ipsa veritas? — quam ascondere, procul dubio est, Christum cum perditis et infidelibus negare. Neque propterea minis tyrannorum exteriorum, quorum carnifex animus praecipue saevit in eos, qui somnolentos revocant ab ignavia, et cohortantur ad studia virtutis iisdem ipsis salutaria. Nunquam existimavi plus timeri eos oportere, qui corpus occidere possunt, in animam nullum ius habent; quam Deum, qui potest utrumque interimere, et detrudere ad inferos perpetuo cruciandum. Nam in unius corporis amissione haud magna iactura (ut vulgus existimat), accipitur. Per se non vivit, cito deflorescit, atque intra breve spatium interit; quocum sepeliuntur omnes fluxae voluptates, laenocinia et blandimenta vitae humanae; interim antequam ad periodum perveniat, ne connumerem curas, labores, infinita eius intestina externaque mala, quibus aut in ipsis vivendi initiis, aut in medio cursu frangitur. Nonne, ut abundemus commoditatibus et deliciis, expleamusque voluptatibus istam molestam et exitialem sarci-

nam; multa cogimur iniusta, impia, nefaria perficere. Quamobrem Deo conscio et vindice, a quo turpiter defecimus, deiicimur in valles plenas lacrimarum, ex quibus evadere nunquam licet. Itaque consulto multos mortales, perspecta vanitate rerum humanarum, ne indulgendo corpori aeternitate privarentur, multo negligentius vixisse. Egone igitur octogenarius, iam exacto vitae spatio mortem pertimescam? Etiamsi nulla vis inferatur, certe intra paucos dies hinc iure naturae abiendum est, ac terra reddenda terrae, unde sumpta fuit, ut viveret; nam omnia eo abeunt, unde orta sunt. Hoc velim tibi persuadeas, me nulli metus, nullae praemiorum spes, ne vivendi quidem dulcedo ab instituto depellent; in hac vocatione mihi certum est vivere et extingui.

Restat diluere quorundam satis ineptas criminationes. Requirunt a me cum convicio, quonam privilegio tam licenter deplorem conditionem nostri temporis, tacite vellicando Principes immerita de causa? Ad haec subsanantes inquiunt, nisi tu temperes a maledictis, statim respublica corruet, instar Amiclarum, quae tacendo perierunt. Non es huiusmodi, ut mundus tuam auctoritatem sequatur. Si sapis, continebis te intra tuam pelliculam.

Nisi me teneret ratio mei honoris, nec melioribus probari vellem; istis ego calumniatoribus, quibus omnia sordent in rebus humanis, nihil responderem. Tibi vero imprimis homini candido, et docto, et sapienti, cupio rationem totius instituti mei constare. Nam si tu subscribes labori meo, tulisse omnium suffragia putabo.

Haud equidem inficior, ingenium mihi perquam tenue contigisse. Quamobrem summo studio quaesivi

subsidia meae imbecillitati; non domi tantum, sed longe lateque in exteris nationibus, praesertim quae tunc fama percrebuerat florere clarissimis ingeniis in optimo genere disciplinarum, atque cum eminentissimis nostri aevi familiariter conversatus sum. Postea immiscui me nominatim evocatum in aulis Regum, an hinc forte aliquid adiumenti mihi accederet, atque in tractatione negotiorum publicorum cum nostris externisque Principibus (citra iactantiam loquor) multos annos consumpsi non admodum (ut spero) infeliciter. Igitur si propter stupiditatem hebetis ingenii consuetudine doctorum hominum parum doctrinarum consequutus sum; certe verisimile est, postremis meis laboribus nonnihil iudicii ad hoc tempus mihi accessisse, ut iam possim discernere inter fabam et cicerculam, quid honestum sit, quid inutile, quid ferat mortales ad gloriam, quibus infamia inuratur.

Porro in his, quantum licuit per meam tenuitatem humanitus instructus, veritatem, quam mundus dare non potest, dono Dei accepi; pro qua velim non solum indigna pati, sed etiam emori. Praestat enim placere Deo, quam hominibus. Et si nihil in praesentem diem sudatis laboribus et assidua increpatione perfecimus inveterata pertinacia improborum, tamen in vinea Domini exercuisse me non pigebit. Nam boni operis nihil deperit apud Deum; nec debemus expectare, ut Deus arbitrio nostro alios beet, alios fulminet. Ipse dominus temporum et nostrarum cogitationum scrutator intimus omnia novit momenta, quibus cuique mercedem suam, ut quisque meritus est, abunde opportuneque referat. Siquidem rerum ac temporum eventus in sua servat potestate; mortales omnino latere voluit, ne Apostolis quidem, quos tan-

topere dilexit, patefecit, quando restituet Regnum Israel.

Proinde nostri muneris est, nostrum pensum fideliter persolvere. Successus in manu Domini sunt, nec agricola, qui seminat, dat incrementum sementi; nec medicus sanat, quum adhibet opportuna morbo remedia; sed omnia Deus haec operatur in omnibus. Quocirca singularis quidem amentiae est, atque is videtur pacisci cum Deo, qui nolit accingi ad ullum praeclarum facinus, nisi securus de proventu sit. Paulo Apostolo praedicante iacta sunt mediocria quaedam fidei fundamenta; aliquot postea saeculis ipsa fides Christiana per orbem dilatata crevit in immensum. Non tamen hic successus de subactis populis vivo Paulo concessus fuit; neque Paulus id aegre tulisset, si tunc viveret. Quoniam non sibi, sed Christo gloriam quaerebat; quod quidem iussus Divina voce facere, nunquam per tot cruces in tantis aerumnis exagitatus intermisit. Eadem animi magnitudine antiqui Prophetae ad salutem populorum processerunt. Tantum autem abest, ut ea tempestate Divinas admonitiones et iustas querelas apud impios Reges probarent, ut propterea multis modis male accepti et excarnificati vitam amiserint. Ex quorum tamen sanctis praedicationibus, postquam invidia decessit, omnis aetas uberes fructus legit. Illud autem dignum admiratione videri debet, quod maluerunt interfici, quam non parere Deo. Revera frugi mancipia dominorum voluntatem alacriter perficiunt, servos torpentes et rebelles nequicquam ad bonam frugem excitaveris. Atque ista fex hominum, quod execrabilius est, praeclaris cuiuscunque conatibus, quae ipsi ne digito quidem attingunt, invident, atque adeo infesti sunt Ad haec omnem aucto-

ritatem detrahere moliuntur, somniantes auctoritatem contineri dignitate personarum, nec sapientiam habitare in pannoso amictu tenuibusque fortunis, verum in splendidis titulis, et in his, qui longo famulitio stipantur. Qua re nihil absurdius fingi potuit. Quippe sapientia, quae domicilium in optima constitutione animi habet, non facile ingreditur in divites domos, tot illecebris vallatas; alioqui si quandoque irrupisset, turpiter eiiceretur, ut a dissimillimis. Divitiarum enim coniunctio cum virtute nulla esse potest; sicuti nec Belial cum Christo. Non temere invenies aliter verbum Domini, quae vera est sapientia, si utramque scripturam scrutatus fueris; nisi in humilium pectoribus consedisse. Quibus Regum infulae cedunt, ac etiam defunctorum cineres prostrati venerantur.

Quamvis multo rarius nostra tempestate huiusmodi sanctitatis exempla propter incredulitatem hominum elucescant; tamen Deus benedictus, prospiciens humano generi, non vult suam Ecclesiam his luminibus orbatam esse, nec penitus aberrare a vero, summergique naviculam Petri. Sustentatur autem, ne ruat, paucis spectatissimis columnis, quae fide ardenti vitaque incorrupta ceteris omnibus praevalent, atque ut sol illustrans omnia, praelucent.

Quod genus hominum, quum fugit pravitatem. quae passim aberrat, magis a Deo, quam a mundo cognoscitur. Ex hoc semine oriundos putes, quicunque studio veritatis inflammantur ad ea, quae reipublicae salutifera sunt; licet proletarii sint, atque ab ergastulis excepti. Hi enim spiritu Dei aguntur, qui veritatem palam in animis hominum inserunt, nulla spe praemiorum, neque metu poenae.

Dicam aliquid maius, quam imperiti opinantur.

Spiritus Paracletus ex sua bonitate vel impiis auctor esse creditur vera loquendi. Cum scelere Caypha sacerdotum principis, nihil tam nefarium, tam immane conferri potest. Ipse interficiendi Christi, mundi Principis et salvatoris, praecipuus consultor et impulsor extitit; at eum ipsum vaticinatum esse de Christo, nemini dubium est. Quanto aequius credere est, quisquis insitus in Ecclesia privatim parvo contentus vixit sine querela. Quem neque honorum ambitio, nec divitiarum admiratio prorsus invictum adversus pecuniam subegit. Huius inquam orationi spiritum Dei virtutem abundius suppeditavisse, praesertim de communibus commodis anxii, atque ad gloriam Dei cogitantis. Nam illo haeret aqua, quod malevoli obiiciunt usurpantes illam pervulgatam sententiam: „Omni vitio carere debet, qui paratus est in alium dicere.“

Nesciunt hoc ad eos pertinere, qui impotentes, ira odioque flagrantes prorumpunt ad convicia more muliercularum; non autem accusari eos, qui nulla privata causa, sed ut communibus commodis consulant, ignaviam reprehendunt, et ad virtutem excitant. Alioqui criminis arguantur et Apostoli, et orationis viri Dei, qui desiderio nostrae salutis acerbius in scelera invecti sunt. Quippe nec iidem ipsi, nec quisquam mortalium expers omnis culpae fuit; solus Dominus Christus peccatum non fecit. Et sane peccare privatos homines a paucis advertitur, itaque non est magni exempli: quibus autem in eminenti collocatis procuratio rerum humanarum contigit, quum conspicui sint oculis omnium, nihil potest in iis abscondi atque dissimulari. Quilibet vel tenuissimus naevus illustrius cernitur, ac multitudinem laedit, et proinde in dignitate provocat ad maledicendum. Quodsi gras-

santur ad publicam perniciem, credis eos, qui maiore animo praediti sunt, temperaturos ab execrationibus ipsorum, ex quorum somnolentia respublica omnis in interitum ruit?

Cessent igitur latrare canes, et innocentes, ne dicam assidue benemerentes de republica proscindere maledictis et vocare in invidiam. Tu quoque tales oblatratores velim tua virtute compescas, et ad modestiam revoces.

Sed fortasse quispiam dixerit, cui equidem assentior, me quidem, ut nunc sunt res nostrae; ludere operam; et facerem utilia, sonsulendo asuetis vivere in otio et luxu, hos enim, si linguis Angelorum utaris, nequicquam ad decus erexeris Videmus eos. qui rebus praesident, ac de publicis commodis subinde admonentur, nihil commoveri; non domi, non foris grassantem vitiorum labem corrigere; non pacis, non belli exercere munia, non perpendere rerum exitus. non adductis exemplis simili negligentia pereuntium veterum excuti. Nulla cuiquam cura de moribus, de Sacris, de cultu Dei; numquid hoste tam potenti atque immani, nobisque admodum infesto, et attrociter imminente nostris cervicibus, quisquam Principum expergiscitur? aut se colligit ad tutelam reliquiarum reipublicae adeo vastatae ac pene confectae? Putant paucorum annorum emendicatis, ne dicam emptis induciis securitatem nobis perpetuo partam esse; ideo de futuro bello nihil cogitant, et inter se tumultuantur, et caedibus strenue saeviunt. Atqui sperent, quod barbari more suo, defluxis breve induciis, et suis rebus compositis, nos imparatos et exhaustos viribus atque pecunia, magno copiarum apparatu inva-

dent; ac nisi tantam pestem Deus avertat, excindere conabuntur.

Utinam sim falsus vates, et nostra respublica externorum hostium secura gaudeat pace sempiterna. Quod antea non fiet (ut mihi persuadeo), quam nos ipsi mutatione vitae redierimus in gratiam cum Deo.

(Redditae) Posonii die 19. Octobris 1569.

II.

Bernátnak Milanóban apátnak Verancsics Antal.

Ad Abbatem Bernandum.

Quum die XVII. Octobris Sacratissimus Caesar, 1569. nov. 1. dominus noster clementissimus, creavit me Strigoniensem Archiepiscopum, volui pro ea fraterna necessitudine nostra, qua iam ferme a saeculo coniungimur, Reverendam paternitatem Vestram de hac promotione mea propriis litteris meis edocere, ne distineretur rumoribus, quibus non ita cito fides adhiberi solet. Quum vero quoddam iter quoque mihi per Insubres videtur imminere ad proximum ver; cuperem admodum, si tunc posset esse Mediolani in nova sua Abbatia, ut tandem post annos sane iam nimis multos conveniremus, et resarciremus veterem nostram consuetudinem. Quod equidem si mihi ex alto dabitur, miriades aliquot in Reverendam paternitatem Vestram amplexuum et osculorum consumam. Quare diligenter rogo, velit sic procurationes coenobii sui instituere

et accomodare, ut hoc expectatum mihi tempus neutri nostrum adimatur. Alias nequirem non dolere maxime, si hac ipsa expectatione frustrarer. Qui congressus noster, ne Vestrae quoque Paternitati cederet forte iniucundus, adeo crediderim, quod me et amat, et complectitur singulariter. Quod reliquum est, Eandem adhuc ad multos annos et vivere, et bene valere cupio; meque ex animo offero atque commendo. Posonii prima Novembris 1569.

III.

Verancsics Antalnak a velenczei patriarcha.

Illustrissimo et Reverendissimo Signor mio osservandissimo.

1569. nov. 5. Con infinita mia allegrezza et consolatione io ho inteso dalle lettere di Marino Fracasio, Vostra Signoria Illustrissima et Reverendissima esser stata dichiarata Arcivescovo di Strigonia dalla Maesta dell' Imperatore con infinita sua laude, della qual sua essaltatione con quel maggior affetto d' animo con essa lei mi allegro; et spero, ch' il Signor Dio la essaltarà à maggior grado et à maggior dignità, cosi ricercando le rare sue virtù, et i molti meriti appresso Sua Maesta Cerarea; affirmando à Vostra Signoria Illustrissima et Reverendissima, esserle affetionatissimo servitore. Ne ultro desidero, ch' il Signor Dio mi doni gratia di dimostrarle con effetto la reverentia

et osservantia, ch' allei meritamente porto; et con questo fine alla buona gratia di Vostra Signoria Illustrissima et Reverendissima riverente mi raccomando et offero. Di Venetia li V. di Novembre nel LXIX.

Di Vostra Signoria Illustrissima et Reverendissima.

affetuosissimo servitor

Il Patriarca di Venetia mp.

Kívül: All' Illustrissimo et Reverendissimo Signor mio osservandissimo il Signor Arcivescovo di Strigonia. Posonio.

IV.

Tes vérének Mihálynak Verancsics Antal.

Magnifice domine frater nobis charissime et honorandissime s.

Heri aliis meis litteris ad Vos datis, hodie ve- 1569. nov. 12.
stras accepi prima Octobris scriptas. Quae quam diligentibus tabellariis fuerunt creditae, nescio; ad eas tamen subito rescribere non praetermisi. Utque ad omnes partes vestrarum respondeam: Non puto iam sollicitari Vos reditu Petri, qui expeditus hinc VI. Octobris memorati, crediderim dudum, si sit incolumis, illum in patriam pervenisse, et explesse desiderium vestrum.

De mortalitate vestrae civitatis non miremini; quia et in his nostris regionibus passim funera efferuntur. Nec mirum est, si Helias Tolimerius et Fran-

ciscus Ferro decesserint, et simul metam vitae attigerint. Erant enim fere coetanei, et eodem senio premebantur. De obitu Vincentii Grisantii etiam gratulandum est relictae eius, si is ille fuerit, quem lues fregerat Gallica. Et iam deplorandae affini nostrae de alio coniugio prospicite.

Vindemia hic quoque nulla est; quum messis etiam tot inundationibus et coelorum intemperiis adeo tenuis ubique provenerit, ut nemini per totum Regnum laeta venerit.

De adventu vestro in Hungariam non erit novum, neque insuave mihi. Sed paciscamini mea etiam vice cum uxore vestra, ne sit postea molesta mihi, ubi coeperit vos repetere pro calefaciendo lecto; tametsi nec adhuc vel tepere illum intelligam, adeo refrixistis ambo. Nisi si copiam liberorum refugitis, et fortasse nec una unis plumis incubatis. Sed haec liberius, ut cum imbecillo fratre. Ego tamen non deero vobis in administranda ea culina, quam optabitis; nisi longius abero.

Nostro autem Fausto arbitror illud accidisse, quod omnibus tyronibus ludi litterarii, qui anno studiorum suorum primo una pagina plus scire consueverunt, quam eorum praeceptores. Sit hoc tamen ita, demusque aliquid etiam affectui vestro, qui est paternus. Nec nos quoque negemus, quod proficiet. Coepit tamen esse nonnihil solutior; et antequam videamus in sancta illum intrasse litterarum, non est blandiendum lubricae adolescentiae; quin potius inhibendus est castigationibus necessariis, ne luxuriet in sumptibus faciendis maioribus, quam et nos et vos possitis. Exigit enim modo vestes sumptuosiores, modo plures libros, quam quos intelligat. Nec interim posse se

discere lamentatur, nisi in sodalitatibus aeque exponere queat, ac ditissimi. Novem autem a kalendis Martii menses sunt, quod ducentos talleros consumpsitmet secundus. Kalendis vero Octobris misi ei coronatos aureos centum, missurus intra mensem unum alios centum; data ei facultate, ut illis sese vestiat instruatque hybernis, his vero victitet et libros emat. Quae quum ita sese habeant, an indulgendum sit ei plus aequo, ipsi vosmet videte, et corripite eius petulantiam. Quia non eum misimus Patavium, ut luxui incumbat, et pecunias prodigat, quae nec nobis, nec vobis affluunt in hunc usum. Moderetur itaque sibi, et discat, nec se ostentet alienis usibus.

Quae autem vos misistis illi, non improbo; concessi tamen et ego, ut pelliceam mardurinam sibi comparet. Ceterum agat omnia intra modum, sic tandem proficiet. Olivas vero, et ficus, et sardellas, et gelatinas, et idgenus plura alia maritimorum vestrorum bellaria si ei summittetis, bene quidem facietis. Est enim filius charissimus. Eadem tamen maritima cur mihi benefico fratri iam ab annis sane multis in vestro mari, et in vestris iucundissimis agris atque insulis cuncta defuerint, vellem mihi diceretis. Sed quia nihil habetis, quod possitis iuste; intelligite a Petro et a Vincentio, quonam id incuriae vestrae stomacho tulerim, quibusque Vos prosequutus sim laudibus ac benedictionibus.

De redempta domo, quod scribitis, placet. Sed in ea exornanda, nollem aut Petrum vexari, aut Margaretham dote sua fraudari, ne novis nos molestiis gravemur. Alioqui alia est ratio ineunda, ut istius commodo ac decori consulatur; quod Vos, qui ea fruimini, videbitis. Nec tamen a nobis destituimini.

Nam et novimus et meminimus, quantum Vobis nostris debeamus.

De perturbatione capitanei Michaelis consobrini nostri valde doleo, vellemque magnopere eius beneficio. ut quandoque remitteret rigorem tantae suae vehementiae. Quae ipsi quanto maiorem existimationem afferre videatur, tanto maiores etiam turbationes illi cumulat. Non enim usquam gentium in civitatibus facile et aequo animo uni cuipiam ceteri cives subiacent; et malunt omnes ex aequo pares esse, quam a quoquam subiugari et excellere universos. Sic et is noster consobrinus faceret, meo quidem iudicio, prudentissime, si remissius gereret se cum suis civibus. Quo instituto nisi ego quoque, in hoc Regno, imo et in hac aula miriade aemulorum abundans, rebus meis proxessissem; putatisne, quod huc evasissem quo evasi, amarerque tantopere ab omnibus, nec id minus ab exteris, quam ab indigenis, quantopere amor? Mirareminique supra modum, si interfuissetis proximis nostris Comitiis, et vidissetis studia sane publica, non privata tantum, quae me ad Archiepiscopatum hunc summo et consensu et conatu evehi non solum cupiebant, sed etiam acclamabant, aeque humanitatis et modestiae, ac meritorum et virtutum praeconia mihi tribuentes. Quod haud quaquam attigisse praesumpsissem, nisi ad fratrem scriberem. Sed res omnino ita habet; voluique domestico exemplo profuisse nostro consobrino, si sonsilium nostrum ei placuerit.

Aliud est, quod prorsus illi persuasum esse cupio, ne Senatui Veneto interminetur abitu suo a signis eius et migratione ad haec nostra. Quo animo nisi esse destiterit, nequaquam sapit: erratque plurimum, si curret in incertum, iratusque privati viri iniuria

publicum statum laeserit. Suumque mutare iudicio ex indignatione sumpto; non est, credite mihi, hominis prudentis, nec eius, qui alienis periculis suae securitati quietique consultum solide esse studet. Reliqua ex notis cognoscite, et vobis habete. Alioqui coniiciet et se, et suos omnes in varias perturbationes, et in incommoda gravissima, si se moverit loco, in quo satis honesta conditione fruitur. Nec honoris est indigus, si sese maioribus suis accomodare et subiicere sciverit simul et studuerit. Me alioqui etiam absens absentem semper habebit praesentem suis commodis. Vosque salutatis nostris tam propinguis, quam amicis omnibus, valete in Domino vestro arbitratu. Viennae XII. Novembris 1569.

V.

Verancsics Antalnak Dolfino bibornok.

Reverendissimo Signor come fratello honorando. 1869. nov. 12
Io ho udito con infinito mio piacere, che Vostra Signoria Reverendissima sia stata in questa dieta d' Vngaria nominata con si gran giuditio da Soa Maesta Cesarea all' Archivescovado Strigoniense, e mene rallegro con lei, non come di cosa hora successa, ma come di cosa molto prima da me preveduta e fermanente creduta per le singolari virtu e meriti suoi. Son securo, che questa degnità non poteva cadere in persona, à cui fossero, per essere piu raccomandate le cose mie, ch' à lei, e l' hagia mostro con quel che

ha fatto per me nell' occasione de' disturbi, che senza alcuna mia colpa si è cercato di darmi in cotesta dieta. Ella sa, quanto io habbia fatto per quel Regno absente e presente; e quanto in particolare mi sia sempre adoptato à favore di quei Reverendi Prelati. A me non pare veramente d' haver meritato questa persecutione: e mi duole, che habbia potuto più il mal humore di quelli, ch' ella sà, che la memoria della buona volontà e buoni fatti miei. Nondimeno perche non posso in tutta mia vita lasciar di far piacere anco à quelli, che m' hanno fatto male, dove li detti haveranno bisogno di me, io sono per far loro ogni commodo.

Quanto poi alla persona di Vostra Signoria Reverendissima, persuadasi di havere in me un vero, obligato et affettionato fratello, il quale cercarà di honorarla e servirla in tutte l' occasioni. Pregola, ch' all' incontro tenga viva protettione delle mie cose, prestando à favor di quelle aiuto al Spadari con la molta autorita; perche certo mi ritrovarà gratissimo et amorevolissimo in ogni occorrenza, cosi sua, come d' ogni suo. Particolarmente la prego à non mancare d' avvertirme, come vero amico intorno alle provviggioni, che giudicarà poter farsi nelle cose cosi spirituali come temporali; perche gliene restaro con obligo. Nostro Signor Iddio la conservi e prosperi.

Di Roma a XII. di Novembre M.D.LXIX.

Di Vostra Signoria Reverendissima

come amorevolissimo fratello

Il Cardinal Dolfino.

Kívül: Al Reverendissimo Monsignore come fratello honorando, Monsignor Eletto Arcivescovo di Strigonia.

VI.

Veranesics Antalnak Ellebodius Nikáz.

Illustrissime et Reverendissime Domine salutem. 1569. nov. 12.
Ego Patavii sum libenter in hac perturbatione rerum omnium: unam tamen ob causam istic esse velim, ut coram tibi laetitiam meam declararem, qua efferor in amplificatione dignitatis tuae; propterea quod sermone, vultu, fronte denique, sensus animi facilius aperiuntur, quam epistola significari possint. Equidem et virtutes tuas, et honorum cursum intuens, nunquam dubitavi, quin ad summum dignitatis locum pervenires; cum et praestantissimae laudi tuae amplissima quaeque deberi scirem, et iam in eo gradu consisteres, qui a summo fastigio quam proxime abesset. Itaque feliciter hunc tibi honorem evenire volo; et Hungariae gratulor, quae non minorem fructum ex auctoritate et sapientia tua capiet, quam tu honorem es ex iudicio et benignitate Caesaris consecutus.

Faustus fratris tui filius, deditus bonarum artium studiis, a me contendit, ut sibi iter patefacerem, ac quasi lumen praeferrem ad Aristotelis libros cognoscendos, qui sunt subtilissime scripti de ratione dicendi. Obsecutus sum optimi iuvenis honestissimae cupiditati, meque totum ei patefeci; sic, ut omne meum studium eius studiis inserviat. Ita enim flagitat tua in me praestans benevolentia, quam cum iam inde essem expertus, cum ex priore legatione te in Hungariam recepisses, eandem mihi deinceps integram

praestitisti. Cui quidem utinam in tanta fortunae tenuitate par esse possim. Sed illa sit quamvis adversa; tam violenta quidem certe esse non poterit, ut mihi ullo tempore meam in te summam observantiam ac gratum animum eripiat. Vale. Patavii pridie idus Novembris.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
humilis servitor
Nicasius Ellebodius Castelanus mp.

Kívül: Illustrissimo et Reverendissimo Antonio Verantio Archiepiscopo Strigoniensi etc. domino et patrono meo observandissimo Posonii.

VII.

Verancsics Antalnak a mantuai herczeg.

1569. nov. 30. Illustrissimo et Reverendissimo Monsignor. Richiede la singolar affettione che per natural mia inclinatione ho sempre portata a Vostra Signoria Illustrissima che in tutte le occasioni le dia memoria delli amore, che le tengo; et della stima, che faccio della persona sua, el che farò col mezo del Andreasio mio gentilhuomo, ch' io mando à cotesta corte. Il quale non solamente la visitarà per parte mia, mà sicura la venderà della mia verso di lei affettionata voluntà, et come volentieri vorrei haver occasione di far cosa, che le tornasse à servigio. Vostra Signoria Illustrissima dunque sarà contenta de dar fede intiera al detto mio gentilhuomo, con aggradir il comple-

mento, come s' io lo facessi in persona, che me sarà de molto contento. Con che resto, pregrandole ogni felicita. Di Mantova l' ultimo di Novembre 1569.

Al servitio di Vostra Signoria Illustrissima
Il Duca di Mantova.

Kívül: Reverendissimo Signor, Monsignor di Strigonia.

VIII.

Jovius Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Io. Iovium.

Expostulatus est nobiscum Faustus, quod ei necessarios sumptus non suppeditas. Et nova quaedam simultas inter vos orta est; nec scimus, occultane, an manifesta sit illa. Nosque qualiscunque sit, habet admodum male; vellemusque, ut melius concordaretis mutuo. Sed quia vix modum videamus, id posse fieri; novum cogimur instituere, ut ex litteris ad Faustum datis intelliges. Tui alioqui non omissuri curam, provisurique diligenter, quum sese prudenter geret, nosque intemperiis suis nimis adhuc iuvenilibus desistet molestare. Jam enim intra novem menses a kalendis Martii constatis nobis pluribus, quam quingentis et septuaginta talleris; et nihilominus perpetuis nos petitionibus urgetis. Quo stimulo haud quaquam volumus imposterum sollicitari; ubi pater transiget cum filio, nosque edocebit. Nec modo plura. Vale. Viennae prima Decembris 1569. 1569. dec. 1.

IX.

Unokaöcscsének Faustusnak Verancsics Antal.

Ad Faustum nepotem.

1569. dec. 1. Magnopere offenderunt nos proximae tuae litterae; quibus expostulatus es de institutore tuo, quod tibi sumptus nullos suppeditaret. Quare plurimum et miramur et dolemus, quod tam praepropere ordinem, a me praesenti tuo statui constitutum invertere contendis. Nec enim alia causa achatera tibi coniunxeram, quam ut adolescentia tua et aetate adhuc immatura et rerum imperita sustentaretur. Sed postquam te adeo iudicas esse ea et aetatis maturitate et rerum peritia sufficienter imbutum, tuis te ventis committemus. Nec id quidem libenter; sed tantummodo, ut careamus iuvenilibus tuis fervoribus; quum iam senilis aetas nostra dudum his praecipitiis et furoribus valedixerit, et maioribus rebus operam damus. Ne tamen sic etiam studiis tuis desinas, patri tuo commisimus, ut ipse intelligat, nosque primo quoque tempore edoceat, quanta stipe annuatim opus erit tibi. Quod ubi primum ex eo cognoverimus, novum modum instituemus de sustentatione tua, quam a nobis semper stato suo tempore in singulos annos accipies. Etiam vel totum hoc aes uno mense consumpseris, vel in annum moderabere, in te hoc erit constitutum; verum si ante tempus illud prodegeris, frustra novum a nobis postulabis. Et quid? Quotannisne quingentos aut sexcentos in te talleros, et tua causa in instituto-

rem tuum effundemus? Quos iam intra novem menses a kalendis Martii consumpsistis, necdum eos suffecisse vobis fateamini. Multum est hoc ambobus vobis, multum et nobis, qui aliis quoque multiplicibus sumptibus exhaurimur. Quapropter, ut huic rei occurramus, id facturi sumus, quod iam habes. Dedimus etiam commissionem Petro de Angelis, ut disponat vobis Venetiis bibliopolam aliquem, qui tot libros vobis administrabit, quot erunt necessarii; quo demum etiam sumptu careatis. Memineritis tamen cavere, ne modum excedatis in his desumendis. Vale. Viennae prima Decembris 1569.

X.

Saaghy Imrének Verancsics Antal.

Egregie Domine, amice honorande, salutem et 1569. dec. 9.
nostri commendationem. De congregatione Comitatus Posoniensis causa conferendi subsidium 25 denariorum Magnifico domino Comiti Ecchio a Salmis, quod ad nos scripsistis, nihil sciebamus. Et fecistis bene, quod nos edocendos esse duxistis. Huiusmodi enim negotia nondum licet nobis attentare, donec in possessione non fuerimus Archiepiscopatus propter multa, nequid ante tempus cum aliqua obloquutione ageremus, inhibente et vos non multum causa dissimili sine scitu Camerae. Quapropter heri loquuti sumus diligenter cum ipso domino Comite super hoc; et auditis his nostris rationibus cuncta probavit, et censuit ces-

sandum] a congregatione ista, quoad nos erimus in Archiepiscopatus possessione. Quod non longe differetur, quandoquidem nobis etiam hic erit tamdiu immorandum, quoad usque homines mei Praga revertentur. Quos propterea misi in curiam, ut inde referant mihi diplomata et mandata necessaria ad apprehendendam memoratam Archiepiscopatus possessionem. Et hoc loco subsistat ista res ad suum tempus. Nec desimus gratificari domino Comiti, qui certe plurimum Regno servit. Et bene valeat. Viennae 9. Decembris 1569.

Eiusdem dominationis Vestrae

uti frater

Electus Strigoniensis mp.

Kívül: Egregio domino Emerico Saaghy, provisori domus Archiepiscopatus Strigoniensis Posonii, amico nobis honorando. Posonii.

XI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacram Caesaream Maiestatem.

1569. dec. 13. Propter celerem Sacrae Caesareae Maiestatis Vestrae abitum, et maximum concursum multitudinis, quo Principes huiusmodi temporibus obrui solent, meo negotio nulla tunc ratione dari potuit expeditio. Nec ego volui esse molestior, ne quid tumultuosius transactum fuisset mecum, et Maiestas etiam Vestra

minus satisfacta esse potuisset. His itaque duobus meis familiaribus ad Maiestatem Vestram destinatis, huius ipsius expeditionis meae causa supplico quam demississime, dignetur clementer mandare, ut omnium eorum, quae ad praesentis mei negotii de apprehendenda Archiepiscopatus possessione, et de aggrediendа procuratione militum, atque eorum, quae arcis Wywariensis reparatio postulat, attineant, fiat celerior et totalis expeditio; ne sic et ego pendeam, et tota res ipsius Archiepiscopatus, eiusque Ecclesiae status magna cum iactura plurium partium suarum maneat in suspenso.

Primum autem opus est litteris donationalibus, quarum iam Reverendissimus dominus Vesprimiensis accepit exemplum a Camera.

Deinde mandatis ad Cameram Posoniensem, ad Capitulum, ad officiales, ad praefectos tum arcis tum militum, et ad omnes subditos generaliter, ut me admittant in omnia, mihique pro rei more, et Sacrae Caesareae Maiestatis clementi voluntate ac decreto pareant et obsequentes sint.

Et quum militum solutio arcisque instauratio maximam omnium proventuum partem in se est receptura, humillime supplicaveram, ut Sacra Caesarea Maiestas Vestra etiam pisetum, si fieri posset, propter alias quoque certas causas, de quibus tunc attigeram, clementer mihi concedere dignaretur; sin minus, ut maiorem mihi pensionem, eiusdem piseti nomine solvendam Camerae propter intertentionem cuiusdam praesidii civitatum montanarum, non imponeret, quam trium millium. Super qua supplicatione licet Sacra Maiestas Vestra discedens dixisset benigne mihi, bonum me, et expectatum responsum habiturum a

Camera; verum Camera his tribus millibus tria alia adiecit millia, et sic sex exigit. Supplico itaque humillime, dignetur mihi benignius super hoc respondere; quum propter maximam molem sumptuum, qui mihi erunt ad conservationem et instaurationem arcis insumendi, tum quod fortasse etiam in hac utique nondum omnino fracta senectute promerebor hoc Suae Maiestatis erga me munificentiae et gratiae. Nec propterea multum eius fisco decedet, quum ex bonis et fidelibus servitoribus Principes multo maiora interdum assequi soleant, quam in eos contulerunt. Igitur spe maxima, de sua benignissima gratia persuasus, hanc quoque prioribus adieci supplicationem, humillime expectans benignitatis suae responsum. Et Deus Omnipotens Sacram Caesaream Maiestatem Vestram in optima sanitate conservet, et fruatur eadem omnibus suis actionibus et conatibus quam prosperrime. Viennae 13. Decembris 1569.

XII.

A kincstári tanács Verancsics Antal esztergami érsekké kineveztetése tárgyában.

(Az előbbinek melléklete.)

Sacratissimae Romanorum Caesareae ac Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi nomine Reverendo Domino Episcopo Vesprimiensi significandum: Maiestatem Suam Caesaream Archiepiscopatum Strigoniensem Reverendo domino Antonio Verantio con-

tulisse; ita ut in posterum Archiepiscopus Strigoniensis et sit, et nominetur; honore, dignitate, fructibus et emolumentis illius Archiepiscopatus universis fruatur. Itaque velle Maiestatem Suam Caesaream, ut litterae donationales illi in Cancellaria Hungarica iuxta formam consuetam expediantur, in quibus exprimantur arces bonaque, et singuli proventus ipsius Archiepiscopatus, simul cum iure patronatus omnia eius beneficia et sacerdotia conferendi iure et modo consueto.

Mandata item ad Capitulum, ad officiales, et ad omnes subditos, ut sibi pareant, eumque Archiepiscopum agnoscant, ut moris est, edantur.

Vicissim praefatus dominus Archiepiscopus iuxta oblationem suam curam gerat, non solum praesidii in arce Wywar constituti, nimirum ducentorum quinquaginta equitum, et ducentorum peditum, qui veterani sint, et in militia bene exercitati; verum etiam munitiones illius arcis, quae erunt necessariae, omni sedulitate et studio rite prosequatur, ut pro Maiestatis Suae architectorum voluntate celeriter pro periculorum exigentia deducantur ad finem; ac ut Maiestati suae, quandocunque sibi integrum fuerit, milites illic recensere liceat.

Hanc Maiestatis Suae esse certam et benignam voluntatem.

Decreto Domini Imperatoris
in Consilio Camerae Aulae.

XIII.

Görög Mihály vikárius, és Telegdy Miklós olvasókanonoknak Verancsics Antal.

Ad Mathiam Graecum Vicarium, et Nicolaum Thelegdinum Lectorem etc.

1569. dec. 15. Venerabiles fratres in Christo nobis dilecti salutem. Die quinta mensis huius coacti sumus celebrare missam in hac Viennensi civitate; quae revera contigit nobis prima, eamque omnino Ecclesiae nostrae Strigoniensi dedicaveramus. Quod et ratio ipsa deposcebat, et pro usu antiquissimo omnium Ecclesiarum ita fieri oportebat. Sed quum processus noster ad Apostolicam Sedem mittendus rite nequiebat confici, nisi affuissent testimonia, quod obiremus missae sacrum; passi sumus persuaderi nobis, quum ab omnibus huiusmodi functionum peritis, tum maxime ab Illustrissimo Nuncio Pontificis, ut huic muneri palam principium daremus. Aiebant enim, duos me Episcopatus per tot annos tenuisse, nec interim vel unicam missam celebrasse, et ob id magna mea culpa sacrorum canonum censuras incurrisse; quam negligentiam si forte in Archiepiscopatu quoque admisissem, imminere periculum de non obtinenda confirmatione relaxationeque annatae. Quae vitaturi duo incommoda, paruimus amicis, et hoc pensum apud Jesuitas legendo, publice tamen absolvimus; Tyrnaviae, Deo volente, non ita multo post exequuturi cantando. Et sicut haec duorum Episcopatuum, quibus praefui,

Quinqueecclesiensis et Agriensis, pro prima et ultima habebitur; ita Archiepiscopales in Ecclesia Tyrnaviensi, domino bene iuvante, et ordiemus et prosequemur. Ne tamen hanc necessitatem nostram aliter interpretaremini, eam vos ex nobis scire voluimus, ut et apud vos et apud alios, apud quos opus erit, excusatos nos habeatis.

Ceterum, ut causam quoque, qua hic Viennae post abitum Caesareum substiterimus, non ignoretis, Camera Aulica graves quasdam difficultates conditionum decreto Maiestatis Eius inseruerat, quo nobis indicabat, quamnam partem bonorum ac reddituum Archiepiscopatus essemus habituri; occursurique illis omni studio, quo maiori potuimus, egimus tantum, ut postremo omnia et bona, et quoscunque proventus idem Archiepiscopatus habeat, nobis clementissime contulit, exclusis conditionibus universis. Jussa quoque est eadem Camera, ut diplomata ac mandata quaecunque ad apprehendendam possessionem eius essent nobis necessaria, expedienda curaret. Sed Camera quoque, celeriore discessu Maiestatis Caesareae sollicita, quae eandem comitari extemplo cogebatur; expeditio nostra, tam parvo tempore, et in eo rerum multitudinis concursu, minime tractari potuit. Neque nos eam tumultuarie urgere voluimus, ne quid erroris aut defectus illi ex festinatione incidisset. Sic his rebus coacti subsistere, donec nuncii nostri, quos propterea Pragam ablegavimus, revertentur cum huiusmodi diplomatum et mandatorum expeditione. Vos interim istic, atque nos hic, boni hanc moram nostram necessariam consuletis et sustinebitis; quum secus fieri nequeat, si rite et ipsius Archiepiscopatus pos-

sessionem inire, et reliqua, quae nos in eo obeunda concernunt, exequi velimus.

De quibus omnibus et tempestive et affatim edoctis vobis; addo ad postremum de Nicasio quoque Belga, de quo nuper apud me feceratis mentionem. Est enim apprime eruditus, et dedit ad me litteras doctas simul et elegantes Patavio; innuens nescio quid de suo ad nos animo veniendi. Qui si in schola nostra conditionem aliquam habere non recusaverit, agite vos cum illo; ne, si forte nos quippiam de hoc attingeremus, erigeretur vocatione nostra altius, et charius nobis operam suam inciperet elocare. Eam alioqui, vestro etiam consilio, geremus eius curam, qua poterit esse contentus. Et bene valete in Domino cum ceteris omnibus. Viennae 15. Decembris 1569.

XIV.

Ellebodi Nikáznak Verancsics Antal.

Ad Nicasium Ellebodium Castelanum.

1569. dec. 15. Semper ante te, Nicasi, et amavi, et in eo albo habui, in quo et doctos, et mei amantissimos consuevi. Nunc acceptis litteris tuis, quibus mihi gratulatus es Archiepiscopatum Strigoniensem, multo magis, quod et memoriam mei tam constanter retineas, et ita te atque officia tua mihi insinuas, ut nihil affectuum tuorum cuipiam alii amico reservasse videaris, et me anteponas omnibus, quos arctius et amplecti, et magni

facere consuesti. De quo quidem tuo erga me studio, et hac voluntate tam praeclara atque singulari, habeo tibi magnas gratias, vicissimque ea tibi de me polliceor, quae et virtutes tuae mereantur, et ego non invitus debere tui similibus assuevi. Quicquid igitur praesentem hanc conditionem meam usui tuo esse posse cogitabis, id totum sine ulla diffidentia polliceare tibi, et ea utere. Habitis pro eo etiam gratiis, quod nepoti nostro de thesauris tuarum lectionum impartiri quaedam non recusaveris. Sed velim, admone adolescentulum, ne praecociter sapiat et erumpat, antequam alas confirmabit. Timeo enim, ne recidat in licentiam. Vale. Viennae 15. Decembris 1569.

XV.

Veranesics Antalnak Dolfino bibornok.

Reverendissimo Signor come fratello honorando. 1569. dec. 16.
La lettera di Vostra Signoria Reverendissima del primo del presente, e la precedente, ch' io haveva ricevuto prima, se ben sono tutte piene di significatione di calda amorevolezza e benivoglienza, non m' hanno però recato cosa nuova; havendo io per chiara esperienza conosciuto molto inanzi il buono affetto suo verso di me; et havendone havuto tal testimonio d' opere e d' effetti, che, e mi conosco, e mi confesso d' esserle veramente obligato. Ha ella all' incontro à promettersi di me sempre ogni debbita corrispondenza d' amore, e di perfetta volontà; e creder fermamente,

ch' io sia per far in tutte l' occasioni sue quel medesimo per lei, che potrei maggiormente fare per me stesso. E già può havere inteso per lettere del signor oratore Cesareo (al quale io ne detti conto), come sia stato da me vivamente risposto all' obiettione, che pochi dì sono le fecero alcuni in una tavola publica, dicendo ch' ella non haveva mai celebrato, e volendo forse con questo porre qualche difficoltà nella confirmatione di Vostra Signoria Reverendissima; la quale non dubbito io, che non habbia à passar felicemente, e ch' ella non sia anco per ottener sempre da questa Santa Sede, qual alle grande sue virtù e meriti si conviene. Resta, ch' ella si continua e che seguiti in amarmi, et in proteger, come la prego, le cose mie, ò per dir meglio, sue di costà; contentandosi di significarmi in ogni modo il parer suo intorno à quello, ch' io potessi honestamente ò dire, ò facere, per che esse havessero à rimanere sicure e quiete; non me ne essendo dalli miei agenti stato scritto, come ella presuppone, parola altra, e desiderando io d' haver questo contento d' esserne avvisato da ella stessa, per poter poi riscriverle, e consultare seco, quanto in questa materia mi parià espediente. Ne havendo che dirle altro per hora, le desidero ogni prosperità, e con ogni affetto di cuore me le offero e raccomando.

Di Roma a XVI. di dicembre M.D.LXIX.

Di Vostra Signoria Reverendissima

Da novo pregho et con ogni efficatia Vostra Signoria Reverendissima; che mi scriva tutto quello, che secondol prudentissimo parer suo io potessi fare per conservatione del spirituale et temporale de la

chiesa di Jauarino, et per far cessare l' importunita de tanti gridi.

come amorevole fratello
il Cardinal Dolfino mp.

Kívül: Al Reverendissimo Monsignor come fratello honorando Monsignor l' Eletto di Strigonia etc.

Redditae 2-a Ianuarii Viennae 1570.

XVI.

V. Pius pápának Maximilián császár.

Ad Summum Pontificem.

Beatissime in Christo Pater, domine Reverendissime!

Post officiosam commendationem filialis observantiae continuum incrementum. Arbitramur Sanctitati Vestrae iam antea innotuisse, Metropolitanam in Regno nostro Hungariae Ecclesiam Strigoniensem sublato e vivis abhinc fere biennio eiusdem ultimo Archiepiscopo Nicolao Olaho, mansisse hucusque legitimo gubernatore destitutam. Non itaque diutius differendum arbitrati, quin pro ea, qua erga religionem, ipsamque Dei Ecclesiam et eius profectum quovis tempore libenter sumus cura pariter et observantia, quamprimum de idonea cogitaremus persona, quam ad hoc muneris pastoralis, quod inter alia dicto in Regno primum est et praecipuum, digne nominemus. Inter alios quidem eiusdem Regni nostri Praelatos virosque

1570. jan. 12.

ecclesiasticos praecipuus sese nobis obtulit Antonius Verantius Episcopus Agriensis, de cuius non vulgari eruditione et doctrina, morum item et vitae integritate, magnaque in Deum et religionem pietate sufficienter edocti, ab Ecclesia sua Agriensi, cui hactenus praefuit, ad dictam Metropolitanam Strigoniensem, solita et vetusta iuris Patronatus nostri authoritate, quam in conferendis omnibus eiusdem Regni nostri praelaturis instar praedecessorum nostrorum Divorum quondam Hungariae Regum habemus, transferendum, ipsumque Archiepiscopatum Strigoniensem illi pleno iure conferendum duximus. Quod quidem quum a nobis ita factum sit, eum Sanctitati Vestrae de more praesentamus: ab Eadem obsequiose petentes, velit ipsum in dicta Ecclesia sua Strigoniensi benigne confirmare, ac etiam pallium, quo sui antecessores semper usi sunt, cum aliis solitis Archiepiscopatus insigniis, ei, ut moris est, paterne concedere. Et quoniam eadem Ecclesia ab annis iam non paucis, prouti Sanctitatem Vestram non ignorare scimus, in illa universali paene totius Regni nostri clade in bonis et proventibus suis temporalibus, cum ipsa Sede Archiepiscopali, a iugo et tyrannide Turcica partim occupata, partim vero in residua sui parte in dies gravissime habetur afflicta et oppressa, ea sane ipsi Archiepiscopo incumbunt onera, sumptus et impensae, in illa, quae adhuc ab infidelium Turcarum immanitate reliqua est, Ecclesiae suae parte tutanda, militibusque in hunc usum cum arce finitima non parvo numero continuo alendis, ut ad sustentandum statum et dignitatem suam Archiepiscopalem vix et difficulter quid ei supersit. Unde praeterire non potuimus, quin Sanctitatem Vestram diligenter rogemus,

ut quum Archiepiscopus ipse non ignoret, qua solutione annatae Sanctae huic Sedi pro accepta confirmatione ipsoque pallio de more debeat, idque haud gravatim, si vires et facultas suppeterent, etiam praestare cuperet : velit Sanctitas Vestra pro sua pietate, qua oppressarum ab infidelibus paganis Ecclesiarum rationem habere, earumque misereri consuevit, petitam confirmationem et pallium gratis, et absque alicuius annatae solutione eidem Archiepiscopo benigne impertiri et concedere, quo sumptus illos suos graves hac clementi Sanctitatis Vestrae relaxatione sentiat sibi aliquanto tollerabiliores, eoque alacrius non minus curandae gubernandaeque omni quo potest diligentiori studio atque sollicitudine Ecclesiae ipsi suae, quam tutandis pauculis Archiepiscopatus reliquiis incumbat. Qua quidem in re Sanctitas Vestra nobis quoque gratum faciet, omni erga Eandem filiali observantia nostra promovendum. Cui nos reverenter offerimes, et obsequiose commendamus. Datum in arce nostra Regia Pragensi 12. Ianuarii 1570. Regnorum etc.

XVII.

Veranesics Antalnak Zsigmond Ágost lengyel király.

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. Dominus et Haeres.

Reverendissime in Christo pater, sincere nobis 1570. jan 20.
charissime, Cognitam et perspectam habentes virtutem et probitatem venerabilis Georgii Fabii Archi-

diaconi Colossiensis et Canonici Lauretani, non dubitamus illum tam S. D. nostro per litteras, quam Caesareae ipsi Maiestati, fratri et consanguineo nostro honorandissimo commendare. Quoniam autem non ignoramus, quem locum Sinceritas Vestra apud Maiestatem illius teneat, postulamus, ut si quid in Maiestate illius residere intellexerit offensionis alicuius adversus hunc Fabium, quam offensionem struxisse illi dicuntur adversarii eius; id ex animo eius Maiestatis eximat, et quantum potest, gratiam illi Maiestatis eius conciliet, desumptis argumentis ex litteris nostris ad Maiestatem ipsius, quarum litterarum exemplum Sinceritati Vestrae mittimus. Bene valeat Sinceritas Vestra. Datum Varsoviae XX. Ianuarii anno Domini M.D.LXX. Regni nostri anno XI.

Sigismundus Augustus Rex mp.

XVIII.

Antenor volterai püspök és florenczi követnek Verancsics Antal.

All' Antenori vescovo di Voltera ambassiator Fiorentino.

1570. jan. 20 Nel mio ritorno, che io fece alla Corte del Serenissimo Arciduca Carlo clementissimo mio signore doppo longa peregrinatione e maneggi molto fatichosi, che debbi nel assettar il stato dell' Arcivescovato mio, ch' è veramente di cura oltra modo eccessiva, non manchai al debito mio, et alla osservanza,

che le porto, di rescrivere alle soe humanissime et a me gratissime lettere, dattemi per il mio secretario tornato da costa. E li mandai anchora le copie delle benignissime lettere delli soi Serenissimi Principi e di dua Illustrissimi Cardinali Pacieno e Medici, mandatemi per le mani del detto Diatalievi, che passando per Fiorenza fu tanto ben visto, havuto et honorato dalle Serenita et Altezze loro, che serviendomi sopra ciò dicerca non potermi esprimer a bastanza, soggiongendovi anchora, che chiaramente havea conosciuto, che nelle prime scielte delle soe grazie, che riservono alli divoti di se, m' haveano e m' tenevano con quella affettione, et amorevolezza, ch' io dovevo giudicarmi molto felice per la benevolenza di tanti Principi in si fatta maniera singolar e rara.

Il che havendo conosciuto per lettere ancho delle Soe Serenita, ho preso tal consolatione e contentezza, ch' hormai tutta via bramo, che mi si ufferisce occagione, che le potesse con piccol mia servitu dimostrare, quanto son desideroso, di darle almeno qualche sazzo della saputa mia, quanto le debbo, poi che le sorte mie non son da tanto, ch' à pieno le possa raguagliare. Tero dunque sempre constantemente questa mia propensa volunta, se non le fatti vaglio meno. E goderomi delle lodi universali della bonta di tanti Principi, dalli quali in tanta infinita di buoni et honorati homeni si derivano fiummi di gratie, favori et benefici. E Vostra Reverendissima Signoria insieme con l' Illustrissimo Monsignor Nuncio, tutti dua fautori e padroni mei osservandissimi guideranno per occasione, piaciandole il restante con le solite soe amorevolezze ove il mio ritegno manchera, ne mi assecurera il rispetto della presoncione ardir tanto.

Delle altre cose, che da qui le potria scrivere, hò scritto diffusamente a Monsignor Noncio. Qual lettere hara mio commune e degnerannosi amarmi, et abbiacerarmi con la solita gratia, la quale io parimente ricognoscero sempre con la servitù et osservanza mia deditissima alli voleri et appiacieri di loro Illustrissime e Reverendissime Signorie, col pregar Iddio, che le conservi longo tempo in bona sanita, e facciale nel presente anno novo felicissime e contentissime di tutti loro affari e sforzi. Da Vienna alli 20. di genaro LXX.

XXI.

A magyar kamarának Maximilián császár.

Camerae Hungaricae.

1570. jan. 24. Maximilianus etc. Supplicatum nobis fuit per Reverendissimum devotum, fidelem nobis dilectum, noviter Electum Archiepiscopum Strigouiensem, ut eum eorum, quae ad apprehendendam dicti Archiepiscopatus possessionem, et sui pro dignitate intertentionem requirere viderentur, clementer prospectum iri velimus. Habita itaque ratione demissarum precum dicti Archiepiscopi, benigne indulsimus harum nostrarum litterarum vigore, ut traditio possessionis Archiepiscopatus per certos nostros commissarios per nos deputatos fieret; ita tamen, ut possessio a prima die huius praesentis anni 1570. tradita esse intelligatur Ad hanc autem facilius consequendam ipsi litteras

has adiectas donationales, item mandata ad Capitulum et officiales, nec non praefectos tum arcis, tum militum Wywariensium, et ad omnes subditos dicto Archiepiscopatui subiectos, quo eum in omnibus admittant, pareant, et obsequentes sint, expediri curavimus. Porro, ut se pro dignitate intertenere queat, concessimus praedicto Archiepiscopo, cum reliquos Archiepiscopatus proventus, tum vero dictam arcem Wywariensem, cum omnibus pertinentiis et emolumentis. Hac tamen ratione, ut pensio Episcopatus Agriensis sibi deinceps cesset; ac si pisetum (quod ei liberum erit) servare voluerit, nobis sex millia florenorum Hungaricalium annuatim certo loco deputato, omni trimestri, quantum pro rata competet, in Cameram nostram assignet, aut vero pisetum nobis relinquat. Nam etiamsi apud nos humiliter institerit, ut relicto sibi piseto tria ad summum aut quatuor millia florenorum nobis singulis annis eius nomine numeraret; tamen in ipsa potissimum persistimus sententia, ut illi liberum sit, utrum velit eligere, deinde ut arcem praedictam Wywariensem munire, et praesidium militare ibidem sustentare teneatur et obligetur. Antequam autem traditio litterarum donationalium et mandatorum nostrorum fiat, volumus, ut litterae reversales, quas memoratus Archiepiscopus nobis dare tenebitur, isthic per vos clausulis et articulis supra memoratis insertis conficiantur. Quamobrem vobis firmiter praecipimus, ut primo quoque tempore iam dictas reversales conficiatis, Commissariosque deputetis, instructionemque in eos formetis, omnibus punctis et articulis ita lucide explicatis, ne quid, quod ex usu nostro fieri queat, praetermittatur, nobisque

deinceps ad plenam expeditionem transmitti curetis; satisfiet hac in re benignae ac certae voluntati nostrae. Datae Pragae die 24. Januarii anno 1570.

XX.

Verancsics Antalnak Andronicus Tranquillus.

1570. febr. 2. Reverendissime et observandissime Domine salutem. Etsi mirifice me delectat ac etiam confirmat tenuitas mearum fortunarum, quae singulari Dei dono mihi contigit, mihi inquam, post tot labores exhaustos cupienti procul ambitione atque cupiditate privatim in paupertate, quae custos est innocentiae, degere et extingui; praesertim quod in obeundis negotiis publicis ad salutem civium et populorum nec aetas, nec industria mihi satis idoneae sunt: tamen faveo tibi alio itinere ad decus et gloriam incedenti, susceptis gravioribus curis, aditisque magnis laboribus, ex quibus redundaret salus in universam rempublicam. Nemo quidem inficiatur inculpatae eorum vitae, quos sine querela vixisse constat, repromitti regnum Dei. Sed multo praestabilius cum illis actum est, quibus benignior natura et voluntatem et facultatem tribuit longe lateque grassandi beneficentia in genus humanum, vel docendo ad recta studia laudatosque mores, vel defendendis ab iniuria mortalibus, vel quomodocunque communibus commodis invehendis. Hos coelo terraque, ut iubar solis, claros esse splendereque in perpetuas aethernitates, ac proxime accedere ad Deum

conditorem et conservatorem omnium, quem et nos ob beneficia agnoscimus et veneramur, et veteres Optimum appellaverunt. Nam qui malis artibus aut insanientis fortunae indulgentia provehuntur ad opes, dignitates, principatus; nihil minus quam ut cuiquam prodessent, sed ut sese libidinibus explerent, ac subiectis impotenter dominarentur: eorum sane omnia cum vita extinguntur, nulla prorsus memoria ne nominis quidem relicta, quasi nunquam in rerum natura fuissent. Et sane, illustrium virorum cunctis aetatibus magna paucitas extitit; alioqui posteritas non fuisset tam ingrata, quin singularem eorum virtutem meminisset, ac litterarum mandasset monumentis. In nostra vero tempora, siquidem fere omnia labuntur in deterius, ista infelicitas latius dimanavit. Vix reperias quemquam eminentiorem, qui non studeat privatis commodis publicis praetermissis, aut ista fluxa et inania famae non anteponat et immortalitati. In hoc Stoici videri volunt non commiserescendo malorum ullius, et cum Catone sentiunt, quem dicere solitum accepimus, hoc turpe verbum vincat utilitas. Amicitias sacra et profana utilitate metintur, aequi et honesti esse vana nomina existimant. Idcirco misericordia coelestium alumna et supremi luminis assistrix turpiter expulsa nostras sedes reliquit. Tantum autem abest, ut honestati sit relictus aliquis locus, ut illi ipsi omnis pene aditus interclusus esse videatur irrumpendi in domos illustrium. Quamobrem tota respublica mirum in modum convellitur, incubuitque in ruinam cum externis hostibus, per nostram ignaviam assidue impuneque extrema illius faede lacerantibus; tum quod nulla virtutem praemia consequantur, vitia quidem ad summum pervasere; quippe flagitii laus

et impunitas videntur esse proposita. Proinde ne quis existimet, nos in has temporum angustias incidisse aut fatorum serie, aut conversione syderum, aut coelorum influxu. Nostra certe culpa, nostra infidelitate pertrahimur in mala omnia; et nisi rationes vivendi commutemus in melius, vereor, ne tam pertinaciter Deo repugnantes et obduratos in nequitia, una ruina simul omnes involvat. Nam improbitatis vectigal est calamitas et exitium. Atqui altera ex parte adducor in optimam spem infinita bonitate Dei, quod ipse pater misericordiarum succurrat aliquo pacto generi humano per inscitiam erranti, vindicabitque ab interitu suam imaginem, atque restituet in possessionem regni coelestis, qui finis ultimus est hominis in voluntate Domini conquieseentis. Jam incipiunt apparere vestigia quaedam non obscura Divinae clementiae, miserantis nostram infelicitatem, subvecto ex humili loco ad summum fastigium rerum humanarum viro impigro, et inflammato cupiditate iuvandi communia commoda; pontifice inquam veteris moris, et sanctorum pontificum strenuo aemulatore; qui dono providentiae genitus et servatus rebus fessis ac pene deploratis, virtute, sapientia, magnitudine animi, lucem in diuturnis tenebris delitescentem, omnibus conspiciendam efferret in publicum; cum antehac evaderent ad summum sacerdotium per sordes et corruptiones perditi homines inita societate cum impuris et contaminatis, suique simillimis, heluando et prodigendo nefarie, quae ad reipublicae defensionem et ornamenta superior aetas sapienter constituerat. Hoc igitur Pontifice moderante rempublicam magnae mutationes factae sunt in moribus et vero cultu Christi servatoris. Videmus Romam, urbem gentium ac terrarum prin-

cipem, quae diu sentina flagitiorum omnium et serva idolorum fuit; unde tanquam ex equo Troiano semina malorum errumpebant in omnes partes orbis Christiani, magno repente miraculo in summam pietatem conversam, exemplum ceteris omnibus caste sancteque vivendi dedisse. Quod si reipsa haererent in vestigiis non dicam Apostolorum, sed huius sancti Pontificis, tam ardenter in rempublicam incumbentis, ii qui lumina Ecclesiae et dici et haberi volunt; brevi beatum orbem futurum putarem: tantam in potentiorum animis, qui spiritu Dei aguntur, esse vim, praecipue ad honesta et salutaria, credam. Quid autem de te sentiam; iudicium meum in hac oportunitate minime subtraham, neque vereor apud te in suspitionem adulationis incurrere, a quo crimine cum natura mea, tum omnis anteacta vita perpetuo me defendit. Satis superque nostrae simplicitati est, vera dicentem, maxime de iis, quae mihi cognita sunt et perspecta, nec odium neque gratiam mereri. Igitur obiisti plerasque legationes longinquas et difficiles, non minus prudenter ac fideliter. Propterea in dignationem Principum venisti, a quibus praecipuis es ornamentis insignitus, evectusque ad summos honores, quos multi clari generis nec magnis fautotibus, neque copiis, non etiam diuturna servitute assequi potuerunt; tibi vero non ambienti quidem, propter raram tuae virtutis indolem, ac spe magni cuiusdam in rempublicam ex te futuri successus, ultro delati sunt. Quod si etiam eos appetiisses, nemo tibi vitio verteret, laudi potius ascriberent omnes. Non enim instituisti vitam ad imitationem eorum, qui suas facultates ad pompam et luxum prodigunt, aut suos thesauros iniuria multorum undique conquisitos et centum obseratos clavibus recon-

dunt; ipsi nec sibi nec cuiquam utiles, evidenti significatione mollis et abiecti animi, neque memoris suae dignitatis. Ceterum, spretis privatis commoditatibus et inani favore vulgi, omnes tuas opes, quod imprimis magnanimum virum decet, profundis ad pios tantum usus et salutaria opera. Cuius rei signum nulli sumptus immodici, non apparata splendide convivia, non gravis abacus multo auro et argento, non pretiosa supellex, nulli stipatores, neque longus ordo famulorum; omnia mediocria pro fortuna, nisi quod quaedam etiam intra modum; tantum autem abest, ut opes accumules atque defodias, ut saepius obstrictus sis aere alieno. Breviter attigi mores tuos, quibus omnem cursum tuae vitae in opibus non admodum magnis laudabiliter temperas; nec dubium, si multo maximae obtigissent, quin praestares eandem pietatem atque magnitudinem animi. Ceterum in hac praeclara tuae virtutis foecunditate si quid indicavero, quod abs te praetermissum esse videatur, quod tamen tuis laudibus non officiat, receptum autem et usitatum possit aliquam accessionem ad gloriam addere: nolim aegre feras; nam in rebus humanis nihil tam perfectum est, quin possit esse perfectius; neque natura parens in unum quemvis mortalem adeo liberalis extitit, in quem omnes animi atque ingenii dotes sic efunderet, cui aliquid non deesset. Itaque censetur optimus inter homines, et proximus Diis immortalibus, quem minima labes imprudentem aspersit. Quocirca neque te huiusmodi peccandi minutiis prorsus libero, licet in horchestra laudis constitisse videaris. Quid autem sit istud negligentiae, quod in te animadvertimus, iam ostendam. Imposuit tibi fortuna, vel potius Deus, magni personam antistitis; quae sane

dignitas tantum antecellit regum infulas, quantum praestant anima corpori, coelum terrae, humana Divinis (igy), et aeterna fluxis. Sacerdotis enimvero muneris scopus est, populos ad quietem et sempiternam securitatem adducere, quam Reges non praestant nisi temporariam, saepe etiam multis amaritudinibus permixtam. Proinde quum tantam molem sustineas administer orbis terrarum principis : adnitendum tibi magnis viribus putamus, cogitandum etiam die ac nocte, ut vocationem tuam fideliter impleas, respondeasque hominum expectationi, iam pridem de te conceptae, nulla culpa praetermissi officii. Quod integre praestare mortalem hominem, nisi Dei spiritu afflatus sit, difficilius est, quam quisquam existimat. Vix invenies, ulli unquam prospere cessisse, qui provinciam aliquam inconsulto aggressus fuit. Propterea ipsi quoque Paulo, cui omnes scientiae et sapientiae numeri Divinitus inerant, tamen iubente Sancto Spiritu adiunctus est Barnabas Apostolus socius et consultor in praedicando evangelio. Hoc documentum sit cuilibet gerenti munus publicum, praesertim ecclesiasticum; ne quis nimium confidens viribus ingenii sui, abiiciat aliena consilia, seque idcirco multis malis involvat. Nemo sapit horis omnibus; is autem recte sapit, qui non gravate melioribus consiliis paret. Atqui quosdam philautia misere corruptos pudet consilia communicare cum aliis vel sapientissimis; putant existimationem contineri, quodcunque per se ipsos duntaxat agendo, vilescere autem, si in consultatione quemvis prudentiorem adhibeant; quo fit, ut temeritatis saepe dent poenas, suoque consilio proprio subvertantur. Eorum vero res gestae floruerunt, qui humanae infirmitatis conscii sapientioribus sese de-

derunt regendos et recoquendos, et nihil iis inconsultis de rebus maximis deliberarunt. Quos omnes supervacuum est ad praesens recensere; quippe sunt innumerabiles, nec ad nostram rem attinet. Referam tamen unum exemplum in omni vita memorabile, ac viris insignibus semper prae oculis habendum. Tradunt Regem Pyrrhum, civilibus et imperatoriis artibus nulli regum illustrium inferiorem, palam confessum: se plures urbes eloquentia Cyneae amici et comitis, quam armis cepisse. In hac imitatione velim acquiescas; neque differas acquirere, atque ad sc (így) quibuscunque possis attrahere, ubicunque fama vulgavit viros sapientia institutoque vivendi celebres, quibuscum utiliter quotidie disceptes atque statuas, quae pertinere videantur non solum ad rationes tuae domus constituendas, degendaeque totius vitae, sed etiam ad ornamenta reipublicae. Interim ego ea erga te fide, quam semper perspexisti sinceram et singularem, profero de scrinio meorum amicorum sacerdotem Xistum nostri generis et sanguinis, Jadra oriundum; virum aetate maturum, et in sacris litteris exercitatum, multaque experientia praestantem. Versatus est cum praecipuis Principibus in Europa, tractavitque res magnas cum laude; huic vero Pontifici, quem tu studiis omnibus aemularis, non solum cognitus est, verum etiam acceptus. Hunc igitur virum, si abest, ad te accerse, et praesentem mansuetudine tua solita complectere. Quod equidem spero, non solum tibi tuisque omnibus usu magno, sed etiam accessioni tuae gloriae atque ornamento reipublicae non leve adiumentum esse futurum.

Assiduis nunciis fama percrebuit, Thurcum instruere classem multo maximam, cui adiecit centum

pontones ad traiiciendos equos mirae magnitudinis. Eam ob rem multis oborta est sollicitudo et pavor, et eorum quisque timet, ne tam gravis tempestas in suam perniciem evolvatur. Quae res praecipue Venetos maxime urget, eosque timere, ne Cyprus illis adimatur, insula praedives et paene contigua litoribus Asiae, propterea magnis viribus conantur huic occurrere. Alii existimant, Thurcum alias provincias tanto apparatu invasurum esse. Quorundam opinio non absurda est, cui et ipse assentior, qui putant, quod classis Thurcorum navigabit in Hispaniam, id flagitantibus Mauris, qui complures in Betica a Rege Hispaniae defecerunt. Nam Thurcus revera unum Regem Philippum, omnium Principum Christianorum ut potentissimum, aliquantum veretur. Sunt etiam qui rem altius expendunt, ac Thurcum, siquidem tot gravissimis bellis distringitur, Moscovitico, Persico et Arabico; tamen subtili commento persuaderi ceteris posse arbitratur, se ipsum non modo non deiici animo, sed posse etiam aliis bello maritimo negotium exhibere; satis autem ipsi futurum, si tantisper hostes suos hoc pacto in metu continuerit, ac defenderit sua litora. O nimium negligentes nostros Principes, qui in tanta oportunitate facile possent se asserere in libertatem; sed atoniti expectant, ut Thurcus ab expeditionibus victor et gravis hostis redeat, atque ipsos excindat. Vale felix.

Tragurii 2-a Februarii M.D.LXX.

Tranquillus servitor mp.

Kívül: Reverendissimo et observandissimo domino, Domino meo Antonio Verantio Archiepiscopo Strigoniensi etc. in Hungaria.

XXI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Imperatoria Catholica et Regia Maiestas, Domine, domine mihi semper clementissime!

1570. febr. 19. Post humilem ac perpetuam et fidelem servitutem meam in gratiam Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis commendationem. Magnificus dominus Paulus de Zara, Civitatis Fluvianae Capitaneus, plurimum institit apud me hic adhuc existens, ut ego fratrem eius Orpheum Aquilegiensem Capitaneum promoverem apud Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram ad legationem Turcicam, pollicens de illo omnia, quae requiruntur in homine ad id muneris cooptando, eumque dicens plurium linguarum esse peritum; maxime vero Croatae, Italicae et Latinae, quarum usus apud Turcas crebrior est. Idque ex hoc commodi provenit oratoribus huiusmodi, quod plurima per se ipsos tractare possunt, non communicando Principum secretiora negotia cum tot interpretibus, quos saepenumero caelare aliqua expedit, quod ii lucri causa consueverunt similia cum aliis oratoribus communicare. Hoc negotium ego non admodum curavi, cogitans, quod sit difficile et periculosum servitores Principibus commendare, et maxime eius generis, qui intimis et archanis rebus eorum admitti soleant. Sed idem sperans, nescio quid, ex hoc officio meo, quod optat, eventurum, si illud obire apud Maiestatem Vestram vellem, denuo nunc egit apud me per litteras,

et valde etiam rogavit ut hunc ipsum fratrem suum Orpheum Sacratissimae Maiestati Vestrae suggererem. Qui quidem si mihi esset notus, securius hoc officio fungerer, respiciens etiam ad Sacratissimae Maiestatis Vestrae commoda. Sed quum credam Maiestati Vestrae esse notissimum vel ex memoria horum virorum parentis, qui Maiestatibus Vestris fidelissime dum vixit servivit; non texam longiorem commendationem, nisi ut dignentur haedem Vestrae Maiestates similium parentum liberos habere commendatos. Quippe qui vel maiorum suorum praeclare gestis soleant incitari ad virtutes et ad inserviendum cum laude Principibus. Nec plura de hoc ipso Orpheo dixerim, praeterquam, quod si his linguis polleat, ceteraque in eo respondeant ad id muneris necessaria; iudicarem similem hominem fore peridoneum ad eam legationem obeundam; alioqui reliquendo omnia sapientissimo consilio Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis. Dignabitur mihi clementer de his veniam dare; Eandemque Deus Optimus Maximus diutissime servet incolumem et perpetuo felicem. Viennae 10. Februarii 1570.

Eiusdem Vestrae Sacratissimae Imperatoriae
Catholicae et Regiae Maiestatis
servitor subiectus et obediens
Electus Strigoniensis mp.

Kivül: Sacratissimae Imperatoriae Catholicae et Regiae Maiestati. Domino domino mihi semper clementissimo.

XXII..

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.

1570. mart 21. Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Quae nobis in litteris quarta huius ad nos datis de rebus Transilvani indicastis, grata habuimus. Agnovimus enim inde vestrum erga nos et patriam bene merendi studium, benigne hortantes, ut deinceps etiam semper idem agere non intermittatis, quaeve scire nostra existimaveritis, de iis nos subinde edoceatis. Id quod ad hanc epistolae vestrae partem, cum ad alia ex Consilio Camerae Aulicae responsum habeatis, rescribendum mandavimus; cui benigne propensi sumus. Datum in arce nostra Regia Pragensi die vigesimo primo Martii anno Domini MDLXX. Regnorum nostrorum Romani octavo, Hungariae septimo, Bohemiae vigesimo secundo.

Maximilianus mp.

Ad mandatum domini
Electi Imperatoris proprium.
Pieringer mp.

XXIII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae. Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Reverendissime in Christo pater. sincere nobis dilecte. Ex litteris vestris cognovimus ea, quae de relinquenda penes nepotem vestrum Praepositura de Thurocz nobis supplicastis; et intelleximus etiam illa, quae commemoratis de petito a nobis consensu super resignatione vestra tunc temporis, quando abhinc tertio anno Legatus a nobis in Turciam proficisceremini. Quamvis itaque nobis maiora curantibus non satis succurrat, quid tunc temporis, et quomodo hac in re deliberatum per nos fuerit; sit tamen, utut velit. consensus nostri litteras nec vivo, nec mortuo praedecessore vestro Archiepiscopo, in quem culpam reiicitis, a nobis habuistis; quum tamen a tanto tempore illarum nos vel defuncto illo admonere, et pro eis instare potuissetis. Nunc autem, cum vos ad altiora transtulerimus, et per eam translationem is sit rerum et temporis status, ut quemadmodum Praepositura illa vestro praedecessori invito per divum genitorem nostrum felicis memoriae adempta, a nobis Episcopo Agriensi, nullis alioquin bonis possessionariis proviso, fuit tradita, sic idem nunc quoque fieri oporteat; praesertim quum, prout necessitas postulat, Episcopatum illum inter ceteros praecipuum, quin idoneae et 1570. apr. 4.

et bene meritae conferamus personae, haud simus longiorem facturi dilationem. Cuius Praelato, quomodo de residentia et eiusmodi bonis alia provideamus via, prae manibus nihil habemus; nec ita subito aliquid beneficiorum vacaturum est, quo Episcopo illi commodius, etiam ob vicinitatem, dum Viennae residemus, providere possimus. Quantum vero ad nepotem vestrum attinet, cum ille nec studia sua perfecerit, neque adhuc in sacris sit, facile illa carere, et a nobis auxilio alterius beneficii, quorum pleraque in Ecclesia vestra vacare solent, in continuandis studiis iuvari poterit. Quomodo vero eam illius habilitatem cognoverimus, ut maiori promotione dignus videatur, et sacris initiari valuerit, non deerunt nobis semper occasiones, quibus illi etiam in maioribus providere possimus. Quae cum ita se habeant, fidelitatem vestram hortamur, atque etiam committimus vobis, ut Praeposituram illam ad manus Camerae nostrae Hungaricae, dum per eam requisiti fueritis, remittatis, neque moram aut difficultatem aliquam in hoc ulteriorem faciatis; cum haec sit deliberata nostra voluntas. Secus non facturi. Datum in arce nostra Regia Pragensi quarta die mensis Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Maximilianus mp.

Joannes Listhius
Episcopus Vesprimiensis mp.

XXIV.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus Secundus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.

Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis dilecte. Cum ad festum Ascensionis Domini proxime venturum desponsationis actum loco et nomine Serenissimi Principis, domini Philippi Hispaniarum Regis Catholici etc. per Serenissimum Carolum, Archiducem Austriae, fratrem et Principem nostrum charissimum, vigore mandati procuratorii a Serenitate Sua accepti, cum Serenissima Principissa Anna filia nostra dilectissima peragendum celebrare constituerimus, ac desponsationem huiusmodi Devotionis tuae, tanquam Inclyti nostri Regni Hungariae Primatis, adeoque primi in Regnis ac Provinciis nostris haereditariis Praelati manu fieri cupiamus et velimus, Devotionem tuam benigne hortamur, et requirimus, ut acceptis his nostris litteris protinus, ac ea quidem celeritate se huc conferat, quo ad minimum biduo ante hic adesse, ac de iis ceremoniis et solennitatibus, quae ad actum hunc pertinebunt, cum Devotione tua conferri possit. Sin vero Devotio tua aduersa forte valetudiue (quod sane haud libenter intellecturi essemus) distineatur, ita, ut hanc profectionem omnino nequeat; tunc Nos eius quam primum per veredarium, ea de re expresse ad Nos ablegandum certiores reddat. Factura in eo Devotio tua rem nobis longe gratissimam, ac Regia benigni- 1570. apr. 15.

tate nostra quauis occasione compensandam. Datum in arce nostra Regia Pragae die decima quinta mensis Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, Regnorum nostrorum Romani octavo. Hungarici septimo, Bohemici vero vigesimo secundo.

Maximilianus m. p.

Ad mandatum Sacrae
Caesareae Maiestatis proprium.
P. Bernburger m. p.

Redditae Posonii 17. Aprilis 1570.

Kívül: Reverendissimo in Christo Patri, domino Anthonio Verantio, Electo Archiepiscopo Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique eiusdem et Comitatus Honthensis Comiti Perpetuo, Primati Hungariae, Sedis Apostolicae Legato Nato, Summo Secretario Cancellario et Consiliario nostro etc. fideli sincere nobis dilecto.

XXV.

Verancsics Antal mint esztergami érseknek reversalis levele.

1570. apr. 24. Nos Antonius Verantius Divina miseratione Electus Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus. Summus et Secretarius Cancellarius, ac Consiliarius Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis etc. Fatemur et recognoscimus per praesentes litteras nostras, quod cum praefata Sacra Caesarea Maiestas dominus noster clementissimus ex innata, ac plane paterna sua

pietate et gratia speciali, qua omnes fideles suos amplectitur, nobis praedictum Archiepiscopatum Strigoniensem, per mortem et decessum quondam Reverendissimi domini Nicolai Olahi, eiusdem Archiepiscopatus ultimi veri et legitmi 'possessoris, de iure et de facto vacantem, authoritate iuris Patronatus sui Regii, quod in omnibus dicti Regni Hungariae Ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis, more divorum olim Hungariae Regum, predecessorum suorum felicis memoriae, optimo iure habet, simul cum cunctis castris, castellis, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, praediis et aliis cunctis pertinentiis et iuribus possessionariis ubivis et in quibuscunque Regni Hungariae et Partium ei subiectarum Comitatibus existentibus habitis, ad eundem Archiepiscopatum Strigoniensem de iure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, pariter cum omnibus eiusdem iuribus, libertatibus, praerogativis, proventibus, et aliis quibusvis emolumentis, vigore litterarum suarum donationalium, clementer conferre dignata sit. eiusdemque Arhiepiscopatus possessionem nobis a prima die praesentis anni septuagesimi traditam esse voluerit, proventus quoque anni praeteriti ad arcem Wywar, inxta limitationem et deputationem praefati olim domini Nicolai Olahi, praedecessoris nostri pertinentes in sustentationem militum praesidiariorum ibidem existentium, elementer concesserit: tamen ut pensio nostra ratione Episcopatus Agriensis, nobis saltem usque ad primam Februarii anni praesentis cedat; quum praeterea cum Maiestate Sua ita convenerimus, ut Eius Maiestati singulis annis sex millium florenorum Hungaricalium pensionem piseti nomine omni trimestris spacio, quantum pro rata parte competit, in Cameram Suae Maie-

statis Hungaricam assignemus, initio a prima die Aprilis anni praesentis sumpto. Promittimus igitur praesentibus litteris nostris, atque nos obligamus, quod praescriptam sex millium florenorum Hungaricalium summam Eius Maiestati praedicto tempore, in dictam Cameram Hungaricam certo et absque ullo defectu persolvemus obedienter et fideliter, quod si facere neglexerimus, liceat Maiestati Suae hanc summam vel ex piseto nostro, vel ex decimis nostris Comitatus Posoniensis de facto excipere. Recipimus quoque nos arcem nostram praedictam Wywar aedificiis, munitionibus commeatuque necessario et sufficienti instructam esse curaturos, eundemque militum numerum tam equitum, quam peditum, qui hactenus in dicta arce intertentus est, videlicet equites ducentos quinquaginta, et pedites ducentos, tempore induciarum, pacis et ab hostium excursionibus quieto intertenturos. Si vero contigerit, ut ipsa arx Wywariensis obsideretur, vel saltem suspicio obsidionis eius immineret; Sacra Maiestas Sua Imperatoria, uti clementer sese obtulit, tempestive eidem Wywariensi arci de maiori praesidio, tantaeque potentiae hostili pari ad resistendum providere dignabitur; nobis alioqui non deficientibus ad ea suppeditanda auxilia, quae ex facultate nostra, ultra ordinarium, fieri poterunt. Veteranos vero milites, qui iam in ea arce Wywariensi diu militarunt, omnes quicunque in officio, et intra conditionis suae terminos perstiterint, eruntque nobis et praefatae arci Wywariensi utiles, obedientes et fideles, iuxta sua iuramenta, quae sunt nobis in assumptione eorum praestituri, haud quaquam loco atque servitio suo movebimus; qui contrarie sese gesserint, nostrum erit, ut quemadmodum de

aliis securitatibus, ita etiam de ista militari eidem arci consulamus. Non defuturi ullo tempore, ut de stipendiis suis iidem milites reddantur contenti. Ii autem omnes et Praefecti et milites, tam moderni, quam qui in futurum per nos constituendi erunt; volumus, ut nunc et in casu mortis nostrae, Sacrae Suae Imperatoriae et Regiae Maiestati, eiusque legitimis successoribus Hungariae Regibus eiusdem fidelitatis iuramento sint obstricti atque obligati. Decimas denique nostras, quas nos arendare voluerimus, Eius Maiestati iuxta constitutiones publicas prae aliis solita arenda concedemus. Ad quae quidem praemissa omnia et singula firmiter, ac inviolabiliter observanda, nos ad puritatem conscientiae nostrae obligamus, atque obligatos esse volumus, harum nostrarum manus propriae subscriptione, et sigilli nostri appressione, vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum in civitate Posoniensi vigesima quarta die mensis Aprilis anno Domini M.D.LXX.

Idem Electus Strigoniensis mp.

XXVI.

Verancsics Antal esztergami érsek és Bornemisza Pál erdélyi püspöknek véleményes nyilatkozata az erdélyi követség ajánlatairól.

Opinio Electi Archiepiscopi Strigoniensis, et Episcopi Transsylvanici ac Sacrae Caesareae Maiestatis Locumtenentis super articulis legationis Transsylvani praesentis anni 1570.

Sacratissima Imperatoria Maiestas, Domine domine nobis clementissime!

1570. jun. 30. Serenissimus Archidux dominus noster clementissimus, quum huc Viennam nos ad se ex benigna commissione Maiestatis Vestrae mandato suo per hos praesentes dies accersivisset; exhibuit nobis quosdam articulos ab oratore Transsylvani XXII. mensis Maii Vestrae Maiestati propositos, iussitque nobis (igy), ut super eos eidem opinionem nostram declararemus et describeremus. Quam provinciam quum pro obedientia et fidelitate nostra aggressi fuissemus; animadvertimus, eundem Transsylvanum pro pace quidem agere. sed nihil minus quam pacem ipsam serio ac sinceriter velle se, hiisdem articulis non obscure innuit. Atque hoc ut Maiestati Vestrae paulo prolixioribus rationibus juxta captum nostrum demonstremus:

Petit imprimis Regium titulum, deinde Transsylvaniam, et eam regionem totam, quae ipsa Transsylvania et Tibisco amne clauditur, simul cum arcibus Huzt, Munkacz et Maromarusiensi Comitatu, pleno et

haereditario jure in hiisdem residendi, dominandi, bonaque omnia in eis sita dispensandi, dandi, donandi et faciendi, ut de suo tanquam liber, absolutus et perpetuus dominus.

Quae quantum conveniat Maiestatem Vestram concedere, etsi hoc eiusdem consilium ac judicium prudentissimum minime lateat; nos tamen, quantum de his sentire et judicare possumus, nihil idem Transsylvanus agit absurdius, quam ista petere; nihil in his Vestra quoque Maiestas facere potest, quod honori, existimationi, commodoque suo, et sex liberorum suorum, ac totius amplissimi generis sui commodo caederet, si petitioni eiusdem Transsylvani assentiretur. Data enim illi perpetuo et haereditario jure Transsylvania, et ea Regnī parte, quam postulat, cum titulo Regio; ultra quod adversarium suum in Regno suo Regem faceret, et spem certam successionis illi roboraret et confirmaret, quid restaret Maiestati Vestrae in eo aliud, quam quod cum aemulo suo commune maleque securum haberet. Nam hinc subito nasceretur, quod ipso etiam nolente, si quid gratitudinis et bonae mentis erga Maiestatem Vestram retineret, pedetentim emnium Hungarorum studia, primum occulte, deinde palam ex occasionibus ad eum verterentur. Mox dissidia intestina succederent, evectusque ipse interim aliis atque aliis humanae ambitionis praxibus, aetateque et judicio firmiore factus auctior, Principumque externorum amicitiis et fortasse affinitatibus etiam contractis, ne nunc de Turca commemoremus alia, cuius tyrannidi subsit et servit, haud dubie ampliora conciperet auderetque tractare.

Nec demum pactis, nec datae fidei staret, et omnibus sibi arridentibus occasionibus patris exemplo

uteretur. Meminimus nos, quando inter defunctam Maiestatem, Sacrae Maiestatis Vestrae charissimum genitorem, et Joannem huius ipsius Transsylvani patrem opera Lundensis, Caroli V. tunc temporis oratoris, confecta pace cum concessione, ut titulo Regis frueretur, pacemque illam exacto anno primo eius publicari pateretur, exequerenturque inter eos etiam conditiones reliquae: nihil minus Joannes fecit, sollicitante illum vel me Transsylvano Episcopo tunc Veteris Budae Praeposito et Suae Maiestatis nuncio, ususque imposterum ad mortem usque eo Regio titulo quantopere molestus eidem quoque fuerit, omnes novimus, et consequuta bella testantur; rebusque etiam et tumultibus omnibus ultro citroque motis interfuimus. Sic, clementissime Imperator, filius quoque idem facere non vereretur, si votis vel solius tituli potiretur. Ne autem et illa attingere omittamus; quis vel Consiliarius vel subditus Vestrae Maiestatis esset, qui constanti fidelitate praeditus auderet probare, ut Hungariae Regno, quod Maiestatibus Vestris indicibili thesaurorum impendio, maximis Germanicae atque Austriacae nationis caedibus, curisque innumerabilibus et supra humanam possibilitatem habitis constiterit, Maiestas Vestra se ipsam, Serenissimos liberos et fratres suos, ac totam denique domum suam amplissimam et felicissimam privaret.

Esset sane hoc et nomini Maiestatis Vestrae amplissimo indecorum, quod totus mundus celebrat, eandemque optimis et fortissimis, sanctissimisque et sapientissimis Imperatoribus comparat; quando haeredes et posteri sui eo Regno in alienum translato de Maiestate Vestra quererentur: quum peregrinae etiam nationes parum laudi suae ex hoc tribuerent, si hunc,

quem Turca subditum ac mancipium suum nominet, et tantum illi in vita duntaxat dedit, quo solam ipsam vitam sustentet, nullas vires queat sibi comparare, Christianis non faveat, sibi serviat, et fomentum sit, quo Maiestatem Vestram distineat ab obtinendo toto Regno, in eoque serventur omnes causae, quum ei bellum movere cogitaret, — hunc ipsum Maiestas Vestra tanto suo et suorm praeiudicio in consortium Regni Hungariae accipiat. Horum itaque neutrum faciendum esse Maiestati Vestrae, humillime iudicamus.

Ubi autem illud etiam addit, ut, assequutus quae iam praemisimus, ea quoque cedant ei omnia, abeantque in ius et dominium eius, quaecunque quoquo modo ac ratione de manibus Turcae adeptus fuerit; apparet et ex hoc, quod serpere anhellareque ad ulteriora Regni acquirenda cogitet, velitque haud dubie in Regno Hungariae cum Maiestate Vestra veluti condivisionalis frater esse. Quamquam ex hoc ipso et illud coniici posset, quod obtentis, quae iam percurrimus, Turca aliquid illi de eodem Regno dare se promiserit, dummodo ad titulum, et ad illas eiusdem Regni partes per Maiestatem Vestram evehatur. Quod utrumque putamus vix esse sine aliqua fraude, et quod in recessu gravius quippiam secum vehat. Observanda itaque sunt et examinanda diligentius.

Magna autem sunt, clementissime Imperator, quae petit Transsylvanus; sed quid ipse ex se polliceatur Vestrae Maiestati, quod esset ei proficuum et honorificum? — nihil videmus tale. In affinitate Domus Austriae petit inseri; pacem vero ex sui parte pollicetur, seque offert bella Vestrae Maiestatis contra communem hostem personaliter sequuturum; sed et hoc

tunc, quum Ipsa illis interfuerit. Alia in articulis promissa sua non deprehendimus; neque illa, quae vicissim daturus esset Vestrae Maiestati. De hac affinitate itaque videtur nobis, quod non sit e re Maiestatis Vestrae, neque Serenissimorum liberorum suorum. Quandoquidem hoc etiam unum sit, quo ambit reliqua; quasi necessitate cogeretur Maiestas Vestra, conditione neptem suam illi in coniugium elocando, facilius et titulum Regium, et reliqua postulata esset obtenturus; ne deesset facultas illi, filiam tanti Ducis, tantique Imperatoris neptem habendo in uxorem, ad eandem cum existimatione conservandam. Sed hoc totum non amore Vestrae Maiestatis, verum studio et cura regiones illas ac titulum Regium impetrandi.

Quam vero pacem ex se Maiestati Vestrae pollicetur; non videmus eam esse tanti, ut ematur aut redimatur tanto. Quum nullum bellum Maiestati Vestrae facere queat sine Turca Thesaeo; similiter nec in bella Vestrae Maiestatis admittendum putaremus, ut hominem dubiae fidei, non certae amicitiae, antiquum cum patre hostem, servum Turcae, et quem plane cernimus ex Regni parte ambita ad totum contendere et niti. Existens et illud suspectum nobis, quod eo duntaxat bello praesentiam suam pollicetur, in quo personaliter Maiestas Vestra interfuerit. Ac de his omnibus non aliter, nostro quidem iudicio, videtur agere, quam si summe esset necessarium, cum eo sic de pace transigere, et tantos illi fasces attribuere, ut ad potentiam existimationemque absolutam evehatur. Ad quam si quo casu evaderet, quid tandem subnixus et stipatus Turcae patrocinio atque auxiliis virium, non ad haec conaretur temporis vel occasionis cuiuspiam inexpectatae superventu, Maie-

stas Vestra consideret, et evitet pericula, quae dulci eiusdem Transsylvani tecta prohemio, veluti auceps circuit suavibus et speciosis reculis, ut quem septet capiat, et ambitu suo potiatur.

Quum autem duos etiam in Slesia Ducatus, Oppoliensem et Ratiboriensem, sibi reddi postulat casu, quo aut in hiisdem ditionibus, pro quibus agit, non posset permanere, aut etiam hostili vi ex illis pelleretur; videt Maiestas Vestra ex hac etiam petitione, quod nulla in parte damnum vult pati, et ex qualibet re lucrum venatur. Nam quando una cum matre hos ipsos Ducatus obtinebat transactione spontanea, in illis non permansit, sed per iniuriam repetito desiderio Transsylvaniae, ac ea Turcae etiam opera intercessioneque potitus, quantis postmodum Maiestates Vestras molestiis, ditiones vero ac subditos earundem damnis affecerit, notum est omnibus. Nunc itaque quo animo, quave fronte denuo Ducatus exigat aspernatos; miramur, quod non pudefiat. Ac propterea censemus etiam, non esse illi dandos. Nisi forte ita sese subiiceret, ut tunc subiecerat, et eo duntaxat contentaretur statu, qui illi eodem tempore placuerat. Quamquam utilius pro conditione temporum praesentium Sacrae Maiestati Vestrae putaremus, si adhuc in hiis, in quibus modo est, permaneret. Nempe non in suo, sed in eo, quod est Vestrae Maiestatis, donec Deo et fortunae eius placuisset. Nec interim quicquam ei daretur proprium, ne quibuspiam viribus alisque instructus possit aliquando insolescere, potentior esse, et cum Vestrae Maiestatis, ac Serenissimorum liberorum suorum molestia contendere ad altiora, et ad ampliora aspirare, interimque a Deo et a tempere expectare. Quum haec duo, nimirum Dei providentia, si

eam patienter sustinemus, et temporis maturitatem expectemus aequo animo, saepenumero commodiora nobis afferunt, quam sollicitudo et festinatio nostra. Nostra itaque sententia non sunt illi dandae facultates, ut aliquando certius nobis timeri possit.

Petit postremo assecurationem et tutelam plus quam solemnem. Idque non a sola Vestra Maiestate, qua posset sufficienter contentari; sed etiam ab Imperio, parum deferens authoritati Vestrae Maiestatis. Quae simili modo quo tendant, non est difficilis coniectura. Modis enim omnibus quaerit, ut aliquando, quod affectat, assequatur, et securius urgeat fortunam, quam sibi tanto artificio parat, tanti successus spem nactus. Unde et in affinitatem Domus Austriae ac Bavariae recipi desiderat, ut et respectus eius habeatur, et ipse his praetextibus ornet sibi genus et authoritatem, possitque aliquando sic in imperium cooptatus, novis amicitiis sibi comparatis, et paternis veteribus renovatis; et ut ibidem non omnes fortasse Principes Maiestati Vestrae favent, audiat aliquid, quod Maiestati Vestrae adversetur, ut sit et ipse aliquid; undique interim rem suam sollicite saepiens huiusmodi subsidiis.

Hoc autem facere, quum plane videamus Maiestati Vestrae non conducere, tum illud etiam arbitramur esse considerandum, quonam Turcae vinculo subiectionis iungitur, quam religionem profitetur, quid habeat, quove tanti coniugii conditionem sustinere queat. In alieno enim dominatur, tyrannidi Turcae servit, ab eoque quotidie extrema sibi timet, et vitam Ecclesiae bonis sustentat. Nec est a re praesenti alienum, Sacratissimae defunctae Maiestatis charissimi Sacrae Maiestatis Vestrae genitoris dictum in memo-

riam revocare. Quum enim aliquando moneretur a Consiliariis Hungaris, ut tot Serenissimas filias, quas habebat, celerius desponsaret, seque illi curae atque oneri subduceret, quo postea liberationem Regni Hungariae expeditius curare potuisset, respondit: „Dudum eas se elocare potuisse, idque et commode et cum dignitate; noluisse tamen, malens, ut innuptae religionem Catholicam profitentes in paterna domo consenescerent et vitam finirent, quam haereticis nuberent." Is autem Transsylvanus quum non solum sit haereticus, ecclesiasticas ceremonias et idgenus adiaphora aspernans; sed Trinitatem oppugnat, et ad Judaicam Turcicamque confessionem inclinans, Dei quoque filium non agnoscit neque confitetur. Propterea hoc quoque quanta in consideratione haberi debeat, humillime suggerimus. Propter quod et Polonis suis exosus est, et cavendum maxime iudicemus, ut has oportunitates atque compendia accessionum, quae venatur, non obtineat.

Quamquam si quas tolerabiliores conditiones proponeret, et subesse non praeesse vellet, contentus mediocribus ac statu subditi, nec ferret sed subiret leges; posset fortasse colligi aliqua gratia pro nativa pietate Domus Austriae. Verum quum ab hoc instituto longissime videtur abesse; quum etiam ab isto suo oratore, dum esset apud Nicolaum Bathory, auditum fuerit quiddam simile colloquendo: „Vos etiam Maximilianistae aequa et honesta a Principe meo postuletis, qui se non adeo summisse ac deiecte gerit, ut statim Vestro Caesari subiiciat, et ad pedes eius sese provolvat ac deiiciat." Quidam enim hortabatur illum, ut aequabiliora idem Transsylvanus exigeret. Quod eo in medium adduximus, ut Maiestas Vestra

benigne animadvertat, eundem oratorem habere fortasse alia quoque demissiora, ut est in legationibus omnibus usitatum.

Non putamus itaque festinandum ad aliqua de his indignissimis articulis responsum facere; neque quippiam oratori aut offerendum aut promittendum, vel etiam dandum. Quia quicquid illi daretur, eo modo quo postulat, decederet rebus Vestrae Maiestatis, demereturque Eidem, quicquid in illum conferret; eiusque iuribus auctis, sua et Serenissimorum liberorum suorum imminueret. Et de his articulis quid nobis videatur, hanc ad Eandem Maiestatem Vestram, pro benigno sui ac Serenissimi Archiducis domini nostri clementissimi mandato, humillime descripsimus, et Serenitati Suae opinionem nostram exhibuimus.

Quum autem illud quoque attingendum nobis esse duximus, quid scilicet sentiamus de hac legatione Transsylvani missa eodem tempore, altera ad Caesaream Maiestatem Vestram et hoc in Imperium, altera ad Turcarum Principem: nihil itaque sentimus aliud, quam quod sit exploratoria. Primum, quod ista ipsa legatio tam aperte secureque missa sit, et quod ea attulerit, quae et ipsi Transsylvano incredibilia ad obtinendum fuerint, quod tuto coniici potest, et Maiestati Vestrae ad concedendum difficillima. Atque ut haec nostra opinio uberius declararetur; ait Strigoniensis, quatuor revocanda esse Maiestati Vestrae in memoriam, quae Turcae astu procurata sunt suscepto bello contra Venetos: Incendium eorundem navalis (sic); motum Grannatensium contra Philippum Regem; nimis quoque celerem cum oratoribus Maiestatis Vestrae pacis praesentis transactionem; et quod noluerit eundem Philippum comprehendi in ea, suo cum

decore, et ut volebat Maiestas Vestra. Gesturus etiam bellum cum Venetis Cypri causa, has omnes opportunitates bene gerendis rebus suis praemiserat. Nimirum ut apparatibus classicis Venetorum igne consumtis, minus valerent viribus maritimis; in Philippum vero subdisis suis Grannatensibus concitatis, in amicitia habere noluit, ut domi intestino bello occupatus, rem foris Christianam subsidiis suis iuvare nequivisset. Propter quod pacem quoque cum Caesarea Maiestate Vestra celerius confecit, et gratissimam habuit, ut securius bellum Cypricum gerere potuisset.

Sed ad hoc bellum habens quoque, quod agat cum Arabibus Rubri Maris, et cum Moscovitis, dubiumque cum Persa foedus; nihil restabat illi quod metueret, quam ne quod Maiestas Vestra in eum moveret. Et hoc ob profectionem Eius in Germaniam, et rumores de Christianorum Principum confoederatione. Destitutus itaque amicitia Venetorum, uti nos putamus, versus est ad Transsylvanum. Et quia is nullum ad id habebat modum conveniens; terruerunt eum commento, petitis quibusdam eius municipiis et locis, ut metum de his praetexendo pacificationem a Maiestate Vestra expeteret, occasioneque huiusmodi oratorem quoque ad Illam mitteret cum iniquissimis conditionibus. Quo oratore tantis de rebus in Imperio permanente, procederet etiam exploratio omnium eorum, quaecunque Maiestas Vestra cum Imperii Principibus vel ageret vel moliretur; extractaque aestate pacificationis huiusmodi tractatu, Turca, quaecunque in eodem fuissent acta Imperio, sciret, et accomodaret motus suos contra Venetos vel de bello prosequendo, vel de pace cum eisdem renovanda. Et hoc ut veritati consonum esse non dubitetur; habemus quod frequen-

tes Principis Turcarum tabellarii ad Budensem Passam veniunt, ab hoc vero ad Transsylvanum ablegantur, eiusque orator in medio positus explorator quotidianis fere cursoribus invisit suum dominum. Quid is demum agat, non est obscurum, quod officio suo ipse quoque perbelle Passae respondeat.

Sacra itaque Maiestas Vestra oratori isti non omnino cuncta credat. Et ut etiam excursionibus Turcicis, quae nunc passim fiunt quotidie, cessent quoque tot castellorum erectiones; humillime censemus, quia Turca rebus suis advigilat, et potius prior vult esse in inferendo, quam in accipiendo vulnera, hunc ipsum oratorem primo quoque tempore esse ablegandum, eique nihil aliud propter difficultates articulorum respondeatur, quam quod nunc Maiestas Vestra magnis rebus reipublicae Imperii sui esset occupata, negotiaque huiusmodi Transsylvanica, quae ipse attulisset, esse sibi differenda, et in aliud tempus opportunius ad tractandum reponenda. Mox Passa etiam Budensi admonito; ne quid tumultuum ob suspiciones quaspiam incideret per finitimos, et cursus pacis, si ea est necessaria, intempestive turbaretur; hunc oratorem inscia Vestra Maiestate venisse, non expetitum, de quibusdam aliis rebus, eumque propterea maturius etiam absolvisse etc.; prout Sacrae Vestrae Maiestati videbitur fore consultius.

Atque haec quum sit nostra super memoratos (így) legationis Transsylvanicae humillima opinio; veniam verbositati et licentiae nostrae postulamus, nosque meliori et prudentiori Sacrae Maiestatis Vestrae iudicio subiicimus.

Exhibita Viennae ultima Junii 1570.

XXVII.

Verancsics Antalnak a mantuai herczeg.

Illustrissimo et Reverendissimo Monsignore. Dall' ambassatore mio residente appresso la Cesarea Maestà, et da i segni che ha veduti della buona voluntà di Vostra Signoria Reverendissima verso me et la Casa mia, sono stato di modo assicurato dell' affettione, ch' essa continuamente m' ha dimostrato, che in me era nato molto disiderio di farle saper con degna occasione, quanto fosse corrispondente l' animo mio à i meriti di Lei. Ma poiche hora, et per la cortese sua lettera, accompagnata dalla voce del segretario suo, et per lo cortese atto, che l' è piacciuto d' usar meco, facendomi dono del cavallo Barbaro, grato à me come vera dimostratione dell' amorevolezza di Vostra Signoria Reverendissima, si è maggiormente confermata in me l' opinione, che havevo della sua cortesia. Perciò puo esser' sicura, ch' alle occorrenze le farò sempre conoscere l' animo, con che io vivo di far cose, che le siano di piacere. Et di cuore me le raccomendo· 1570. jul. 28.

Di Revero à 28. di luglio 1570.

Al servitio di Vostra Signoria Reverendissima

Il Duca di Mantova mp.

XXVIII.

Verancsics Antalnak Károly főherczeg.

Carolus Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis, etc.

1570. sept. 1 Reverendissime nobis sincere dilecte, amice charissime. Sacra Romanorum Caesarea Maiestas, dominus et frater noster colendissimus, longo nunc usu experta est, quam inutiles sumtus incurrerit aliquoties propter incertos et dubios hinc inde de Thurcarum machinationibus illatos rumores, et perperam dispositos exploratores. Ut autem in posterum hoc praecaveatur, Sua Maiestas deinceps meliorem superinde ordinem instituere, neque ullis propterea sumtibus parcere decrevit. Qua vero optima ratione, quibus mediis id fieri debeat, ut non solum hic in propinquis, sed in interioribus Hungariae locis, et in ipsa etiam Constantinopoli certior habeatur exploratio, Maiestas Caesarea vestram, et aliorum peritorum rei sententiam proinde exquirere mandavit. Itaque nomine Caesareae Maiestatis vos benigne requirimus, ut negotium, sicuti magni est momenti, accurate perpendatis, et qua via, quibus mediis ad certitudinem meliorum rerum Thurcicarum perveniri possit, nobisque secretissime opinionem vestram declaretis, ut eam, et aliorum etiam sententiam, in ulteriorem deliberationem desumere, Caesareaeque Maiestati significare possimus. Quo modo Suae Maiestatis benignae

satsfiet voluntati, nostram vobis simul benevolentiam deferentes. Datum ex Nova Civitate in Austria die primo mensis Septembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Carolus m. p.

Ad mandatum domini Archiducis proprium.

H. v. Fieringer mp.

Redditae Wywariui 5. Septembri 1570.

Kívül: Reverendissimo Nobis sincere dilecto Antonio Verantio Archiepiscopo et Comiti Perpetuo Comitatus Strigoniensis, Primati Hungariae, Legato Nato, Supremo Regni Cancellario, et Consiliario Suae Caesareae Maiestatis etc. Amico nobis charissima.

Presburg.

XXIX.

A császári udvari kincstárnak Verancsics Antal.

Ad quaestores aulae Caesareae.

Supplicaveram Sacrae Imperatoriae Maiestati 1570. nov. 27. Domino nostro Clementissimo, ut Sacra Sua Maiestas dignaretur clementer mandare Cremniciensi Camerae, ut tandem pisetum pro benigna Suae Maistatis donatione mihi remittat, et decimis meis Comitatuum Gumeriersis, Tornensis et Zoliensis quotannis pro pensione mihi impositis, clementer esset contenta, quod hoc calamositissimo Regni tempore difficillime parata pecunia comparantur. Sacra Sua Maiestas impedita maioribus rebus in Imperio, quam essent meae, non

prius respondit mihi, quam diebus proximis; ut videlicet acquiescerem transactioni iam initio mecum factae. Nimirum, ut pisetum obtineam, decimae mihi a Cameris persolvantur, et ego eandem pensionem mihi impositam statis suis terminis pendam; et de his omnibus a Sua Serenitate ultimam et totalem omnium expeditionem accipiam. Quo demum et ipse omnibus ad Archiepiscopatum pertinentibus potiar, et de pendenda pensione curam aggrediar.

Porrecto itaque super his humili libello meo scriptis Sua Maiestas commisit mihi, ut ab Illustribus et Magnificis dominationibus Vestris supra memoratorum omnium expeditionem sollicitem atque obtineam.

Est autem opus uno mandato ad Cremniciensem Cameram, ut mihi vel homini meo delegato pisetum assiget, positaque etiam ratione omnium proventuum eius, quos percepit ab Aprili mense anni praesentis 1570., eosdem mihi restituat ac deponat, simul cum pretio decimae Zoliensis, quam ad usus suos collegit et percepit.

Aliud quoque mandatum dandum est ad Scepusiensem Cameram, ad cuius instantiam reliquae duae decimae Gumeriensis et Tornensis Comitatus sunt dispensatae, ut earundem quoque pretia mihi persolvantur. Sic et Sacra Maiestas Imperatoria fieri decrevit, et ego, ut obedientissimus Suae Sacrae Maiestatis Capellanus, hoc decreto contentus, et exequutione eiusdem satisfactus, capessam sine mora debitae pensionis curam; ad omnia interim Illustrium et Magnificarum dominationum Vestrarum officia et servitia paratissimus. Valete felices. In Nova Civitate 27. Novembris 1570.

XXX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Catholica Imperatoria et Regia Maiestas,
Domine, domine mihi semper clementissime!

Post humilem ac perpetuam et fidelem servitutem meam in gratiam Vestrae Sacratissimae Maiestatis commendationem. Explorator Wywariensis die 22-a Octobris scripsit Strigonio ad meum Capitaneum Georgium Giczy de rebus novis, quae nunc habentur inter hostes nobis finitimos. Turcas quidem adhuc esse in insula Cypro, nondum tamen expugnasse eius arcem; sic enim ait, putoque esse Nicossiam; magnam tamen partem eiusdem insulae obtinere. Ceterum ita Budae vulgari, Principem Turcarum magnopere indignari de eadem arce nondum capta; mandasseque summo suae classis Praefecto valde minaciter, ut si capiti suo bene velit, ita vires et conatus suos intendat, ut eam capiat; alioqui et ipsum excoriabit vivum, et in omnes etiam copias suas gravissime animadvertet. Passam quoque in dies alios de huiusmodi novitatibus expectare Constantinopoli tabellarios; qui si afferrent ei prospera de expeditione Cypriana, mox omnibus Beghis finitimis edicet, ut excurrant, et nulla ratione pacis nostrae habita, latissime fines nostros 1570. dec. 6.

populentur. Quoniam in eo est Turcarum Princeps, ut si Cypro potietur, extemplo arma in Hungariam convertat.

Strigoniensis vero Beghus in dies successorem expectat Constantinopoli. Propterea quotidie in omnes partes sibi vicinas emittit suos milites praedatum, captans omnia quaecunque potest, quia omnino in hac praefectura non manebit.

Ceterum proximis diebus idem Capitaneus meus LX circiter equites iusserat excurrere versus castellum ad Strigonium in sinistra parte Danubii situm, qui a Turcis 400, quum iam reverterentur, circumventi, dimidiatim prope perierunt, plures tamen capti et vulnerati quam occisi. Acerrime autem pugnaverunt, et nisi mature subventum eis fuisset ex arce novo misso milite, haud dubie de omnibus agebatur. Nec alioqui incruenta cessit hostibus victoria, ex quibus, ut nunciatum est postea, plures quam ex nostris ceciderunt vi et vulnerum magnitudine. Voluissem itaque magnopere, ne is casus accidisset, iusseramque strictissime Capitaneo, ne hiis excursionibus uteretur, sed milites domi contineret, conservaretque custodiae et defensioni arcis. Sed sunt ita praedae cupidi, ut nullo possint imperio cohiberi. Nunc denuo mandavi sub gravissima poena, ut conquiescat, nec lacessat hostes, et in locum amissorum militum novos reponat. Quamquam et ego iam eo nonnullos misi, et ipse significavit mihi, esse quosdam in promptu, seduloque se daturum operam, ut ordinarius numerus denuo compleatur. Nec sese aliter hoc negotium habuit, quam ego scribo, utcunque secus ab aliis perscribatur. Et Deus Optimus Maximus Sacratissimam Maie-

statem Vestram diu incolumem et perpetuo felicem servet. Ex Nova Civitate 6. Decembris 1570.

Sacratissimae Catholicae Imperatoriae
et Regiae Maiestratis Vestrae
Servitor subiectissimus et obedientissimus
Electus Strigoniensis mp.

Kívül: Sacratissimae Catholicae Imperatoriae et Regiae Maiestati etc. Domino, domino mihi semper clementissimo'

XXXI.

Az udvari kincstárnak Verancsics Antal.

Ad Cameram Aulicam.

Decretum Serenissimi Principis domini Caroli **1570. dec. 10.**
Archiducis Austriae, Domini nostri clementissimi, ea omni, qua debui subiectione et reverentia nuper ad me per Illustres et Magnificas dominationes Vestras super resignatione ac restitutione Praepositurae Turociensis datum accepi. De cuius Praepositurae toto negotio iuxta et Sacrae Caesareae Maiestatis, et Serenitatis Suae benignam voluntatem clemensque mandatum superiore mense Septembri Turocium profectus, inventarium tam rerum munitionumque arcensium, quam domesticarum supellectilium ac vasorum, pro antecessoris mei formula mihi quoque ab eodem relicta, feci. Et quare subito resignationem etiam eiusdem Praepositurae Commissario Camerae Hungaricae non fecerim, ex urgenti et necessaria causa feci,

Quum enim ea Praepositura data mihi fuerit per Sacram felicissimae recordationis defunctam Imperatoriam Maiestatem, ita data fuit, ut, nulla redemptionis eius obligatione mihi imposita gravarer, sed simpliciter et gratuito. Dominus autem antecessor meus hac eiusdem Maiestatis Imperatoriae erga me clementia non considerata, haud quaquam prius memoratae Praepositurae reddidit mihi possessionem, quam illi pro eiusdem Praepositurae restitutione deponerem talleros quingentos, et pro seminatura quadam mediocri octuaginta. Hacque utraque summa illi satis quidem difficulter, quod indigna erat, persoluta, sic tandem ea sum potitus, plurimis interim et damnis et iniuriis affectus.

•Nunc, Illustres et Magnifici domini, postquam ea mihi quoque pari ratione sit cedendum, aequum est, ut memorata pecunia mihi similiter reponatur; quum et seminaturam in Turocz reliquerim centum tallerorum ampliorem multo, quam acceperim, et inventarium dimiserim plurium et agrorum et aliarum rerum commodis adauctum. Nimirum Sellye oppidi, pagorumque Pered, Kyralfalwa, et Hozzufalwa, non sine magnis sumptibus, de manu et potestate eorundem subditorum, in quos per quondam Praepositum Urielem Martiny alienata fuerant, iuribus liberatis.

Supplicaturus itaque Serenissimimo Archiduci, Domino nostro clementissimo, pro hac pecunia indignissime a me extorta, ut priusquam eandem Praeposituram remitterem, reponeretur et restitueretur mihi, quod omnis aequitas postulat, dimiseram ibidem apud arcem Znyo hominem meum cum uno Canonico Strigoniensi. Qui quum iam ego id a Serenitate Sua obtinuissem, pro quo nunc etiam, ut pro re iustissima

supplico; advocato eius Comitatus Vicecomite et aliquot nobilibus, fecissent meam Sacris Suis Maiestatibus autentice omnium resignationem. In quo quam multum peccaverim, non video. Si autem confisus de clementia et benignitate Suae Serenitatis, rem nonnihil distulerim; certe inobedientiam, rebellionem, aut gravius quodpiam aliud crimen non commisi; ut meruerim per vim et iniuriam ea excludi, quo mihi offunderetur nota aliqua, minime demeritis meis promerita.

Sed quia hoc iam commissum est et perpetratum, Deus iis parcat, qui me sic gravandum curaverunt. Jam cur illic homo meus, et Capituli mei Canonicus ad praebendum testimonium resignationi moram trahere debeant, non est causa. Jubebo itaque illis, ut redeant; inventarium vero rerum Amplitudini dominationum Vestrarum mitto, Praeposituramque eandem Maiestatibus Suis resigno, et possessioni illius renuncio; Easdem petens et obsecrans, non graventur apud Serenitatem Suam intercedere, ut ea pecunia, quae mihi ab antecessore meo extorta est indebito modo, restituatur quam primum, quum ipse etiam prius non assignavit Praeposituram mihi, quam praesentem in manu praefatam habuit pecuniam. Quod Illustrium et Magnificarum dominationum Vestrarum erga me officium ac benevolentiam, ut omni mea observantia promerear, contendam omni studio.

Exhibita X. Decembris 1570. in Nova Civitate.

XXXII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Archiepiscopo Strigoniensi.

570. dec. 26. Maximilianus secundus etc. Reverendissime in Christo pater, devote fidelis sincere dilecte. Redditae sunt nobis Devotionis tuae litterae sexto die vertentis mensis Decembris datae. Ex iis res novas, de quibus Devotio tua nos certiores fecit, pergrato et benigno animo intelleximus, eiusdemque Devotionis tuae ad nos scribendi curam atque diligentiam plurimum probamus.

Quod autem Devotio tua iisdem litteris nobis reverenter significavit, Georgium Giczy Capitaneum suum versus castellum ad Strigonium in sinistra parte Danubii situm, excursionem fecisse, atque hostes ad arma concitasse : non potuit non ea res animum nostrum graviter profecto offendere; cum Devotio tua non ignoret, quanti nostra intersit, adversus induciarum pacta et conditiones nihil hostile a nostris militibus geri atque committi. Statuimus itaque in praefatum dominationis tuae Capitaneum, ut pacis et quietis turbatorem atque violatorem (quemadmodum iam ea de re ad Turcarum Principem scripsimus) severe omnino animadvertere. Devotionem vero tuam plane hortamur, ac firmiter requirimus, subditos suos summo studio et cura a vi, iniuria, omnique agrorum depopulatione coherceat. Nam si ii spreta mandati

nostri authoritate ab hostili invasione aut depraedatione non sibi caverint atque abstinuerint, eos et capitis et fortunarum omnium poena, ut ceteris sint exemplo atque documento, mulctare decrevimus. Id quod ad Devotionis tuae litteras rescribendum esse duximus. Quod reliquum est, gratiam nostram Caesaream Devotioni tuae benigne deferimus. Dunkenspigel XXVI. die Decembris anno LXX.

XXXIII.

Sághy Imrének Verancsics Antal.

Ad Emericum Saghy.

Joannem Andreffy cum vestris commendatitiis 1571.jan. 6.
profectum iam fuisse ad Wereskew, bene factum est. Nec diffidimus cum effectu rediturum. Quod mandatum quoque ad Sellienses sollicitastis adeo diligenter, obtentumque curastis mitti Wywarium, rem nobis valde gratam perfecistis. Et quia nonnulli vident, Turcas post tantas praxes et minas conticuisse, dicuntque non opus esse ad novum delectum cuiuspiam peditatus sumptibus : amice illi quidam agunt parsuri nostrae pecuniae; sed quum ea nunc vigent tempora, a quibus nonnisi glacies et frigora nobis sint metuenda, possintque una nocte post praesentem aeris temperiem tale frigus ingruere, ut de improviso etiam Danubius congeletur, nedum Nitrius, et reliquae nostrae aquae. Ideo oportet, ut vel per hos duos proxi-

mos menses, Januarium et Februarium, providentia sumptusque et tutela arci Wywariensi non desit. Curetis itaque cum nostro Andreffy, ut mox et omnino iam decreti ducenti pedites conscribantur, et cum suo timpano ac vexillo, quod nudius tertius ad vos misimus, Wywarium deducantur. Non defuturus maiori etiam numero, si pericula postulaverint. Quum non ignoremus, Regno nos et Caesareae Maiestati inservire, quum de salute, et de conservatione Wywariensis arcis solliciti simus, neque opibus nostris parcimus.

Egregio Andreae Zazy habemus gratias, quod litteris suis tam abunde de casu et negotio Thelegdini ac Garhay nos edocuerit, spemque etiam sit pollicitus, casum eorum non adeo esse desperatum, ut non debeant sperare meliora.

De profectione Vestra in Zaladiensem Comitatum nulla difficultate laborabitis; et eo etiam facilius illuc proficisci poteritis, quum nos quoque eotunc erimus Deo volente Posonii. Usones autem, (uti iam antea scripsimus) non mittantur huc, sed salsentur, et in suis vasculis bene ad usum domus conserventur. Et bene valete Ex Nova Civitate 6. Januarii 1571.

XXXIV.

Andreffy Jánosnak Veranesics Antal.

Ad Joannem Andreffy.

Litteras tuas, quibus me de pluribus rebus admones, accepi, et habui sane gratissimas. Sed nollem te adeo esse credulum, ut ad eorum sermones tam constanter attenderes, qui et suis rebus non admodum providenter consulunt, et alienas diiudicant, censent et naso suspendunt; utrumque maiore licentia ac fastu usurpantes, quam iudicio ac ratione, tamquam eis omnia et licerent et expedirent suo arbitratu. Cum Michaele itaque Protonotario ego quidem certe multa sum loquutus, sed rem de suo sallario ne verbo uno attigi. Nec quicquam adhuc cum eo conclusi. quod non posset revocari. Et si cupis plura; nec plura nec alia cum eo contuli, quam tecum. Caveas igitur ab huiusmodi curiosis, qui loquuntur tecum de his; non ut Appolineo spiritu archana mea cognovissent, sed multa se scire fingunt, ut ex te, quem sciunt meum esse intimum, aliquid delibent et expiscentur. 1571. jan. 6.

Ubi autem facultatum tenuitatem et arrogantiam illi opponunt; alterum cum multis hoc aerumnosissimo saeculo habet commune, alterum illi nunquam ad hoc tempus impingi audivi nisi nunc, quum iam et fortuna videtur illi velle favere, et virtus commoda honoresque cumulare. Quare vide invidiae aculeos modosque mortales affligendi, ubi quis virtutum alis tollitur ad

aethera, et e plebe transfertur ad illustres. Ceterum si penitiora quoque quaeris cognoscere, malo in praesenti rerum mearum statu tenuibus simplicitatem et sinceritatem meam cum bonis meis committere, ut tibi et memorato Michaeli, quam iis qui insanis opibus praeturgidi, et opinione magnorum provisorum diuturniore dominatu sibi comparata tanti semetipsos faciant, tantumque sibi tribuunt, ut iam pudeat eos muneris sui, nisi a dominis revereantur et deferatur eis. Habes itaque de tenuitate facultatum. De arrogantia non semper homines recte iudicant, qui alienis commodis excellentiorique fortunae adversentur. solentque hoc genere malignitatis etiam in eos extendere, qui in huiusmodi viros derivant expenduntque sua beneficia. Quod omnino ita esse, sine omni difficultate cognosces, si sagacius tecum expendes, quam mihi bene velint ii, qui talia de re ac de rebus meis commentantur. Sed ne te teneam frivolis his diutius. operae pretium est, ut postquam et vitam et mores meos vel iam inde ab unguiculis prope tuis cernis et experiris; da operam, ut perdiscas, quaenam isti quoque, qui tam facile et incogitanter, ne dicam infantiliter, dicunt de aliis, exerceant in palaestra; quibus virtutibus sacrificant, et quam praeclaris laudibus vulgo efferantur. Sic demum statue, quid tibi et de meis actionibus, et de similium sermonibus sentiendum ac credendum erit. Nec de his ulterius; quum indigni sint, de quorum ineptiis haec etiam effuderim. Mali enim omnino omnes sunt, qui a nobis inoffensi tam nos duriter offendunt, et conantur perturbare, nostrisque et honoribus adversari, et in rempublicam tot tamque illustrium meritorum nostrorum nominibus propensissime insidiari contendunt.

Quod vero de decimis scribis; ita debere fieri, si dominis etiam terrestribus non cogeremur aliquid earum impartiri. Quicquid itaque concedendum fuit nunc dominis Fuccheris, id postea etiam fuisset concedendum. Quia ad pretia decimarum, silvarum etiam suarum copiam nobis faciunt, quibus omnes nostros ignes domesticos per integrum annum fovere consuevimus. Quum autem frumentis quoque ac vinis nostris non est defutura venditio, quae iam mihi proposita est a praefecto annonae publicae; haec venditio dimidiae partis decimae arcis Wereskew nullam nobis iacturam afferet; praesertim quod eius pretium ad arcis nostrae Wywariensis commoda conservationemque exponetur, tam opportuno tempore, quo maiori nunc custodia eget.

Perge igitur ut missus es, et mecum sentias, ceteros relinque suis geniis et suis humoribus. Amboque ita rebus nostris nobisque vivamus, ut alienis intemperiis minime distrahamur. Officialis et clavigeri domus nostrae Tirnavinensis, quum rediero, curam geram, nec fraudabuntur servitute sua. Vale. Ex Nova Civitate Austriae 6. Januarii 1571.

XXXV.

Liszty János veszprémi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Vesprimiensem.

1571. jan. 6. Binas litteras proximas Reverendissimae dominationis Vestrae accepi, quarum alterae datae erant ad me, alterae ad Reverendissimum dominum Zagrabiensem, communem et charissimum fratrem nostrum. Quas ut quam citissime accipiat, curabo diligenter, precatusque Reverendissimae dominationi Vestrae novum hunc annum felicissimum, et sequentes omnes. quibus est vitae solatio fruitura; gratulor Eidem, quod et convaluerit a tam incommoda gravique aegritudine, et nos ac omnes suos reviserit. Faxit Altissimus, ut Ei succedant omnia ex sententia, sicque etiam familiaribus rebus suis prospiciat, ut periculum non adeant, et sint Ei salvae. Quandoquidem etsi non admodum aliena curem, ac videar curiosior; audita tamen fama de funeribus ex eius domo elatis per proximam pestem Viennensem, omnino cogitavi mecum, an quid rebus suis periculi immineret. Quarum certe etiam diligentiorem curam gessissem, si quae pars earum mihi fuisset commendata. Verum postquam et res ipsae incolumes permanserunt, et Ipsa etiam supervenerit, Eidem de utroque gratulor similiter, meque Illi ad omnia commoda sua offero.

Ubi vero Sacra Imperatoria Maiestas non est dignata mecum clementer communicare eiusmodi sua

secreta, quae mihi per eandem Reverendissimam dominationem Vestram describi voluit, si coram referre nequisset : habeo Sacrae Suae Maiestati omnes maximas gratias, quas fidelitas mea potest, et subiectio debet, enitarque omni studio, ut et in his, et in omnibus aliis clementissimae suae voluntati mandatisque accomodem; Deum precatus interim, ut et Suam Imperatoriam Maiestatem ex Imperio, et Serenissimos dominos liberos suos salvos atque incolumes ex Hispaniis ad nos reducat. A Vestra quoque Reverendissima dominatione accepi optimo animo, quod me de hac Suae Imperatoriae Maiestatis voluntate tam et celeriter et abunde edocere non praetermiserit. Quoniam vero mox a discessu Serenissimi domini Archiducis ego quoque discedam hinc, maturaboque Posonium, ubi et coram cum Ea plura conferam, et rescribam Suae Maiestati, ne desideretur subiectionis meae officium; certus omnino, Eandem ante expectatas nuptias Posonio non discessuram. Et felicissime una cum Reverendissimo domino Waradiensi fratre nostro valeat. Ex Nova Civitate Austriae 6. Januarii anno Domini 1571.

XXXVI.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Zagrabiensem.

1571. jan. 11. Verum est, diu iam mutuas inter nos non commeasse litteras; et sicut Reverendissimae dominationis Vestrae cessationi ab hoc officio causae non defuerunt, ita certe nec illae fuerent obscurae, quae me ab eodem officio evocarunt. Jam enim febres et excursiones Turcicae vexaverunt me catarrho, podagraque; iam totius Archiepiscopatus mei, Wywariensisque confinii constituendi statum cura sollicitudoque exercuit. Et sic, ut video, eas ambo sortiti sumus provincias, quae nobis, etsi non postremarum dignitatum titulos honoresque attulerunt, eas tamen etiam occupationes laboresque cumularunt, quibus totos fere nos incumbere oporteat, deesseque non solum amicis nostris, sed etiam nobis ipsis, nisi vellemus muneribus nostris operam dare negligentius, et dumtaxat ea curare, quibus vita ducitur iucundior, laetae sodalitates excoluntur, et genio propensius indulgetur. Sed quum haec a nobis et instituta et studia procul absint, qui nonnisi Reipublicae et natura et Divina providentia nati simus, eius certe commodis, ut praecipue attendamus, sepositis interdum officiis, quae et amicis et propinguis debeamus, decet nos quam maxime. Idque eo etiam potissimum, quod et fortuna nos his locis, his magistratibus praeesse voluit, quae sane providentialia

sunt, et ex quibus totius Regni quies, otium, salusque dependet. Ut itaque Reverendissimae dominationis Vestrae silentii excusationem facile accipio, ita de meo veniam peto, et aeque excusari cupio. Respondeoque ad binas suas, nimis sane iam veteres, quarum alteras mense Septembri, alteras Novembri datas.

Ubi igitur primis me edocet, quanam messis ac vindemiae proximae ubertate gaudeat et gloriari possit, non existimo de illa esse conquerendum, ubi mediocris et tolerabilis contigit. Apud nos aquarum omnium inundationes, coelorumque intemperies adeo magna et messi, et vindemiae nostrae passim ubique attulerunt detrimenta, ut nec frumenta, nec vina ad legitimam maturitatem pervenerunt. Neque expostularemus de copia, quae pluribus in locis multo provenit amplior, quam sperabatur. Sed et vina, ut omphacium, ubiqae habemus acida, et frumenta ita imbecilla, ut eorum vix grana agnoscantur; avenae nulla fere habent.

Turcae, quos habemus finitimos, molesti nobis esse non desistunt. Ad arcem Fonood in lacu Blathone sitam, in ipsis ferme portis castellum erexerunt, pedicas ei oppposituri. Quod tali praesidio instruxerunt, cui Valentini Magiar vires non sufficiunt. Et nisi maiore milite armabitur, metuendum maxime est, ne eo lacu congelato, arx illa adeat periculum, et omnes eius regionis partes reliquae simul cum Zaladiensi Comitatu in extremum discrimen adducantur.

Arci quoque nostrae Wywariensi tetenderant insidias, spe et expectatione glacierum. Captivos enim nostros igneis instrumentis atque artificiis instruxerant, cum eisque concluserant, ut ubi primum amnis Nitrius, q̄ui arcem illam circumfluit, stratus fuisset

glaciebus, uno tempore et captivi occultos ignes per stramineas domos indidissent, ei ipsi Turcae maiore numero tum virorum tum scalarum copia impetum in eam fecissent; sperantes fore, ut et forinsecus valido milite pressa, et intrinsecus late hausta ignibus, in eorum veniat potestatem. Nec fefelisset eos meditatum stratagema, si cautius in archano pressisent illud. Verum quia Deus fortasse, ut misericordiarum pater, qui castigat filios, non interficit, miseratus nos et afflictiones nostras, ne et hac umbra Strigonii, non omnino inani et posthabenda, spoliemur, res ad cuiusdam exploratoris nostri aures pervenit. Hic ad praefectum nostrum detulit, qui tandem captivis omnibus quaestioni subditis, tortisque, non mediocriter comperit confessione omnium, quod erant patraturi. Ego vero subito casui, subitis remediis occursurus, citra omnem moram novis subsidiis militaribus auxi illud praesidium, captivos ad unicum arce exegi, transitum publicum per eam omnino interdixi, vetuique edicto maximo, ne in ea ulli externorum concursus vel conventus fiant, foraque hebdomadalia nonnisi foris celebrentur; arx ipsa reverentius habeatur, et industrius etiam conservetur, nemine in eam admisso, cuius prius non delibetur cognitio. Hae sunt itaque curae, hae sollicitudines, quae me sibi interdum vendicant, avocantque ab amicis.

Nec ita multo ante iactura quoque milites nostros affecerunt. Sexaginta circiter emissi fuerant ex nostris praesidiariis, ut latrones quosdam conquirerent, quorum causa non solum quies illarum partium turbata fuit, sed nec mercatores ultro citroque tuto commeare poterant. Forte fortuna accidit, ut iidem nostri late per eam plagam ad Strigonium

ferme usque evagati, quum coepissent reverti, ita circumventi sunt ab hostibus, ut pugnando Wywarium dimidiatim redierint; et nisi sumissae fuissent illis tempestive suppetiae, fortunatissimus ille extitisset, qui incolumis evasisset. Triginta itaque tribus captis, duobus caesis, reliqui utcunque vulneribus plurimis acceptis salvati sunt. Sic nostri maiore quidem animo, et viribus quisque suis multo maioribus, quam iudicio, disciplina, industriaque ac peritia militari praediti, consumuntur. Repositis tamen militibus, qui desiderati fuere, et ego novis rationibus ei arci retinendae consului, et Caesarea Maiestas ab ultroneis excursionibus ita eos repressit, ut quicunque imposterum suo motu lacessiverint hostes, et in praedam eorum inciderint, nullius talium iuvatura est subsidio redemptionem. Et in hunc modum res nunc nobis est cum finitimis.

De eorum ac nostra classe, et de Cypro insula, nescio quid revera scribam. Verum illud solum creditur ab omnibus, Turcas municipium Nicossiam obtinuisse, tentasse quoque etiam Famagustam, sed non feliciter. Eam tamen eius partem insulae, quae est ad ortum ab eadem Nicossia, libere illos possidere, et adepta premere, ac in insequentem annum multo maiora sibi in ea praesidia apparare. Nostra classis exhausta viris nauticis, supra omnem stuporem non bello, sed variis aegritudinibus insularum Corcyrae, Cretaeque, et quarundam aliarum in eo tractu maris existentium statione continetur, et hyberna agit. Non sine et pudore suo maximo, et publico convitio, vituperioque Joannis Andreae Aurii, qui ex ipsa acie, quam struxerant, ut congrederentur cum hostili, in altum versis proris et velis subduxerat sese, et a provincia recesserat. Atque haec omnia utcunque conti-

gerunt, maximo reipublicae Christianae periculo, mirum tamen illud est, quod tantis viris, qui huic bello praefecti fuerant, omnes mortales impingunt, quod eius belli rationes legitimas nullas sciverint constituere. Unde non in Cypro Christianitas detrimentum accepit, sed in existimatione. Quid enim aliud Turca verebatur, quam Christianorum maritimas vires. At superioribus annis toties iam terrestribus perpalpatis. et plane cognitis, iam perspectis et maritimis adeo inbecillibus, et male concordibus, quid imposterum non audebit, quos non assumet spiritus, quae non attollet cornua? Atque utinam falsus sim vates. Sed si Veneti mature non accurrent ad tutelam Dalmatiae, a Venetiis excludentur. Inde Adriatico mari subiugato, Italiae litora, tam supero, quam infero mari, pyraticam luem patientur.

Summus Pontifex, Sanctissimus Pater omnium, praevidet ista, petit, urget et sollicitat Christianorum Principum confoederationem et syncretismum. Quantum vero et necessitas publica illam exigat atque efflagitat, heu dolor, heu improbitas multorum, qui non solum ad hanc tanti Summi Pontificis pietatem non moventur, sed totam Christianitatis rempublicam destitutam, relictamque in discrimine, de summo duce, et quinam post eum secundo loco rebus praeerunt, disputant, plurisque multo praecedentiae suae splendorem et praerogativam faciunt, quam salutem publicam. Cui nisi mox Januario, Februario, Martioque et Aprili mensibus exactis succurrerint, vereor, frater, ne ut olim, dum consultabat Roma, expugnatum est Saguntum; ita et nostri Christiani, dum praecedentias, vento sane inaniores, urgent et consectantur, amittant et Tyrrhennum, et Adriaticum mare. Sed haec obiter,

ne nihil scripsissem. Sciens huiusmodi Reverendissimae dominationi Vestrae longe esse notiora, quam oportuisset me prolixiore disserere oratione.

De Principibus nostris hoc est. Maiestas Caesarea expeditis duabus filiabus ad suos coniuges, alteram in Hispanias, alteram in Gallias, Comitiisque Imperialibus feliciter absolutis, Nurimbergae festa natalitia exegit, intra quadriduum Pragae expectatur. Carolus Archidux Consiliariis Caesariis mox a kalendis Jani Pragam, Caesare sic iubente, expeditis, VIII. huius Gracium concessit, nuptias suas, uti dicunt, curaturus. Sic ego quoque solutus impraesentia curis curiae, ad domesticas, finitimas, et Ecclesiae meae revertor, non sine gravi catarrho et podagrae doloribus.

De reditu Caesareae Maiestatis in Austriam omnino nulla consequebatur dilatio, si pestis Viennensis suspicio non intercedebat. Sed quia iam profugi redeunt in eam civitatem, et sine ullo metu eius morbi una conversantur, miscentque commercia civica, reditus quoque Maiestatis Caesareae ad primum ver certo nobis pollicetur.

Quod vero res Catholicae religionis in popularibus istis Slavoniae nostrae non desideratur, et mihi magnopere laetor, et Reverendissimae dominationi Vestrae plurimum gratulor. Magnates, si qui sunt, qui in ea claudicent, hoc incommodo nos hic aeque laboramus. Et tametsi populares quoque nostri deviarunt post hanc insaniam, malum tamen ipsum cumulatius augetur. Qui magnates nacti occasionem eius generis flagitii sectarum, quique in suis ditionibus factiones sibi arripiunt, et suae quum ambitioni, tum etiam avaritiae vias patefaciunt. Unde soluti in licen-

tiam ecclesias spoliandi, iam nihil sancti, nihil quod Deo dicatum esse putent, habent, et miscere profana sacris nulli dant sceleri, nulla inhibentur conscientia, nulla Divinorum reverentia, nulla demum indignatione Dei absterrentur. Hincque est, quod Christianos iam oblitos suae fidei, tot flagellorum suorum cumulis commonefacit eos, ut eo redeant, unde exciderunt, et priora opera faciant. Sed ipsi obdurati in malitia et in peccatis suis, non solum in viam redire nolunt, sed etiam dolere recusant, ut emendentur; esto quod sine intermissione verberentur. Et interim bella, confoederationes, et syncretismos in Turcas movent. Qui quum revera flagellum Dei sint, eoque nos ab ipsa sua origine verberat, frangit, delet ac eorum praedae atque servituti subiicit, quid, quaeso, adhuc caecutimus? Cur iam demum non agnoscimus, frustra nos conari contra Dominum, contra quem non est in terris consilium, non vis, non ulla fortitudo? Existimarem itaque admonendos esse, qui summae rerum Christianarum praesunt, ut curam imprimis ineant de reconciliando sibi et suis populis Deo, fide Catholica in pristinum restituta, haeresibus eiectis, et in concordiam omnibus dissidentibus revocatis. Sic demum et confoederationes, et syncretismi, et bella nostra felicissime succedent nobis, quia Deus exercituum pugnabit pro nobis, et flagella sua a nobis removebit. Aliter non spero finem malorum nostrorum fore.

Erat etiam quod scriberem de nostri Thelegdini gravissimo casu, ob quoddam privilegium in proximis Judiciis publice exhibitum, cui falsitates quaedam sunt oppositae. Verseturque etiam nunc in maximo periculo, ne perpetuae infidelitatis nota feriatur; nisi quid subsidii ex Judicio appellationis asse-

quetur. Sed quia is idem iam dudum istuc quoque fuerit evagatus, non loquar de illo plură. Sed profecto tantum doleo de hoc eius naufragio, ut non conquiesco, metuens, ne hominem, adeo meae Ecclesiae necessarium, amittam. Spero tamen, quod resurget; quoniam patrociniis non est destitutus. Juxta quae et ego ea facio, quaecunque possum, ne collabescat.

Restat aliquid et de Scoblicio nostro dicere; qui gravissima aegritudine omnino fractus est, nec spem video, ut in his regionibus convalescat. Putarem itaque in patriam esse revocandum, experiundumque natalis coeli ac soli beneficium, quo forte, quod saepe alias vidimus, hoc genere remedii iuvabitur, maxime quod adhuc sit iuvenis. Ei ego non desum; sed crederem, quod a consanguineis melius curaretur; quod tamen eius relinquo arbitrio. Et felicissime valeat. Ex Nova Civitate Austriae, currum conscendens Posonium versus, XI. Januarii 1571.

XXXVII.

Forgács Simonnak Verancsics Antal.

Ad Simonem Forgach Capitaneum.

Quod Magnifica dominatio Vestra et advigilat 1571. jan. 15.
summo studio conservationi arcis nostrae Wywar, et subsidia illi non gravate procurat, eaque etiam ex sese pollicetur, habemus maximas gratias. Rogamus quoque, ut vicissim Ipsa quoque secure utatur nostra

opera. Nova autem, quae perscripsit nobis, non sunt omnino a veritate aliena; sed in eo tantummodo deficiunt isti exploratores vestri, quod non nominant oppugnata et capta loca. Verum itaque est, quod insulae Cypri maiorem Turcae partem, et munitissimam eius civitatem Nicossiam vi, Cerinem vero deditione obtinuerunt; potitique in ea tormentis Venetorum magno numero, maximisque indigenarum opibus. quas eo securitatis spe comportaverant. Famagostam quoque diu tentaverunt; sed ea (uti quidam referunt) praesidiariorum suorum virtute fortissime defensa, adiuta etiam hyemis ingruentis beneficio, et hostes in hibernas sese contulerunt, et reliqua pars eiusdem insulae conservata est. Nostra autem classis defectione Joannis Andreae Aurii Genuensis, qui Philippi Regis Hispaniarum praeerat triremibus, diminuta admodum, et funeribus suorum classiariorum longe pluribus, quam 35 millium, tota fere desolata, in Eretamque subducta. quomodo eousque evaluisse potuerit, ut tantam in hostem cladem edidisset? Quod tametsi hic etiam habuerimus in rumoribus; vana tamen fuere omnia, et commenta garuli vulgi. Et quae iam publice circumferunt de his omnibus per convicium, quibus expeditionis huius cura ac ductus fuerat demandata, sane horrenda sunt, eoque etiam illis minus honorifica, quod et Joanni Andreae Aurii omnis adempta est pervicacia, et ceteris quoque successores designati.

Quid iam is annus 1571. molietur, nemo est qui non vereatur et maiora et graviora. Et quia Turca maiores apparatus propter maiores spes successuum suorum aggressus est expedire; Christiani quoque vellent id ipsum conari, sed praepediti partim mutuis odiis, quibus in invicem ardent, partim praecedentia-

rum privataeque magnitudinis suae super alios evehendae studio efascinati, nec sciunt quod vellent, nec possunt quod reipublicae expediret. Solus Summus et vere Sanctissmus Pontifex confoederationem omnium Christianorum Principum summa et rara sollicitudine urget. Quae quamquam in tractibus magnopere ferveat, in conclusione tamen maxime friget, nec sic procedit, ut eius spes magna detur. Nec de facienda confoederatione multum laboratur, quod eam omnes vellent: sed donec agitur pro cuiusque privatis opportunitatibus, decernaturque quo quisque loco contentabitur, et quis supremus dux, quis eius locumtenens erit, disputatur; vehementer timemus, ne inaniter Christianis hyems effluat; hostis vero, qui magno imperio et brevi consultatione utitur, quia semper paratus, nec precaria donatione pollet sed absoluta, mox vere novo ineunte et reliquum Cypri nobis adimat, et Creta Corcyraque potiatur. Ceterum illud quoque in nobis antiquum de Romanis renovetur, qui Saguntum diuturniore consultatione amiserunt. Utinam nos plura etiam in eo mari non amittamus, dum ambitione paucorum toti Christianitati exitium servitusque paratur. Haec de exteris.

Domestica nonnihil sequuntur mitiora. Caesarea Maiestas in Spirensi Dieta omnibus rebus suis confectis ex sententia, Serenissimis quoque duabus filiabus ad coniuges suos in Gallias et in Hispanias expeditis, iam Pragam rediit; ubi exacta praesenti hyeme, quamprimum pestis Viennae grassari desierit, ad nos quoque redibit. Huius rei causa Serenissimus etiam Archidux Carolus, demisso Pragam utroque Caesareo Consilio, Bellico nimirum et Aulico, profectus est in Stiriam. Nos vero hunc in modum soluti aulae retina-

culis, repetimus Posonium et privata negotia, quae ut iam tandem deducamus ad finem, omne studium adhibemus. Quod reliquum est, missi sunt duo nuncii, alter Budam alter Constantinopolim; brevi eodem mittentur et munera ordinaria, et curatur coepta pax. Quae utinam grave nobis non pariat bellum. Sed iam verborum satis. Magnificam dominationem Vestram felicissime valere cupimus. Viennae 15. Januarii M°D°LXXI°.

XXXVIII.

Caurino Fereneznek Veranesics Antal.

A ms. Francesco Caurino.

1571. jan. 15. Io partita la Serenita del Arciduca Carlo nostro signore clementissimo da Nova Citta nelli stati suoi, partii parimente per Posonio e Tirnavia cò un puoco di catharro e di podagra. Ma fra questo mezzo aggiongendomi qui in Vienna un tempo asprissimo, e neve da molt' anni non veduta, come qui si dice; per alcun' giorno mi fermai qui, per farmi anchora piu valoroso contro al presente freddo. Ne staro qui un punto, subito che si mitighera la detta asprezza.

Li di passati da Nuova Citta vi scrissi per la posta Cesarea; le qual mie, s' havete havute, o no, desidero sapere. Perche no' son mancato dal ufficio mio.

Madonna Laura con tutta la famiglia è pur partita da qui per costa. Laudato sia Iddio. E perche

nella mia assenza prossima no' le ho potuto sovenire de cosa alcuna; hora che mi lasciero vedere alla casa mia per qualche giorno, mettero in ordene la mesa di questo mio loggiamento di Vienna, per la felice tornata di Soa Maesta nostro signore. Et essendo per haver cura etiamdio del suo, vorrei esser informato, ovve qui douro reponer' il tutto, che serà a suo commodo. Perche adesso è il tempo, ch' io facci pesar la mano poi che hormai, quest' anno n' ha dato e di pane e di vino.

E quanto al restante, sarete contento di presentare queste mie molto humilmente a Soa Maestà, co' offerire la mia perpetua e fidelissima servitu, con diligentissimo studio e sollicitudine di tenerme continuamente in buona gratia di quella, et essermi buono e vigilante protettore. A cui pregata ogni prosperita ne quest' anno nuovo; Iddio vi conservi, e state sano. Da Vienna alli XV. genaro LXXI.

XXXIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Imperatoriam.

His diebus quum hic essem Viennae reversus ex 1571. jan. 16.
Nova Civitate, et tempus iter agendi operirer, dubia glacie Danubii, nec satis ponte eius tuto illi imminente, venit nuncius, Magnificum Franciscum Terek decessisse. Cuius quidem obitus, ut huic miserae pa-

triae accidit intempestivus et valde tristis, ita cogitavi Maiestatem Vestram de hoc eius casu quam maturrime esse edocendam; ut illi finitimo loco, qui ei non incommode traditus fuerat, de alio Praxide citra omnem dilationem constitueretur.

Sed quoniam hoc tempore et Maiestas Vestra longius a nobis abest, et Serenissimus Archidux in sua se recepit; nec video nunc apud nos virum alium, cui ea provincia commode committi posset, dum solidius de Supremo illo Capitaneo Maiestas Vestra decernere queat, quam Illustri et Magnifico domino Comiti a Salmis Ecchio, viro impigro, industrio, rei militaris studioso, et Maiestatibus Vestris ac rebus Regni sui Hungariae deditissime fidelissimo, aliis omnibus vel domi desidentibus, vel propriis muneribus occupatis, quorum in hoc negotio posset haberi ratio. Et quia fortasse nec de electione novi Supremi Capitanei potest aliquid statui extra Dietam, moraque opus esset magna ad quosdam percurrendos, transigendumque cum quoppiam ex illis; is mihi dominus Comes, qui est in promptu, et provinciam non refugiet, quoad Maiestati Vestrae libuerit, et clementer Eadem voluerit, videretur peridoneus et valde ad propositum. Arbitratusque fidei et officii mei esse paucis hoc humillimeque significare; supplico, non dedignetur clementer id a me recipere, et loco illi celeriter provideri mandare.

Post autem discessum Serenissimi Archiducis Caroli domini mei clementissimi ex Nova Civitate in Stiriam, ego quoque bimestri tempore apud eiusdem Serenitatem exacto reditum meum institui Posonium et Tyrnaviam ad curanda negotia non solum Ecclesiae, sed et Wywarii mihi incumbentia, nec adhuc omni ex parte constituta propter hanc meam aulicam

absentiam. Interim vero correptus podagra et catarrho, nec valens incoeptum iter prosequi propter subitam et fere inauditam nivium copiam, quae de insperato ingruerant, foedarantque et oppresserant vias; coactus sum hic subsistere et mitius tempus operiri, donec et viae patefierent, ac sternerentur et itinerantibus redderentur commodiores. Potitusque expectationis huius optato eventu, et podagra catarrhoque nonnihil alleviatus Posonium petam. Precatus Imperatoriae Maiestati Vestrae totique sanctae suae Domui hoc anno novo omnia prospera atque felicia: Eandem quoque quam optime et quam diutissime valere cupio. Viennae 15. Januarii 1571.

XL.

Biglia Menyhért apostoli nunciusnak Verancsics Antal.

Al Nuncio Apostolico Monsignor Melchiore Biglia etc.

Dippoi ch' io parti per Ongheria ad assettar' le cose dell arcivescovato mio, e travagliai in cio piu, che per cinque mesi, non senza veramente di molta faticha e ansieta si di corpo come dell' animo, e finalmente non ben anchora ridutto il tutto al suo diritto: fui richiamato alla corte del Serenissimo arciducca Carlo, signor mio clementissimo, e vi consumai altri dua mesi con molta servitu e molto veggiare. Hora tornata la Maesta Cesarea, mio clementissimo signore, 1571. jan. 18.

a Praga, et il Serenissimo arciducca partitosi nelli suoi stati, io anchora per queste occasioni mi retiro alla mia Chiesa; nor per goder quiete et ocio, ma per proseguire li negocii parte della religione e della mia Chiesa, parte anchora del confine commessomi, e delli suoi soldati, con mille altri intrighi, ch' hora per hora mi si fanno inante nel presente stato.

E dimorando cossi in corte, feci il debito ragguaglio alle ultime di Vostra Signoria Illustrissima, mandatemi per il secretario mio. Hora non tralasciando il solito mio ufficio, queste presente saranno prima per visitarla e pregarli dal Signor Iddio questo anno novo ogni contento e prosperita, con la vita longhissima, et apiissima d' honori largamente hormai meritati; poi per conservarmi in sua memoria e buona gratia. Le quale io tengo tanto charo, quanto un ben e singolare e raro. Ne fra molti miei contenti posso odire piu soave novella, che quando mi riferiscono, che Vostra Signoria Illustrissima m'ami. Cosa altramente ch' io non dubito; ma odir spesso quello che diletta l' huomo, par agli animi humani, che questa tale dilettatione s' augmenti e fasse maggiore. Perho io pregho quella, che mi conservi è nell' amore, e nella sua gratia.

Delle cose di qua non sò altro servirle suol, che qui la peste e alentata, e s' habita securamente. Ben ver' è, che quelli, che sonno piu accorti di guardarsi, temona anchora, ne si fidano d' ogni parte. Io mi fermai qui per un poco di catarro e di podagra, et anche per aspettare piu mite il passaggio a Posonio, di quel ch' il temporal di pochi di s' havea mostrato carico d' altissimi nevi e d' asperrimi freddi.

Il Transsilvano manda di novo il medemo am-

basciatore alla corte Cesarea. Li vicini nostri Turchi sono per alquanto senza streppito; creddo per l' invernata e per non muovere qualche novita in queste parti, fin tanto che travagliano nel mar.

La lega di principi Cristiani Soa Santita nostro signore sollicita e caccia a piu potere et oltra l' humano credere. Alla quale Signor Iddio ricompensi tutte le sue santissime operationi e sforzi, che consuma dì e notte al beneficio publico della Cristianità. Ma mene dubito assai, che, se non si trovero il vero e legittimo modello di fare e di guidar la detta lega, sarà poco profitevole, e somegliante à tutte quelle, che ne tempi delli anni miei sono state fatte. Non mentovando questa del' anno del LXX.

La quale s' in tre stati, di quali fu congiunta, non fece l' effetto alchuno, che da quella si potrà sperare, che dovrà essere di tutti. Cercassi dunque il suo modello; racconciassi la religione, faciassi commune concordia, unità e pace. E reconciliato Iddio delle communi e publichi eccessi del mondo per via della penitenza diassi alla detta lega per il suo generale, non huomo privato, ma qualche principe segnallato, generoso, Catholico e buon guerrieri. Allo quale ubidire et inclinarsi niuna condicione si vergognerà. E cussi al fine il mondo Cristiano prenda l' armi, e faccia la fronte a questo si potente nimico; sperand' in quello che disse : „Quaerite primum Regnum Dei etc." Altramente se li Cristiani faranno, e credendo che le loro forze mal congionte e peggio unite, otteneranno le desiderate vittorie, ho molta parera, che s' ingannaranno. Perch' Iddio, ch' è signore delli esserciti, e combatte esso, istesso per li soi santi, e fa, ch' uno di essi fuga mille, e duo dieci mil-

lia. Come è possibile, che noi inimici della fede Catholica, della charità fraterna, della commune concordia e della pace, che Cristo ne lasso per l' ultime e testamentali sue dispositioni, senza egli contr' il flagel suo, che sono i Turchi, potremo felicemente combattere.

E quantumque questa mia opinione, come d' huomo di Chiesa, non da guerra, para srana, e fuori delli presenti usi, costumi e creanza: Io perhò, come veramente huomo di Chiesa, e sapend' ancho di guerra forse tanto quanto dua tironi, non facilmente mi parto dal mio parere. Percio ch' essendo noi figlioli d' Iddio, e della resurezzione; per certo esso Iddio e nostro confallone, et il dover vole, che primieramente lore reconciliamo e placchiamo verso noi. Poi, che ne tutti gli apparati nostri di guerra contra ad ogni conditione d'inimici nostri si consigliamo con esso lui, s' accomodiamo a lui e diamole in summa tutte le prime parti di quanto si harà a fare. E cussi finalmente noi, com' huomini et ubedienti figliuoli procediamo nella impresa sperando la vittoria, non dal nostro potere e sapere, ma dal braccio suo. Altramente si faremo e diremo: „Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia;“ dubito assai, che si ingannaremo, e le nostre cose saranno confuse. imbecille e tarde. E cio, che sia il vero. La miglior e la maggior parte di Cipro è perduta, l' altra s' ha per perduta; Candia, Corfu, Zante; Zefalonia et altre isole, ch' vi sono in quelli mari, di che speranza sono? ogni uno lo vede. Ne di Dalmatia altro s' aspetta, che male. Dalla quale gli liti de' Italia, che li sono opposti, come staranno? E pur non si cessa dalle contese di precedenza. Ne percio agrevolmente

si puo trovare alla detta lega conveniente general. Ne che al generale si dovesse dare luogotenente et i consiglieri. Sta bene. Quest' e la vera via di ben conchiuder essa lega, e spinger insieme contro al commune inimico, che gia à tutta la Cristianita stringe la gola, e caccia la sotto il giogo suo. Dal quale Iddio ne liberi. E noi faciamo quel tanto, che la insegna della nobilissima citta di Fano, matre di huomini da bene dice : „Unanimes durate viri, victoria vestra est."

Del caso di Telegdino nostro, creddo, che Vostra Signoria Illustrissima ha gia inteso per le sue, havendoli commesso, ch' à quella scrivisse, e le suplicasse per il patrocinio. Perch' il caso essendo nella falsificatione di certo privilegio (come li s' oppone) a di nota d' infidelità, che li importa grande pericolo. Di maniera, che se il giudicio della appellatione, che si farà in foro Locumtenentis Palatinalis, non lo aggiuterà, l' honor, la vita e la morte sua sarà in mano e gratia di Soa Maesta Cesarea. Del primo suo inciampo era gia quasi venuto in buon termine, li sopragiunse questo. Hora aggravato di tutti dua, che sono capitali, vegga Vostra Signoria Illustrissima di che fatti è questo giovene, ch' è dotato di molte buone parti. Io quanto posso non li manco d' aggiuti. Ma le tanto esoso alli eretici, da onde patisse tanta tempesta, che se non li serrà porto qualche favore dalla bonta Cesarea, serà per terra. Lo raccomando dunque stritissimente a Vostra Signoria Illustrissima, la quale supplico non li manchi, ove potrà del patrocinio suo.

L' ultimo luoco sarà il negotio mio. Scrivemi Diotalevi, ch' ancho da Soa Santita nostro signore,

insieme co' l' Illustrissimo cardinal Morono, gli è stata fatta mentione, accio dovesse adimandare il pallio à nome mio per via d' un mandato, et uno avvocato concistoriale, si come Vostra Signoria Illustrissima vedra ne questa particella delle sue lettere. Priego la Vostra Illustrissima Signoria m' indrizzi con qualche formula simile à tal effetto, e formela havere quanto prima. Ne per altro ricorro a Lei, che per tenere il modo delli Archivi Apostolici, delli quali non vorrei uscire. Per tanto di nuovo la prego ch' in cio m' aggiuti. E stii felice e sana. Da Vienna alli XVIII. gennaro LXXI.

XLI.

Steckelius Anzelmnak Verancsics Antal.

Ad Anselmum Stecchelium.

1571. jan. 21. Binas litteras tuas accepi dum in Nova essem Austriae Civitate; ex illis abunde intellexi, in quas aerumnas incidisses. Dolui admodum de tuo casu. Nec tamen video remedium, quo tibi succurri a quoquam possit, nisi si a gratia et indulgentia Sacrae Imperatoriae Maiestatis domini nostri clementissimi. Hoc tantum de tua re praesenti intellexi, nec penitiora assequor. Curandum itaque tibi est summo studio, ut expurges efficaciter quaecumque de te ad Maiestatem Suam delata sunt. Ego cum aliis, quos in amicis habes, non deero patrocinari tibi; dummodo sic obiecta

tibi diluas, ut patrocinia amicorum non reiiciantur, si forte succubueris in tua causa.

Quantopere autem decori Imperatoriae Maiestatis domini nostri clementissimi deliqueris, usus intempestivioribus amoribus Constantinopoli, fungens loco, et munere demortui Oratoris Alberti ex gratia Eiusdem Maiestatis; nollem nunc attingere, ne afflictum tanto naufragio iniucunda commemoratione agniti criminis magis affligerem. Parco enim tibi; sed profecto victus tantis cupidinibus in tanto, tamque digno atque honorifico munere, non parum a prudentia recesseras, cuius omnino observantior esse debueras. Nec ad id exempla priorum Oratorum tibi defuerant; qui quidem ita sese castraverunt continentia, ut vel Francisci Zay, Augerii a Busbeche et Antonii Verantii legatione, quam apud Solimanum una cum famulicio nobilissimorum iuvenum ac virorum ferme nonaginta in quinquennium castissime extraxerant. Idque sic, ut et Turcae magnopere mirarentur, et de nullo tanti sodalicii vel minima habita sit suspicio, nimirum, quod quispiam ex eis in hunc excessum fuisset lapsus.

Nec defuerant illis quoque janizerum officia, qui uberrime ex sese modo huic, modo illi lenocinia sua oferebant. Sed adeo omnium erant animi cum Oratoribus in conservanda dignitate, et Maiestate suorum Principum, ut nihil minus cogitarent, quam quae ad huiusmodi illecebras pertinerent. Recusabantque omnino his officiis uti janizerum. Tu an isthaec tecum fueris meditatus, et perfeceris ne, quod exemplo didiceras, nescio. Nec meum est, alienarum actionum sine authoritate maiorum mihi concessa, censorem agere. Ea tamen, quae de tuis referuntur, ne mihi quoque, si vera sunt, probantur. Vera esse autem quis dubi-

tabit, ultro te fatente, et iuveniles ignes accusante. Quod te vel imprimis, et maxime accusat, quia quum iam ex ephoebis diu excessisti, agnoscere debueras, quid in te honoris authoritatisque oratoriae dignatio Imperialis Maiestatis contulerat, dum Legatus designatus appulisses. Nec interim alia egisses, quam quae conveniebant muneri tuo; habita sedulo ratione, hinc decoris Imperatorii, inde tuae existimationis. Non ignarus, quod magistratus ostendat virum, quodque virtus non in calamo, nec in ore, sed in actione consistat. Quod tu egregie de te praestare poteras, in tantum a tanto Imperatore evectus gradum, si carni non acquievisses, neque Imperatoriae Maiestatis gratia usus fuisses tam familiariter. Haec ad ternas tuas rescripsi tibi, confidentius tuo beneficio, ut vel nunc tandem colligas te, et famae tuae magis spectatae consulas, sisque ita frugi, ut eruditio tua exigit, et multi cupiunt, qui te amant.

De pecuniae mutuo, quod a me postulas, nunc tibi nequeo subvenire; proxime enim mea apud Serenissimum dominum Archiducem Carolum residentia exhaustus aere maximo. Nunc vero hic Viennae interclusus hyemis saevitia et nivium insana prope magnitudine, adeo ipse etiam deficio; ut nisi me ex hac urbe mature proripuero, hiisdem indigebo mutuis, quum ex domo nihil prorsus mihi ob iniuriam temporis submitti possit. Habeas itaque me excusatum, et bene vale. Ex hospitio Viennensi 21. Januarii 1571.

XLII.

Podosius Lukács lengyel követnek.

Ad Lucam Podosium Poloniae Legatum.

De pace Transsylvanica, quomodo facta sit, quibusnam demum rationibus transacta et confirmata fuerit, ego sane nec adhuc scio; nec quisquam amicorum meorum inventus est, qui eam ad me sic descripsiset, ut non cum plurimis de eius veris rationibus variaret. Quo fit, ut aut omnino nondum coaluerit, aut in archano Principum suppressa detinetur, ne ad hostes eius notitia evagetur. Quod potius puto, esse in causa, quam quod dixi initio. 1571. jan. 21.

Quantum itaque ab aliis de ea intellexerim, Reverenda dominatio Vestra videt. Et quia eam eius transactio latere nequiverit, nemo omnium est, a quo certiora de eius statu queam cognoscere, quam a Vestra Reverendissima dominatione, si tamen id ei liceat, per oratoria sacramenta; nihil exigens, quod ei non liceret.

De Comitiis Spirensibus multa ad nos, et ea optima perferuntur, sed tunc clarius constabunt omnia, quum res eius ad effectum accomodari incipient. Nam polliceri, describi, promulgari saepe multa audivimus; exequutiones omnes plerumque semper in difficultates cessisse vidimus; nec Reipublicae Christianae opitulatum est necessario atque opportuno tempore. Quod utinam nunc quoque non experiatur, adeo mari peri-

clitans, cuius dominium si Turca sibi vendicabit, ad quod videtur sibi magnum aditum patefecisse Cypri victoria, Italiae utrumque latus, reliquis Tyrrheni maris insulis, et in Adriatico Dalmatia sine negotio expugnatis, securissime infestabit, ne dicam. obsidebit. Sed haec quum sint maiorum curae, nos Divinam Maiestatem oremus, ut Principes Christianos uniat, et det illis consilium, ut et agnoscant ista publica pericula, et unanimi concordia, hiisdemque viribus, Deo imprimis reconciliato, conentur propulsare.

De sponsalibus Serenissimorum Regum Galliae et Hispaniae felicissime omnia successisse, et iam cum coniugibus suis esse una, dudum intelleximus. Et plurimum omnes Maiestati Caesareae gratulamur, quod ei omnis in hoc providentia conatusque successerit ex sententia. Vota quoque universi Deo nuncupamus, ut hae nuptiae toti Reipublicae Christianae cedant faustae et felices. Curentur iam Carolianae, qui Princeps sane dignissimus est, ut et connubio iam iungatur exoptato, et crescat non solum in liberorum procreatione, sed etiam in honorum, dominiorumque amplitudine. Cui quidem tot et tantae dotes insitae sunt a Deo, ut iam altissimos apices mereatur.

Maiestas vero Imperialis concesserit in Moraviam, et ibi in aliqua civitatum Viennensis pestilentiae exitum expectabit. Existimarem, futurum commodo et dominis Oratoribus curiam sequentibus et nostratibus, negotiorum curis oneratis, quod in limitibus haberent Principem. Verum ipsi Maiestati Caesareae quam commode cederet, non video; quum omnia illi in Bohemia suppeterent uberius, ut id opimo Regno. Utcunque tamen Maiestas Eius statuet, id omnes approbare et sequi oportebit. Ego tamen, quod ingenue

afteor, vellem Maiestatem Eius, non in Moravia, sed iam hic vobiscum esse, ut et Maiestatem Eius, dominum nimirum nostrum clementissimum, iam aliquando cernere, et adire possemus, renovaremusque cum amicis nostris consuetudinem. Id quod, quandocunque mihi dabitur, ita potissimum in Reverendissimae dominationis Vestrae offundam me complexus, ut intelliget, me inpatientissime tanti amici tulisse expectationem.

Venio iam ad Fabium, cuius restitutionem in gratiam Caesareae Maiestatis quantum cupiam, credo, me a nemine vinci. Et Reverendissima dominatio Vestra testis est mihi optimus, quae plane cognovit, quanto studio et scripseram anno superiore Maiestati Eius, et egeram pro eadem restitutione ipsius. Quodsi penitiora etiam animi mei erga illum requirit, illud semper inveniet, me non secus affectum esse illi, quam singulari amico, et unico fratri. Sed nos, qui sumus apud Principes nostros summo loco, bene quoque sciamus, quonam usque cogere eos honesteque possimus, ut vel delinquentibus sibi gratias suas impartiantur, vel benemerentibus benefici sint fidelitatis nostrae merito. Novit hoc et Reverendissima dominatio Vestra tam bene, quam ego. Ideo si ulterius Maiestatem Caesaream non ursi, rei huius causa haec fuit, quod Maiestas Eius, quum super hoc rescripsit mihi, non omnino obscure, sed ad intellectum, satis aperte innuit, ut huic intercessioni cederem. Hic ego haesi, doluique admodum, quod amico et bono viro suppetias ferre fueram prohibitus. Et eousque silui, quod iam ad eius plures, quam duodenas litteras unicum non feci responsum. Tanti est apud me studium, quo caveo, ne peccem Caesari, et illi sic meam fidem

accomodem, ut illa ne vel minimis excessibus sugilletur. Ubi tamen maiorum patronorum subsidio subnixus glaciem perfregerit, mea quoque illi subsidia nec intempestiva erunt, nec postrema. Quia nisi Principum beneficio summam malorum suorum sustulerit; nos, qui secundae, vel tertiae, vel etiam vix quartae classis sumus, tanti non erimus, ut tantum Caesarem in voluntatem nostram pertrahamus. Interim tamen Reverendissima dominatio Vestra non desit bono viro, etiam suo motu. Ego nonnisi tunc operam illi navare potero, quum Maiestate Caesarea aliunde complacata, ansa mihi dicendi porrigetur. Atque haec de Fabio.

De Gallicae pacis conditionibus accepi scriptum; quod Reverendissimae dominationis Vestrae officium venit mihi summe gratum. Sed utinam et pacem cum subditis suis Rex ille bonus honestiorem fuisset sortitus, et desineret vel nunc demum foedus cum Turca prosequi, quum universalis Principum Christianorum urgetur confoederatio, bellumque in Turcam expeditur. Sed quia et hic nodus unus erit, qui confoederationi oberit; est, quod dolere debeat Christianitas. Pergamus tamen, ut pergimus; postquam necesse sit, ut quae de postremis mundi temporibus praedicata sint, omnia compleantur. Et interim nemo sapiat, ut irae Dei occurratur.

Haec ad Reverendissimae dominationis Vestrae litteras, quas ad me adhuc Septembri mense dedit, verbosius rescripsi, ut tarditatem respondendi prolixitate compensarem. Cur autem tamdiu siluerim, et cessarim ab officio, essent mihi quidem in promptu legittimae excusationes, sed hiis non utor. Et malo petere veniam, quam pro aequitate disputare. Sunt tamen impedimenta plurima et maxima, quae inhibent

senes ab officio. Nimirum, quum distracti negotiis et laboribus tum novis pressi, tum veteribus fatigati, non adeo consueverunt esse expediti ad tot litterarum rescriptiones, quibus quotidie obruuntur. Excuset itaque senectutem meam, neque contemnat inbecillitatem. Miserataque etiam labores, sollicitudines, et vigilias, quas hic mihi Archiépiscopatus attulit. Felicissime valeat, et me omnibus amplissimis dominis Oratoribus diligentissime commendet. Viennae 21. Januarii 1571.

XLIII.

Vikáriusának Mindszenty Endrének Verancsics Antal.

Ad Andream Myndzentinum Vicarium suum.

Magno cum dolore intelleximus controversiam Stephani Gywlay et Petri Dombrini. Quae quum non minus pudoris offudit nostro ordini, quam ea, quae incidit nobis proximis publicis Comitiis, conquiescere minime possumus, quin nos etiam cognoscamus, quomodo ii duo homines sine judicio et prudentia ineptiverint apud cives magno omnium nostrum rubore et ignominia. Propterea quum et sacri canones, et doctrina Divi Pauli Apostoli prohibet clericos et Ecclesiae Dei ministros in foro saeculari litigare : omnino decrevimus id temeritatis censura nostra examinare. Stante alioqui sententia in eos arbitrum, in quos compromiserant. Et hoc propterea, ut is ex eis poenam

1571. jan. 26.

luat, qui revera deprehendetur culpabilis. Mature enim occurrendum est licentiae quorundam, qui sic tumultuari inter vos citra judicium inconsideratius incipiunt. Vobis itaque non sit grave, in hoc nobiscum sentire.

Ceterum quid rescripserimus Telegdino ad quasdam eius litteras, ex hac inclusa copia cognoscetis. Neque ea cum ullo mortalium communicetis, sed apud vos tantum supprimatis. Habita in his nostra voluntate.

Res Custodis defuncti, qui dissiparunt, cognoscite, et curetis reddi. Similem de proventibus Praepositurae anni 1570., qui ex pertinentiis Sancti Benedicti provenerunt, nollemus per Capitulum attingi; quum nos, qui nunc eandem obtinemus, sumptuum Capituli causa non fuerimus. Dabitis itaque operam, ne vobis aliena culpa subducantur. Et bene valete. Posonii 26. Januarii 1571.

XLIV.

Telegdy Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Telegdinum.

1571. jan. 26. Postquam venimus Vienna Posonium, binas litteras vestras accepimus. Sed eas biduo ante, quae postremae fuerant, et propterea serius vobis respondemus, quod expectaveramus eas, si alicunde nobis redderentur, ad quas institeratis, celerius vobis re-

sponderi. Novae itaque istae vestrae turbationes et contentiones cum Capitulo, quantas nobis quoque attulerint perturbationes, nulla certe oratione ad sufficientiam eloqui possumus. Et dolemus ex eo multo magis, quod hi tumultus ab iis in Ecclesia nostra concitantur, quibus credebamus, eam peroptime iri semper commendatam, dum nos apud clementissimos nostros Principes publicis Regni rebus interdum operam navare contingat. Sed nunc ex effectibus ipsis secus fieri videmus; et hoc inde, quod quiquam vestrum plus affectibus et passionibus vestris tribuitis, quam rei publicae; quum communis nostrae Ecclesiae, tum etiam religionis commodis, conservationique decoris, existimationisque ecclesiastici nostri ordinis. Nequimus itaque non in aliquibus ex vobis prudentiam, judicium, et spiritualis professionis studium desiderare. Et ne nunc de reliquis loquamur, vos, qui duabus maximis, et extremi periculi impliciti sitis controversiis, novas nobis contenditis suscitare. Et id quidem praepostere, cursu rerum vestrarum causarum nec animadverso, nec servato. Atque hic, ut perturbato animo vestro, imo et irato propter tot fatorum vestrorum iniurias, paterne et salubriter consulamus, iustis rationibus, nec a recto alienis; necesse est, ut et nos loquamur sine involucris, et vos audiatis non gravate. Hae sunt enim nostrae partes, et hanc nos personam inter vos oportet gerere, quae, quoad eius fieri poterit, utriusque curet ex aequo commoda.

Itaque ubi expostulamini de Capituli iniuriis, easque recensetis suis nominibus, et judicium a nobis exigitis; dolemus equidem plurimum de hoc novae inter vos litis exortu. Nec judicium vobis subducitur, et suppeditari omnino debet; quia quicunque jure

expetit quippiam, nihil agit iniuria, dum aequitate causae suae consulit. Verum si novam litem contra Capitulum ordiemini, principali, et ex qua tota tum vestra, tum ipsius Capituli pendet praesens tragoedia, nondum decisa ad finemque perducta; haud dubie nec Capitulum pendente appellatione principalis causae responderet vobis, nec sperato successu potiremini, intempestive confuseque litigando. Nos quoque suggillaremur obloquutorum sermonibus, si isthaec providendo, intempestivae confusaeque huic ipsi liti concessione judicii ansam dedissemus.

Quum itaque vos et Garay cum fratribus vestris propter praesentem controversiam, quae nunc inter vos vertitur, ad certum tempus ad divisionem quandam devenistis; nec mirari, nec dolere debetis, si a vestro consortio refugiunt. Timent enim, ne dum tuentur totius corpus Capituli, in causaque memorata nobis adversantur, sentire vobiscum judicentur; si, antequam eadem controversia, quae vos divisit, decidatur, insimul forte fortuna conversaremini. Quod certe vos etiam animadvertisse et vitasse conveniebat, accomodando vos praesenti vestrae fortunae, nec vel domo exeundo, vel etiam munus quodpiam in Eclesia, et in collegio fratrum obeundo. Sic enim solent ii, qui similibus casibus sunt impliciti, donec ab eisdem explicentur, et res illorum redeant in integrum.

Ne itaque vos hiis rationibus, quibus pie ac paterne sane vobis in hac praesenti vestra perturbatione consulimus, detineamus diutius; nunc etiam videtur nobis, ut supersedeatis ab huius novae litis cogitatione et cura; vosque, postquam secure domi agitis, domi continete, rem praecipue de judicio appellationis meditando, nec interim quicquam turbarum cum fratri-

bus attentando, nec de muniis Ecclesiae attingendo, ita quoque alia dissimulando omnia, quoadusque plane videatis, quonam eventu cedet vobis idem judicium appellationis. Ex quo postea statuetis ea de omnibus rebus vestris, quae idem eventus ostendet vobis opportuniora fore. Sic agas, mi Telegdine; nec praecipites quicquam earundem rerum tuarum iratus, doloreque affectus tuo solius consilio; sed utere etiam alieno, et eorum maxime, qui te sinceriter complectuntur. Inter quos, si quid meo etiam tribuis, non asperneris illud. Qui te quantum amem, et quam vellem, ut te feliciter, honorificeque extricares ex hiis tuis difficultatibus, non est opus, ut ipse loquar. Tu te vel ab initio translationis meae ad Archiepiscopatum, luce clarius cognovisti. Acquiesce itaque mihi, et per hanc viam cursum tuum in re tua praesenti teneas; certus, me tibi ad finem usque non defuturum, tantummodo vide, nequid novarum turbarum excites tibi, et posterioribus casibus priores graviores reddas. Vale. Posonii 26. Januarii 1571.

XLV.

Vikáriusának Mindszenty Endrének Verancsics Antal.

Ad Andream Myndzentinum suum Vicarium.

Heri juvenis quidam vester attulit nobis litteras 1571. jan. 30.
vestras, quibus totum processum controversiae, quae inter Rectorem Scholae nostrae et Nitriensem Archidiaconum exorta est, descripsistis nobis. Et quia eam

dudum non sine magno dolore, et (ut verum dicamus) etiam indignatione nostra intellexeramus: scripsimus etiam vobis et ipsi Scholae Rectori. Sic, ut hactenus, potueritis de hoc animum nostrum cognovisse. Nimirum, nolle nos ulla ratione pati, ut quibusdam liceat in Ecclesia nostra tumultuari et factionibus studere, seniorumque dignitatem et authoritatem deprimere, nec eandem agnoscere velle. Ubi autem idem Rector Scholae in tantum cristas et cornua sua extollit, ut sit ausus inhibere scholasticos ab ingressu templi officiorum Divinorum celebrationis tempore; addidit sane non mediocrem cumulum temeritati prius perpetratae. Quare ubi primum has nostras legetis, convocetis Capitulum, et ipsum Rectorem Scholae verbis nostris sic publice coram omnibus fratribus alloquamini, ut desistat ab huiusmodi furiis, et sese summittat senioribus suis, caveatque summo studio, ne licentiosos imitetur, nec inquietorum instituta partesque sequatur; quoniam ita retundetur eius insolentia, ut exemplum in eo omnibus similibus edemus non obscurum. Postea, si ad saniorem mentem non redibit, neque se summittet disciplinae, talem rei curam adhibebimus, ex qua cognoscet, nos etiam severiores esse posse, quam quidam arbitrantur, ubi similium furoribus provocabimur. Et hoc ad summum dicimus, velle nos in Ecclesia nostra spirituales homines, non carnales vitam agere. Et quicunque gladiatores ac turbulenti esse pergent, impingent in nos magno suo incommodo; quia non parcemus delinquentibus. Bene valete. Posonii 30. Januarii 1571.

XLVI.

Dubovius Mihálynak Verancsics Antal.

Ab Michaelem Dubovium.

Non es nobis molestus, quod sollicitas nos de conservando isto Ecclesiae nostrae Sanctae instituto seminario. Et propterea, ut nuper dedimus tibi ad Egregium dominum Martinum Spaczay litteras pro remittenda vobis decimae Districtus Korompa parte dimidia, isti ipsi seminario nomine nostro elocata; ita nunc misimus tibi talleros quoque quadraginta, ne idem seminarium deficiat. Non omisimus etiam ad Capitulum dare litteras, ut ipsum quoque in hoc partibus suis satisfaciat, et ei, quod debet, reddat; quum eundem (így) seminarium omnino stare volumus. Ubi autem lamentaris de praesentibus calamitatibus Capituli, et iam quasi consternatus, despondes animum, cogitasque de colligendis sarcinulis, deque mutando loco; tantam ex tuo animo non expectabamus inbecillitatem. Sed isti terrores nunquam spirituales homines terrere consueverunt, sed eos, qui terrena magis, quam Divina et coelestia amplectuntur. Quoniam quibus homines in hac vita passionibus ducuntur, ex his etiam perturbantur, quoties eorum votis desiderata conceptaque, cupiditatibus minus moderatis non successerint. Ad Divina itaque erigas te, nec inhias terrenis, quae fluctibus maris, quod perpetuo tempestatibus agitatur, comparata esse, sacri doctores docent. Sic eiusmodi calamitates, de quibus tantopere expo- 1571. febr. 2.

stulas, minoris duces, quam sint; easque consolationes in mente tua invenies, quae te etiam delectabunt, et reddent in omnibus tribulationibus, quae tibi interdum contigerint, fortissimum. Tantummodo caveas, ne te immisceas quorundam inquietorum studiis, et semper ad sensatos spiritualesque inclines, quum (ut dicebat ille) ex te est malum tuum Israel. Scimus, quod loquimur, nec tamen aliter loquimur, quam ut sanemus. De Praepositura Sancti Georgii iam aliquid transegimus. De aliis sacerdotiis, quum redibimus, videbimus; eritque nobis non solum tui, sed etiam aliorum cura, quoscunque spiritu Dei duci perspiciemus; quia turbulentos, et qui temporalia consectantur. publicamque quietem turbant, non facile tolerabimus, Cum civibus agemus brevi coram de domo. Et bene valeas. Posonii 2. Februarii 1571.

XLVII.

Vöröskő vára parancsnokainak Verancsics Antal.

1571. febr. 5. Egregii domini, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Quod Vestris dominationibus in ea causa monasterii monialium, cuiusdam civis Tyrnaviensis, Clementis sartoris nomine, super quaternis vestris ad nos scripseratis, non responderimus celerius; ex eo factum est, quod bene prius de toto negotio informari voluimus, ut vobis postea uberius, et quod leges Sacrornm Canonum in huiusmodi controversiis de jure postularent, respondere possemus.

Quum itaque Metropolitana Sedes nostra sit, et qui in ea jus dicit nostri loco, noster sit substitutus et vicarius; valde absurdum est, et inusitatum, ut in eadem Sede nostra plures judices haberentur. Neque appellationes fieri possunt, vel ab eodem ad idem, vel a superiore ad minorem, sed haedem a minore ad maiorem de jure tam Imperiali, quam Ecclesiastico fieri consueverunt. Et sicut ex omnibus Cathedralium Ecclesiarum Sedibus Judiciariis ad Metropolitanam fiunt appellationes, ita et a Metropolitana ad Nuntii Apostolici Sedem, qui semper apud Maiestatem Caesaream residet in curia. Quare si dominationes Vestrae in hac causa rite procedere velint, a Metropolitana Sede nostra, et a nostro Vicario appellent ad Nuntium Apostolicum, nec a nobis delegatos judices extra Vicarium nostrum postuletis; quum litigiosae causae nec ab eodem ad idem, nec ad minores a maioribus provocantur atque transferuntur. Quum igitur et petitum processum totius huius causae plenum et integrum habuerunt, estque iam eisdem ostensum, qua via illis progrediendum sit ad ulteriora; ita faciant, ut eis magis consultum fore viderint. Notarium autem si habuerint suspectum de falsitate aliqua, formetur in eum actio, et citetur; ceterum si alicuius commissi excessus convictus fuerit, gravamen juris ac justitiae subibit. Quod reliquum est, nos certe summo studio sumus, ut dominationibus Vestris, et earundem dominis in omnibus pro possibilitate nostra, et pro aequitatis ratione gratificemur. Agentes quoque gratias de proximo earum erga nos officio, nobis ante tempus praestito. Quod etiam pari benevolentia compensare occasionibus suis non prae-

termittemus. Et bene valeant. Posonii 5. Februarii 1571.

Kívül: Egregiis dominis Joanni Tedelhauser seniori de Underrott, et Georgio Wettleo, Praefectis arcis Wereskew, amicis nobis honorandis.

XLVIII.

Zazkovszki Mártonnak Verancsics Antal.

Ad Martinum Zazkowsky.

1571. febr. 7. Non credidissemus, quod abs te, et a Wenceslao Judice de Polereka simul et ab eius filio, illusi esse debuissemus. Nec enim tantam gratiam contulissemus in Andream Diwekum officialem olim nostrum, minus in administratione bonorum nostrorum sincerum ac fidelem, nisi intercessisset benevolentia nostra, qua vos complectimur, et fides, quam de vobis habebamus. Sed utcunque visum est vobis sic nobiscum agere; nos tamen valde male satisfacti sumus de verbis et promissis, et obligationibus vestris. Ceterum quoniam nos de satisfactione trecentorum et triginta florenorum praecipue vobiscum transegimus: et vestra fides atque obligatio quaeritur, qui sic pro eodem Andrea fideiussistis, ut a vobis expectemus, quod ipse aut noluerit, aut nequierit. Misimus itaque denuo ad vos Stephanum Tatay familiarem nostrum, per quem quia iam antea accepimus florenos centum, curetis fide et obligatione vestra, ut per eundem totum reliquum si-

mul, quod facit florenos ducentos triginta, mittatis sine tergiversatione et dilatione quantumvis minima. Sciatisque, quod ex hac summa ne nummum quidem cuipiam relaxaturi sumus. Quum pro aequitate supra duo millia habere debuissemus, nisi vestri respectum habuissemus; adeo magnum damnum intulerit nobis ille malus homo. Ne itaque negligatis nos, neque offendatis. Et bene valete. Posonii 7. Februarii 1571.

XLIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

1571. febr. 9.

Proximis diebus Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer mandaverat, ut juberem Capitaneo meo Wywariensi, desineret excursiones militum in hostes emittere, ne eos huiusmodi iniuriis lacessendo, paci perturbandae causas suscitaret Quod ego tametsi et coram, quum illic essem, et postea per litteras etiam strictissime praeceperim: tamen hoc eodem mandato Vestrae Imperatoriae Maiestatis accepto, ita eum ab hac inhibui licentia, minas etiam Eiusdem illi declarando; ut certus sim, quod imposterum cavebit diligentius, ne in similem reprehensionem impingat. Quamquam stimulati Wywarienses aliorum praesidiariorum finitimorum ausis, ipsi quoque ad eos usurpandos quasi pudore et aemulatione quadam mi-

litari adducti interdum putant, se minus accusatos iri, si cum aliis mandatum Sacratissimae Maiestatis Vestrae fuissent transgressi. Quo certe ego etiam illis gravissime fui indignatus. Sed iam spero, quod iam non excurrent, verum arci ipsi custodiendae incumbent; quum illis stipendia more et solito studio suis mensibus penduntur, et nihil eis ibidem desit, quod ad commeatus et ad quotidianam annonam attinet.

Alio quoque mandato Sacratissima Maiestas Vestra mihi benigne commisit, ut in bonis meis, quanto maiore numero fieri poterit, curem pro eius novo Viennensi horto, vivos fasianos, perdices, avesque, quas nos Hungari caesareas nuncupamus. Cuius clementi voluntati more humillime gesto, officialibus meis subito iniunxi, ut ubicunque huiusmodi aucupes in bonis tam meis, quam etiam in alienis conquirant, et dent sedulo operam, ut mandato Vestrae Sacratissimae Maiestatis quamprimum satisfiat.

Ceterum quantis aerumnis Capitulum Jaurinense premitur, et quam miseris modis ea etiam negligitur ac destituitur Ecclesia; misi humillime ad Sacratissimam Maiestatem Vestram eiusdem Capituli copiam litterarum, quas ad me dedit, dum adhuc essem in Nova Civitate, ut dignetur clementer intelligere, et succurrere illi, ne prorsus evertatur. Quia eius conservatio non aliunde pendet, quam a Vestra Sacratissima Maiestate. Similes questus etiam ex Agriensibus creberrime ad me litteris perferuntur. Sed quum utriusque huius Ecclesiae status non regitur in praesentia modis suis et ecclesiasticis: ego, qui meum quoque vix sustineo ac tueri possim, in tanta tempestate Catholicae religionis hostium, quantum eisdem subvenire

queam, notius est Vestrae Sacratissimae Maiestati, quam ut prolixius ad Eandem perscribere debeam.

Et quia in his huius utriusque Ecclesiae afflictionibus et ruinis nomen Dei blasphematur, et confunditur temeritate multorum, in quibus idem Sanctissimum nomen eius invocatur et colitur; humillime supplico, dignetur clementer ambabus vel eo solo remedio, quantum per praesentia pessima tempora fieri poterit, prospicere, ut antistites et pastores suos legitimos ac necessarios obtineant; ut, quoad Deus ex alto eis miserebitur, sustententur saltem, ne prorsus a mercenariis, quibus sunt concreditae, ex toto subvertantur, et in prophana convertantur.

Nec vellem vel huius vel illius attingere particularia, maxime autem Jaurinensis; sed res est eiusmodi, ut, quum neque ad commoda publica redditus eius insumantur, neque speciales ex ea functiones rite in populos Dioecesis eius administrantur, brevi in eam formam fortunamque redigatur, qua reliquae iam extinctae et deletae prostratae sunt et iacent. Et tametsi non sum ego nescius, quid et quomodo in locis opportunis loqui debeam super his, quae sunt expressae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae voluntatis sapientissimae, imo etiam necessitatis: tamen, quum res agitur de Divinis, indignationem Eiusdem Maiestatis Vestrae spero me non incursurum, si interdum Eidem suggessero ecclesiastici status incolumitatem. Quia certe apud nos brevi totaliter ruet, nisi Principum tutela sustentabitur. Quorum tuitioni non solum templa manufacta, atque altaria, sed etiam ministri, et quibus iidem victitant, ex Divina ordinatione commendati sunt. Si quid autem visus fuero in his excessisse, humillime veniam exoro, et Deum

Omnipotentem precor, ut Sacratissimam Maiestatem Vestram Imperatoriam diutissime sospitet et felicitet. Posonii 9. Februarii 1571.

L.

Caprino Ferencznek Verancsics Antal.

A mr. Francesco Caprino.

1571. febr 9. Le vostre gratissime di 29. di genaro, quatro giorni sono, che mi capitorno. E mi ralegro sopra modo dalla sanita e felice stato di tutte Sue Maestà nostri signori clementissimi. M' ho ralegrato ancora cordialissimamente, che voi et dio (?) con tutta la soa brigata siate sano e in bona pace. Della andata nostra in Italia no' so che dirmi. Ma guardate bene di mantenervi, per la via comodamente, acciò no' vi assalisse qualche disastro di strachezza. Altramente no' vi sparagnate per il servitio di Sue Maesta nostri signori clementissimi, essendo stato sempre cosa molto honorata, à ben meritare di Principi. E voi tanto piu dobbiate sforzarvi di far bona servitu à Soa Maesta Cesarea, quanto maggiormente v' adoptera nelle cose sue. Io son qui aspettando le nozze della nipote di monsignor Varadino, e poi subbito me retiraro àlla mia chiesa in Tirnavia, ove il clero mio assai patisce per la mia absenza. Nella quale è incorso in travaglio molto strano per puoco giudicio d' alcuni gioveni, e piu elati cha savi. Dio volesse, ch'

io potesse piu longo tempo d' ogn' anno veggiare alle soe sentinelle, sperarci certo, di farlo star piu attento alla osservanza della sua professione.

Antonio vostro hormai io aspetto, ne lo tenete apresso lontano dalla scola. Perche pigliera tanta baldanza in grembo della madre, che scordarassi del' imparato, ne imparara poi, quando cominciera tenersi in gravita, fatto maturo d' anni. Io le havero di tutto cura. Ne vorzo altro da lui, cha ch' impari e goda meco quello ch' Iddio e Soa Maesta m' ha dato.

Al Transilvano s' ha dato pur piu del dovero. Hora credo, ch' ancora voria bruscar qualche cosa di piu. Ma me pareria, che si tratasse co' lui cautamente, ne li se desse qualche potere e sperando d' alzar piu in alto le corna, cha fusse espediente a Soa Maesta.

Ultimamente vi raccomando Raccamonte, e la Chiesa d' Agria, insieme co' el suo Capitulo. Perche sta molto male per li soldati e reggenti suoi. Io sopra cio scrivo a Sua Maesta. Voi dunque harete la cosa con me insieme. E state sano. Da Posonio alli 9. di febraio 1571.

LI.

Tisztartójának Lindvai Deák Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Litteratum de Lyndwa, Provisorem.

1571. febr. 9. Supplicarunt nobis universi coloni nostri possessionis nostrae Nagyker, ut eis condonaremus omnium frugum ac vinorum nostrorum tam decimam, quam nonam. Quum autem superioribus diebus essemus Wywarii, et plerique alii etiam una cum iis coloni nostri institissent apud nos pro hac ipsa re, nullis concessimus, neque etiam imposterum concedemus; quia si unis ista relaxabimus, omnes reliqui id ipsum a nobis extorquere conabuntur. Quia vero hi sunt praecipui nostri proventus, reliquos officiales habent; nescimus quomodo intertentioni arcis, et eius praesidio sufficientes erimus, si easdem decimas et nonas distrahemus. Committimus itaque tibi, ut nulli possessioni nostrae proventus huiusmodi condones. Aliis modis, quibus licite poteris, allevare illos non praetermittas.

Blasius quoque colonus noster de eadem Nagyker, vineam quandam in eiusdem possessionis promontoriis, in cuius pacifico dominio omnes maiores sui a pluribus fuerunt annis, legitimoque jure ad hunc, uti dicit, descendit, nunc vexatur ab heremitis Monasterii Lefant nominati. Quapropter quum haec controversia non constat nobis, scribite ad eos, ut cessent subditos nostros vexare, et si quid in eadem

vinea praetendunt juris, jure agant. Et interim prohibeas, ne via violentiae usum aliquem in hiisdem bonis nostris obtineant.

Lutthy vero Matthias similiter incola de Nagyker, subditus noster, supplicat pro aliquot annorum exemptione, quod novam domum extruxerit a solo sumptibus. Cuiusmodi colonis quia consuetum est id gratiae impartiri, huic etiam nos deesse non debemus. Sed prius exploretis, quanta fecerit aedificia, et sic demum succurrite supplicanti. Quia plerique consueverunt fucum dominis et officialibus facere, saepe curiae, aut domus parte aliqua renovata, totam domum asseverant sese instaurasse. Ideo videbitis, et quod erit conveniens, transigetis. Bene valete. Posonii 9. Februarii 1571.

LII.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

Hic iuvenis Matthias Zeel de Almas, praesen- 1571. febr. 21.
tium mearum exhibitor, superioribus annis in Cancellaria Hungarica apud praedecessorem meum ad mortem usque eiusdem honesto nomine versatus, postremo assumptus a civibus Tyrnaviensibus ad Notariatum, ibidem quoque et laudem et meritum est assequutus. Et hoc interim, quum eius bona in superioribus Regni partibus per Turcas et Tartaros fuissent desolata et

in cineres redacta, confisus de clementia Maiestatis Vestrae, qua huiusmodi iuvenes bonae indolis, et destitutos omnibus vitae commodis, beneficiis suis sublevare consuevit, supplicat Sacrae Imperatoriae Maiestati Vestrae humillime, dignetur ea bona illi clementer conferre, quorum nomina in supplici libello suo expressit. Quum autem requisivit me, ut pro eo intercederem, eumque Sacrae Imperatoriae Maiestati Vestrae commendarem, sperans felicius sibi petitionem suam successuram; nequivi hoc officium pietatis subterfugere, ne meo muneri defuissem, quo multis ad benignitatem Maiestatis Vestrae accurrentibus necessitatum suarum causa, non solum ego, sed omnes etiam alii mei ordinis et gradus succurrere, et referendarii esse teneamur. Commendato itaque hoc eodem bono iuvene munificentiae et gratiae Vestrae Sacrae Imperatoriae Maiestatis, supplico humillime, ut, si quid Eidem hac commendatione attulissem molestiae, dignetur clementer veniam mihi dare. Quam Deus Optimus Maximus perpetuo sospitet atque felicitet. Posonii 21. Februarii 1571.

LIII.

Rozsnyóbánya városnak Verancsics Antal.

Ad oppidanos Rosnobanienses.

Nimis (ut videmus) ad commissiones et mandata 1571. febr. 21.
nostra obsurduistis, nec adhuc nos agnoscere vultis, pergitisque in coepta vestra contumacia, (nescimus) quanam freti elatique libertate. De qua nos multo secus et edocemur, et instruimur, quam vos cogitatis. Mandaveramus vobis, ut quamprimum viae gelu solidatae et constratae fuissent, mittere ad nos duas vel tres personas de maiorum ordine cum omnibus immunitatum, ac libertatum vestrarum privilegiis debuissetis, plena eisdem commissione data, ut nos de toto statu vestro informare potuissent; quo nos quoque sic demum facilius res nostras in istis bonis nostris constitueremus, sciretisque et vos vestra erga nos officia, et nos non ignoraremus, quibusnam rationibus quum vestris, tum etiam nostris commodis prospicere deberemus. Sed hucusque, quia in hoc nihil fecistis, et omnia parum laudabiliter omisistis, ostendistisque non obscure alienum quodammodo vestrum erga nos animum, quo offendimur non mediocriter; denuo vobis strictissime mandamus, ut viris nostris praesentibus, sine ulla dilatione, designetis ex vobis tales et tot personas, quas et quot huic rei, quam nos exigimus, putatis sufficere; easque ad nos quamprimum dimittite, cum omnibus jurium vestrorum privilegiis, et cum plena informatione omnium emolumentorum, quae

istic et fiunt, et fieri possunt; quo plenius edocti de huiusmodi a vobis ipsis, commodius cuncta transigamus, consulamusque non solum nobis, sed etiam vobis, postquam ab alienorum dominatu ad naturalem dominum reducti sitis. Qui vos non ut mercenarius quispiam, sed ut pater, et pius dominus continebit; eodem agnito et vos, quae ad eum pertinent, non usurpatis.

Ubi vero petieratis nos summo studio, vellemus vos liberare ab administratione Francisci Bornemyzae, cognomento Nagy; exaudivimus vos, eique officio isto abrogato, hunc Egregium Stephanum Baranyay, familiarem nostrum subrogavimus, quem nunc ad vos misimus, in istoque tenebimus officio, si bonum specimen de se nobis praebuerit et moderatior fuerit, quam ille fuit. Eum igitur excipietis, et habebitis honeste, fidemque in omnibus illi adhibebitis, quae et loquetur, et aget apud vos nostro nomine, ac nostro vestroque commodo. Quum vero intelleximus, eundem Franciscum miras, et a nobis non commissas extorsiones ab omnibus et a singulis ordinibus istius oppidi nostri fecisse nostro nomine, ex quibus ad nos nihil attulit; committimus vobis, ut de his omnibus diligenti inquisitione facta singillatim cuncta ad nos perscribatis. Quia expilatores non diligimus; neque consuevimus subditorum nostrorum ditari spoliis, amplificarique oppressionibus. Hoc itaque facere non praetermittatis.

Ultimo loco monemus vos de Catholicae religionis professione; cuius studium atque observantiam ita vobis iniungimus, ut sciatis, nullo pacto nos passuros, ut haereticae maledictionis pravitatisque vel quid minimum apud vos retineatur. Ideo detis operam, ut Ecclesiae vestrae ministros non alios habea-

tis, quam Catholicos et Romanae confessionis professores. Secus vero, si fieri intellexerimus, remedia Deo volente talia adhibebimus, quae opportuna fore videbimus, punitione contumacium non dissimulata. Parete itaque salubria vobis suadenti, et bene valete. Posonii 21. Februarii 1571.

LIV.

Bornemisza Gergely csanádi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Gregorium Bornemyzza Episcopum Chanadiensem.

Superioribus diebus Reverendissima Dominatio 1571. febr. 21.
spem nobis fecerat litteris suis, quod reliquas duas possessiones nostras ad Pwtnok applicatas, esset curatura, ut nobis redderentur, quamprimum istuc hominem nostrum mitteremus. Abrogato itaque officio Rosnobaniensi Francisco Nagy de Pest causis non vulgaribus, quum iam dudum evaporavit ex eius capite quicquid boni habuit, si quid habuit aliquando: hunc Stephanum Baranyay familiarem nostrum eius loco misimus istuc, ut magis sensate toto statu cognito et examinato eiusdem oppidi Rosnobaniensis et pertinentiarum illi adhaerentium, ad nos tandem revertatur, quo, edocti plenius de eorundem bonorum statu, firmius de regendo et administrando eo constituamus modum et formam.

Quum autem decimae nostrae Comitatuum Geomeor et Torna perceptae et dispensatae sunt ad instantiam istius Scepusiensis Camerae, Reverendissimam dominationem Vestram rogamus, velit eniti, ut earundem decimarum pretia omni iam dilatione sublata nobis persolvantur, et ea huic ipsi Stephano Baranyay ad nos referenda integre assignentur. Cui vicissim nos quum ex animo inservire et gratificari non desistimus, tum certe, si hac in re ex officio suo percipiemus expectatum fructum, maiora etiam multo de nobis Eidem pollicebimur, quae non solum existimationi suae, sed etiam commodis accessionem cumulabunt, quemadmodum postea suo tempore clarius intelliget. Ut autem huic ipsi familiari nostro in rebus nostris fidem adhibeat, et sit defensioni, auxilio, consilio, Eandem plurimum rogamus. Et felicissime valere cupimus. Posonii 21. Februarii 1571.

LV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Imperatoriam Maiestatem.

1571 febr. 24. His diebus Reverendissimus dominus Locumtenens miserat litteras Sacrae Imperatoriae Maiestatis Vestrae ad eum datas, quibus Sacratissima Maiestas Vestra benigne mandabat, ut habito cum aliquibus ex dominis Consiliariis Hungaris colloquio, duos deligendos et ad Maiestatem Vestram mittendos curaret

propter emergentia Regni negotia; postquam ex Germania propius ad nostras partes, rebus Diaetae Spirensis feliciter confectis concessisset. Forte fortuna accidit, ut eotunc quinque hic reperirentur; dominus Comes a Salmis Ecchius, dominus Joannes Petew, dominus Varadiensis, dominus Tininiensis, et ego. Et quia ceteri aberant longius, videbaturque sero fore, si huc omnes convocandos curavissemus; nos tandem consultationem hanc aggressi, delegimus dominum Tininiensem et dominum Petew, edocuimusque subito etiam dominum Locumtenentem per nostras litteras de hac electione facta; ad quas nondum respondit. Credimus tamen, quod assentietur huic electioni nostrae ipse etiam. Electi quoque non recusant provinciam, si illis sumptus, uti dixerunt, suppeditabuntur; quum alter maxime egeat, alter longius habitans abhinc, minus instructum se esse ad hoc iter testatus est, nisi clementi Maiestatis Vestrae munificentia de his ipsis sumptibus provisum illi fuerit. Restat itaque, ut Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra dignetur clementer mandare, ut hoc subsidio succurratur eis ex Camera; postea sine mora committent se itineri, et Pragam maturabunt.

Si autem Maiestas Vestra aliam electionem fieri benigne statuet, vel nominatim iubebit, quos pro iis munus subire voluerit, iussa Eiusdem humillime expectantur. Verum quum dominus Locumtenens senio, et proximis Locumtentiae suae Judiciis, haud immerito sese excusat; me vero arcis Wywariensis reparationes inhibent, quae mox aggrediendae sunt mihi, ubi mitescent paulo magis tempora; nec religionis atque Ecclesiae cura patitur abesse longius, ubi nunc etiam Capitulum meum quorundam paucorum culpa

quanto negotio premitur, non dubito Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram intellexisse, cui nisi ipsemet adero, non video talem in eo industriam, ut sese eidem negotio commode queat eripere: ego quoque cuperem humillime excusari. Quumque alii etiam non facile possent ad hanc induci functionem, causis Maiestati Vestrae non ignotis, quod libentius domi desident, quam per exteras regiones vagentur: existimavimus, hos duos bene rei suffecturos. Alioqui fiant omnia pro sapienti judicio ac benigna voluntate Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vetrae.

Ceterum diebus superioribus, quum Eandem Maiestatem Vestram longiore scripto humillime edocueram de toto statu Wywariensis arcis, et quantis operis atque aedificiis indigeat, ut bono modo repararetur; quam curam mox ubi ver aderit, Deo bene iuvante diligentissime amplecti cogito, iam materia silvestri non exigua Viennae coempta ad vallum eius confirmandum, tegendum et ambulacris commodandum. Supplicaveram etiam demisse, et summo studio. dignaretur Maiestas Vestra denuo mihi Praeposituram Turociensem clementer donare. Insinuaveram quoque causam, propter quam ad petendam inducebor; nimirum non cupiditate opum, quum raro proventus eius ad duo accedant millia, quicunque illi proveniant; sed tantummodo propter copiam silvarum, quas in alpibus Turociensibus habet, et quia arces, quae ex lignis et luto constent, eoque locorum sitae sunt, qui muros non admittunt, silvestri materia indigent potissimum. Nec ea ullo tempore carere debent; quandoquidem semper habent, quod ferme quotidie debeat reparari et refici.

Hoc itaque coegit me pro Turocz tantopere la-

borare; ut scilicet sufficientior essem ad eiusdem arcis incolumitati consulendum, quae est adeo opportuna, non solum ad Archiepiscopatum in statu suo retinendum, sed etiam ad omnes fere Regni reliquias, quae sunt in sinistri Istri latere, defendendas et conservandas. Quare sollicitus adhuc publici huius commodi: sicut antea promiseram, me quinquaginta pedites ultra ducentos ordinarios in eadem arce servaturum; ita nunc pro hys centum offero, quo ex hoc etiam constet, quantum et Maiestati Vestrae Sacratissimae, et reipublicae Incliti Regni sui Hungariae inservire cupiam atque contendam. Et si eadem materia vel a vicinis dominis emendicanda, vel pecunia coemenda erit, non affluet pro usu assidue necessario. Quia et vicini parce subvenient, et pecuniae exhaurientur multae, quae potius in milites essent insumendae. Supplico igitur humillime, dignetur Sacratissima Maiestas Vestra, et his et similibus aliis rationibus consideratis, huic meae summissae petitioni clementer annuere, et pro benigna sua gratia tempestive deliberare; quia iam instat aedificiorum tempus. Et quum lateribus quoque coquendis iam instituendae officinae paro attinentias, quandoquidem de tegulis etiam planis erit mihi habenda cura pro domuum militarium tectura, ut tollantur tecta straminea; quo obsidionis tempore, si quae forte incideret, quam avertat Deus, minus et ab intrinseco incendio milites arci metuerent, et securioribus animis vacarent vallo defendendo : haud dubie hoc quoque opus exiget ligna copiosiora, quae idem Turocium facile mihi ad necessariam sufficientiam subministrabit. Sic et Wywarium commodius instaurabitur, et ego exponam minus hac Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis

Vestrae beneficentia adiutus. Quam Deus Optimus Maximus perpetuo sospitet atque felicitet. Posonii 24. Februarii 1571.

LVI.

Cherewdy Györgynek Verancsics Antal.

Ad Georgium Cherewdy.

1571. febr. 24. Plures litteras tuas superioribus mensibus accepimus. Ad quas quod nullis tibi responderimus, graves atque assiduae occupationes nostrae tam publicae quam privatae fuerunt in causa; non autem quod vel tui essemus immemores, vel omnino te neglexissemus, non haberemusque ut unum ex fratribus nostris. Sis itaque bono animo, et de nostra erga te pietate charitateque paterna nihil dubites; dummodo ita incumbas bonis litteris, ut aliquando, quum in patriam redieris, usui sis et religioni Catholicae, et Ecclesiae nostrae. Quum autem praecipue caremus Doctoribus Juris Canonici, intelligamusque a pluribus, et etiam ex litteris tuis animadvertimus, praeditum te esse satis competenti ingenio ad bonarum artium scientias assequendas: cupimus, ut diutius istic insudes studiis. Nec id quidem aliis, quam Juris Canonici et Caesarei; quum iam satis versatus sis in humanioribus litteris. Quae nisi solidioribus et dignioribus artibus associatae fuerint, minus et decoris et commodi afferent reipublicae earum professores. Quapropter

haec nostra monita expendas trutina diligentiore, nosque litteris tuis quamprimum edoceas, quid super eis senseris et facturus eris. Ne autem desimus tuis subsidiis, quae tibi suademus, ad reliquam stipem, qua Romae agis gratia eorundem studiorum, iuvabimus te eo subsidii corollario, quo poterimus, ne egestate deficias, et hiisdem studiis valedicas. Quod reliquum est, da operam, ut stilo etiam exercendo in dies addas aliquid decoris atque elegantiae. In Italiae enim gymnasiis, maxime autem in Romano, in quo omnium virtutum veraeque et genuinae eruditionis sedes eminet, totam trivisse iuventutem, patrioque etiamnum amicis obstrepere stilo: sane et Musis non mediocris fit iniuria et in patriam parum ab iis refertur laudis: qui vel ex Athenis ipsis, ad quas barbari profecti fuerant, ex hiisdem barbari revertuntur. Nec de hoc pluribus, quum aetatem habeas. Cures itaque, ut redeas, qualem redire optamus. Et bene valeas. Posonii 24. Februarii 1571.

Electus Strigoniensis mp.

LVII.

Szopronczy Marknak Verancsics Antal.

Ad Marcum Sopronçinum.

Quanto studio es sollicitudine superioribus mensibus, imo etiam annis operam et servitium tuum nobis obtuleras; nosque etiam pluribus litteris tuis assecuraveras, quod servire nobis atque Ecclesiae 1571. mart. 1.

nostrae Strigoniensi velles; hactenus nihil minus fecisti, quam quod non solum obtuleras, sed etiam promiseras. Compatientes autem humanitati tuae, quae paucis quibusdam commodis detinet te Agriae, et avertit ab eo, quod nobis debes, ore et litteris tuis promissum: adhuc non indignamur tibi, teque sane et expectamus et hortamur, ut tandem venias. Idque nunc maxime, quum locus, qui tibi est dedicatus, iam vacat. Si itaque animum habes veniendi, nihil differas et venias. Si autem venire nolueris, indices tuis litteris; et scias, postea, si quis te casus istinc movere coegerit, aegre hic apud nos locum habiturum, qui interim te diutius deliberante dabitur alii. Vale. Posonii prima Martii 1571.

LVIII.

Gróf a Salmis Gyulának Verancsics Antal.

Ad Julium Comitem a Salmis.

1571. ma t. 2. Non ita pridem a Balthasare Gozthony, qui in possessione nostra Zerdahel titulo libertini commoratur, et superiore anno in promontoriis Sentaviensibus, quae ad Illustrem et Magnificam dominationem Vestram pertinent, decimator fuit, edocuit nos, quod eadem Illustris et Magnifica dominatio Vestra quaedam debita sua a colonis suis exactura, vina ab eisdem acceperit; idque antequam omnia iuxta Regni, imo etiam Divinae ordinationis constitutionem fuissent

decimatae. Quod quum etiam in Galgocz, et in Zempz factum fuisse nobis referant; plane apparet, damno nos affectos esse, si sic est factum.

Et quum idem decimator noster, ac etiam quidam alii factum fuisse affirmant: omnino ea opinione sumus; id Eiusdem scitu, voluntate, mandatoque haud quaquam commissum fuisse, sed officialium opera, qui fortasse nimis domini sui studentes commodis, hoc vinorum suorum corollario sive cumulo apud Eundem commendatiores esse voluerunt. Illustrem itaque et Magnificam dominationem Vestram rogamus, velit hoc negotium primo quoque tempore a suis ministris non gravate cognoscere, et re demum cognita non omittere, ut habeatur eius inquisitio, et nobis pro aequitate fiat satisfactio. Quum omnes apud nos subditi, qui huiusmodi debitis obligantur suis dominis, de peculiaribus suis portionibus eisdem ea reponunt; non autem de alienis, sive in toto, sive in parte. Responsum itaque Illustris et Magnificae dominationis Vestrae optatum expectamus; non dubitantes, quod etiam curabit amice, ut nobis pro aequitate satisfiat. Et Deus Eandem incolumem felicemque conservet. Posonii 2. Martii 1571.

LIX.

A bécsi udvari tanácsnak Verancsics Antal.

Ad Excelsum Consilium Viennense.

1571. mart. 3. Quidam bonus vir Alemannus superioribus iam aliquot annis decedens ex hac vita, testamento suo relinquens in manibus Dominationum Vestrarum florenos quadringentos nomine depositi legavit, ut quotannis viginti ex eis floreni titulo pensionis ad reparationem templi oppidi arcis Orosz insumerentur. Et statutum fuit, ut haec pensio in singulos annos manibus Reverendi domini Stephani Mathesi Jaurinensis Praepositi assignaretur, ipseque etiam curaret tantos sumptus in idem templum de memorata pecunia conferre, quantum eiusdem annuatim aedificia procederent. Sed pecuniae huiusmodi parte certa eidem domino Praeposito, partim Egregio Ladislao Sybryk de Oroszwar deposita, credentibusque etiam Magnificis dominationibus Vestris, easdem pecunias bene fuisse elargitas : illud est consequutum, sicuti audivimus, quod ea parte eiusdem pecuniae, quae data est domino Ladislao Sybryk, in alios usus dissipata, non ad instaurationem templi memorati exposita; templum ita dicitur esse destitutum, ut adhuc in veteribus ruinis haereat. Nec de Reverendo domino Praeposito est querimonia, qui fideliter servato in hodiernum diem deposito, et dolet neglectum reparationis eiusdem templi, et urget plurimum eos ad reparandum, quibus id incumbit muneris.

Et quum ex iis Egregius dominus Joannes Nemeth provisor Komaromiensis vehementer instat, ut templum ipsum iam tandem aliquando reparetur, et memorata pecuniae pensio nemini alii, quam eidem Jaurinensi Praeposito concredatur: ipse quoque offert se fideliter ac sedulo curam gesturum, ut hoc ipsum templum reparetur; postulans, ut haedem Vestrae Magnificae dominationes velint curare non gravate, ut eorum authoritate omnis quoque ea pecunia ab Egregio Ladislao Sybryk per omnia opportuna remedia exigatur, quam ipse in usus suos indebite dissipavit. Quo nomine nos quoque has ad Easdem dedimus nostras, memores nostri officii, ne huiusmodi testamentorum legata homines distrahant licentiosi et conscientiae suae minus observantes et studiosi. Quod reliquum, Easdem Magnificas dominationes Vestras bene valere optamus. Posonii 3. Martii 1571.

LX.

Az esztergami káptalannak Verancsics Antal.

Ad Capitulum Strigoniense.

Non refugimus ulla ratione vobis in vestris ne- **1571. mart. 8.**
cessitatibus vel de Praepositurae, vel de Cantoratus proventibus succurrere, donec eiusmodi beneficia idoneis conferemus. Sed quum in omnibus Cathedralibus Ecclesiis is est servatus mos semper, ut ingruentibus Capitulis sumptuum maiorum causis, omnes eiusdem

Capituli ordines ita sunt taxati, ut quique pro qualitate proventuum suorum eam summam contulerunt, quae visa est conveniens, et sic expleverunt summae necessariae quantitatem; vos (ut videmus) non ita facitis, et qui minus proventuum habent, magis gravantur, cui inconvenienti suo tempore providebitur, ut inter vos ordo melior servetur; quum, et nos et vos, eadem alit, nutrit et fovet Ecclesia, undecunque utrisque nobis redditus proveniant. Quod vobis respondere paterne voluimus. Et bene valete. Posonii 3. Martii 1571.

LXI.

Sybryk Lászlónak Verancsics Antal.

Ad Ladislaum Sybryk.

1571. mart. 8. Apud Excelsum Consilium Viennense Alemannus quidam, uti nobis est relatum, testamento moriens, quadringentos florenos reliquit, ea conditione illi imposita, ut quotannis viginti florenorum pensionem darent ad reparationem templi arcis vestrae Orosz. Quam pensionem, quum Dominatio Vestra plurium iam annorum perceperit, nec vel uno lapide templi eiusdem reparationem iuverit, magnae sunt de Eadem dominatione Vestra querimoniae, easque etiam ad nos detulerunt. Quum autem nostri est officii omnium Dei Ecclesiarum in Regno Hungariae curam gerere, et huiusmodi legatorum testamentalium usurpationes dissipationesque probibere; Dominationem Vestram

hortamur, ut omnem pecuniam similem, quam percepit eo nomine, ut dictum templum reparet, et a ruinis restituat; velit nunc iam tandem huic rei satisfacere, et ita cum aliis dominis suis affinibus agere, ut sine controversia aliquali simul cum eis memoratum templum reficiat, ne Deus etiam vobis indignetur. Quum nos etiam curabimus jure contra vos in foro ecclesiastico procedere, si hoc, ad quod Eandem hortamur, neglexerit, et recusaverit satisfacere. Quam etiam bene valere optamus. Posonii 3. Martii 1571.

LXII.

Gyulay Istvánnak Verancsics Antal.

Ad Stephanum Gyulay.

Litteras tuas accepimus, nec ea defutura sunt a nobis tibi, quae litteris tuis exigis. Verum quum multo maiora cogitemus tuo commodo, quemadmodum a Lectore intelliges; restat, ut ita de conversatione tua in servitio Dei et in eius Ecclesiae apud te statuas, ut plane videamus, quantopere Titi ac Timothei exempla imiteris. Exemplo monemus te Sanctorum aetatis tuae, ne quid ante tempus ampullosius ampliusque tibi arroges, et eum vitae cursum dirigas, ut quum annis maturueris, judicio quoque maturus fias, et maiorum locum obtineas. Te vero nisi amaremus pie et sancte, non tam certe tecum ageremus 1571. mart. 3.

familiariter. Sed quum ita homines in vitam educantur, et ad splendorem ducantur; boni consulas, nobis obedias. Et bene valeas. Posonii 3. Martii 1571.

LXIII.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Zagrabiensem Georgium Drascovicium.

Litteras Reverendissimae dominationis Vestrae 1571. X. Februarii datas reddidit mihi tabellarius Egregius dominus Christophorus Orsyth. Quae mihi fuerunt periucundae, cognito ex eis, quod Reverendissima dominatio Vestra bene valeret, quodque litteras meas acceperat; quas alicubi omnino suppressas esse credebam, et dolebam maxime, si eas, quibus speraveram longi mei silentii reprehensionem deleturum, intercidere contigisset. Sed laudetur Dominus, qui me hominem erga dominationem Vestram Reverendissimam officiosissimum falli hoc studio non permiserit, ad Eandemque per plura forsitan pericula incolumes tandem evaserint.

Ubi vero operam meam adeo utilem et necessariam reipublicae nostrae esse dicit, doletque, quod paucissimos videat, qui eius curam serio, et cum profectu hac tempestate capesserent; non immerito sane dolet. Atque utinam posset hoc a se, et a pietate sua impetrare, qua est in religionem Catholicam et

in patriam, pro cuius incolumitate, tantis hostibus opposita, periclitatur ferme quotidie, ne etiam angeretur, et frequentiores ob id aegritudines sibi accerseret. Nec multis agam de podagra et catarrho meo. Sed his omnibus incommodis senilibus, simul cum hyemis exitu exantlatis et egestis, chyragrae quoque initia iam hic Posonii excepi. Correpto enim sinistrae manus indicis primo articulo, non sine magno et dolore et tumore, per complures cum hoc ingratissimo hospite dies exegi. Tandem liberatus et hoc malo, iam cum vere novo ipse etiam renovor ac belle valeo, et negotiis publicis assidue vaco. Privata obiter attingo et perfunctorie, quietisque ita cupidus, ut nesciam, vitamne quieti, an quietem vitae anteponam. Sed haec fatis adscribamus, et nos Divinae voluntati accomodemus, qualiacunque sortiti sumus, et nobis data sunt coelitus.

De Caesarea Maiestate hoc habemus ex amicorum litteris, quod optime valeat, quod in horas Serenissimos liberos suos operitur ex Hispaniis, quodque alterum, et quidem natu maximum in Bohemia Regem coronabit, indeque circiter Augustum vel Septembrem ad nos revertetur, transigetque etiam aliquid de eodem in Hungariae quoque Regem coronando. Quod ut fauste ac feliciter consequatur, faxit Deus Optimus et ter Maximus.

De confoederationis eventu quid agatur, certi adhuc nihil est. Et multi dubitant de compositione eius. Laborant magnis contentionibus de privatarum quarundam rerum voluntatumque conditionibus inter principes et primarios viros, Ordinum ductores; de quibus scribere et loqui peculiariter aliquid, quum nobis non sit tutum, qui sumus sub potestatibus,

transeamus hoc. Ceterum quia iam belli gerendi tam terra, quam mari, tempus adolescit, Turca expedit summa sollicitudine apparatum. Nos adhuc in tractatibus haeremus frigidissimi; vehementer futurum vereor, quod dum privatis magis attendimus, quam publicis, tardi et imperfecti fiant omnes conatus nostri, hostemque adhuc penitius accipiamus in viscera nostra, taleque periculum adeat quodpiam Christianitatis latus, ex quo toti patefiet pernicies. Sed quoniam iuxta paraemiam nostrae gentis Illyricae, malum est etiam meminisse mali; speremus utique meliora, et quod miseri vellent, id polliciamur nobis, donec huius Sanctissimi Summi Pontificis, Domini nostri Pii V. fruemur vita atque incolumitate. Qui quidem quum hoc depravatissimo et turbulentissimo saeculo datus sit Ecclesiae Sanctae, quo iam nullus ordo, nulla unitas, nulla concordia, nulla pax, nullus amor mutuus, nulla sinceritas, nulla vel spiritualis, vel temporalis disciplina, nulla neque legum, neque iustitiae, pietatis, bonitatisque observantia, et demum nec amor, nec timor Dei, vitaeque ac morum sanctitas inter mortales reperitur; in eam equidem opinionem ac fidem venio, nondum Christianitatem in Dei odium omnino devenisse. Tantummodo ad remedia emendationis, et poenitentiae, orationumque accurramus, et complacemus eum, cuius tot flagellis castigamur. Et ita scelerum, atque impietatum nostrarum poenas latissime luimus, ut vix iam subsistamus. Sed haec prolixius quam volebam.

Et de rebus aliis. Reverendissimus dominus Locumtenens iam hic adest, proximoque die lunae ordientur eius Locumtenentiae Judicia. Sed nondum litigaturi frequentes appulerunt. Michaelem Miculi-

cium praefeci piseto meo, et pertinentiis oppidi Sanctae Crucis; qui si diu vixerit, bonum, et ad omnia maxima perquam idoneum sui habebunt virum. Illum ego in dilectissimis habeo. Scoblicius convalescit; nec id aliter, quam iuventutis beneficio, labefactatus tamen adhuc ex dimidia parte corporis. Nec interim eum dimittam domum, donec Pesthiniensium thermarum experiatur virtutem, quas illi etiam medici suadent. Necdum tamen illum eis comittam, quoad magis ver novum incaluerit; ne his vernalibus ventis quoppiam casu perstrictus, gravius laederetur, a quibus etiam validissimi homines cavere solent. De periculo Dalmatiae a Turcis imminenti ego non solum ei metuo, sed iam pro deplorata etiam habeo. Et meos ad me venire, duorum nimirum fratrum viduas, et sex liberos iussi. Quae provincia si in hostium veniet potestatem (quod avertat Deus); Veneti haud dubie a Turcis mari, a Christianis terra opprimentur. Nec sufficient, et Venetiis opitulari, et insulas, quas in supero mari habent, tueri et retinere. Quantopere autem littora quoque Ferrariae, Ravennae, Rimini, Pisauri, Fani, Senogalliae, Anchonae, et totius reliquae Italiae Apuliaeque Hadriatico mari regiones imminentes ad Hidruntum et Brundusium usque pyratarum frequentia infestabuntur, non texam nunc historiam. Sed valde metuo, ne et ex Hadriatico et ex Tyrrheno mari vi Turcarum bifariam Italia pressa, ad Urbem usque hostium potentia pertingat; tuncque demum praecedentiam, et privatae rei rationes urgentes incipiant, nec quicquam ambitionis errorumque suorum damna, detrimentaque intelligere et conari reparare. Si itaque sapit orbis Christianus, nunc iam demum, qui rerum eius ac dominii potiuntur, concur-

rant cum Sanctissimo domino nostro in sententiam de confoederatione omnium Regum, Statuum, Principatuumque ineunda; ne quem nos ipsi, nimis praecipitanter bellum eius, quod per Oratores suos minabatur, suscipiendo lacessivimus Christiani; cessatione nostra ab armis, et nos existimationis nostrae iacturam faciamus, et ipsi animos addamus, eumque excitemus ad nos pro arbitratu suo invadendos, et tyrannidi suae subiiciendos. Res haec est huiusmodi, ut eam describo. Et scire cupio, qualisnam futura sit Christianorum confoederatio, quam Sanctissimus dominus noster tantopere, tamque pie ac sancte urget, exigit, sollicitat, in quam primarii Principes ac nationes non concurrent? Essent hic multa ad dicendum; sed quum hic illum, ille hunc non vult se maiorem fieri, omnesque ita pariter, tantique ad omnia summa emicant, ut cuncti potius malunt inter sese esse aequales, et quotidie ferre rapinas Turcicas, quam uni cuippiam summas primasque partes concedere, et de Turca triumphare. O bene collatos Dei gladios! Sed sic hac tempestate reguntur Dei populi, ut flagella eius in nos reddamus fortiora. In hunc itaque pergamus modum, et credamus quaecunque lucent, aurum esse omnia.

Postremum illud est, quod vellem non accidisse. Sed quia accidit praeter omnem expectationem meam, malo a me Reverendissimam dominationem Vestram hoc intelligere, quam aliunde. Reverendissimus dominus Electus Varadiensis, idemque electus filialis Ecclesiae nostrae Posoniensis Praepositus, anno 1569. jus quoddam patronatus a Sacratissima Imperatoria Maiestate, in eadem Ecclesia nostra conferendi beneficia, obtinuit; nosque non mediocriter exercet, in

jurisdictiones nostras aperto sane Marte invadendo, et juribus ac privilegiis nostris, ab aliquot centenis annis per tot Archiepiscoporum Strigoniensium tempora, qui nos praecesserunt, usu constantissime conservatis, vim affere non veretur, neque erubescit. Nos de omnibus huiusmodi juribus nostris satis bene instructi, zelantesque Sacri ordinis nostri ac Ecclesiae Dei tum reverentiam, tum existimationem, nondum omnino cum eius Reverendissima dominatione in contentionem descendimus; ne scandalo essemus laico populo, gregique dominico, cui et doctrina verbi Dei, ita certe et vitae sanctitate, et laudabilium morum splendore praelucere debemus, summo caventes studio, ne malis, foedisque exemplis nostris mentes laicae multitudinis labefactemus, et licentiae fomitem suggeramus, in libertatem carnis prolabendi; totam hanc nostram causam ad Imperatoriam Maiestatem transtulimus discutiendam et dijudicandam; jus huiusmodi anni unius, et heri prope natum, num juri Ecclesiae nostrae, quod (uti iam diximus) a tot centenis annis versetur in legitimo usu, praeiudicare queat. Dato interim edicto collegio Capituli, ne quemquam per eundem dominum Praepositum ad quodpiam promotum beneficium, investire praesumat; donec ad rei finem remediis opportunis perveniatur. Sic itaque, amantissime et observandissime frater, sicut Israelis malum ex Israele erat, ita et nostrum a nobis est. Quumque nos Archiepiscopatus nostri, non solis nobis, sed profecto omnibus successoribus nostris, vobisque imprimis, qui existentes confratres et coantistites nobis, pro his iisdem juribus nostris aestuamus, etiam succedetis Archiepiscopatu. Nos itaque invetis potius omnes, et huic etiam nostro conatui suffragemini,

quam adversemini; ne quum sors per suam seriem in vos transferretur, amissam alicuius vestrum culpa jurisdictionem desideretis postea, et nec quicquam pro eo laboretis.

Magnifico demum domino Tahy, affini nostro observandissimo, salutem dicet nostro nomine, nosque eius Magnificae dominationi commendabit, et haec cum eodem communicabit. Cui precor omnia optima et quam prosperrima. Posonii 8. Martii 1571.

LXIV.

Bywdy Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Bywdy.

1571. mart. 9. Nudius tertius a Capitulo Posoniensi exhibitum est nobis Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis domini nostri clementissimi mandatum, quo nobis iubebatur; ut, si quid Dominationi Vestrae deberemus iuxta supplicationem Eius ad suam Maiestatem perlatam, nos vicissim, ut eandem Maiestatem edoceremus de nostris rationibus super hac re. Respondimus eidem Capitulo, aliud interim nos nihil posse facere; quod huic etiam servitori Magnificae dominationis Vestrae pluribus verbis exposuimus.

Quum autem ultimi anni servitutis suae, nimirum qui fuit a 17. die mensis Maii 1569. ad eandem diem mensis eiusdem anni 1570. totum proventum ex officii vestri possessionibus percepistis; nos autem

quum eodem anno 1570. venimus Wywarium, per eosdem dies dedimus ad Magnificam donationem Vestram litteras, quibus Eandem monebamus; ut, si ulterius stipendio et possessionum nostrarum officio frui vellet, venisset primo quoquo tempore Wywarium, et more aliorum eius praesidii militum faceret residentiam; sin minus, sciret nos in Eius locum alium subrogaturos, qui et maiore numero equitum officio eius esset praefuturus, et resideret assidue.

Quod quum Dominatio Vestra omisit facere, et debito muneri suo non satisfecit; alteri locum eius contulimus, nolens in absentem militem arcis adeo finitimae cum periculo insumere.

A Maio vero mense anni 1570. proventus, qui ex hiisdem possessionibus Dominationis Vestrae officii provenerunt, tametsi eodem anno messis et vindemia eorum fuerit habita; ad annum tamen insequentem, videlicet 1571. pertinuerunt, quum iam Dominatio Vestra mox ab hoc ipso Maio exciderat a servitute Wywariensi, redieruntque in nostram potestatem.

Quum itaque Dominatio vestra ultimi anni servitutis suae a Maio anni 1570. proventus officii sui perceperit: non est ratio, cur quippiam ex nobis praeterea petat. Quum etiam prima lustratione, quam Wywarii habuimus, omnia stipendia sex suis equitibus fuere persoluta, existimamus, quod non plures, quam quatuor apparuerint in lustratione.

Petimus itaque amice dominationem Vestram Magnificam, ne sit molesta nobis; quum non simus omnino alieni cupidi. Sed his expensis diligenter, quae alii nobis milites suggesserunt, desistat nos omni in loco, maxime autem apud Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem traducere. Utcunque tamen

fecerit, non desinemus et Dominationem Vestram amare, et tueri nostram causam.

Ceterum quo numero florenorum debet adhuc nobis pro decimis nostris Agriensibus, Eidem extractum misimus; rogamusque, cognoscat eum, et nobis satisfacere non gravetur. Quod debitum, quia sit verum, liquidum et autenticum; his rationibus probabimus, quibus et loco, et tempore congruet. Eandemque optime valere cupimus. Posonii 9. Martii 1571.

LXV.

Biglia Menyhért apostoli nunciusnak Verancsics Antal.

Al Nuncio di N. S. Melchior Biglia.

1571. mart. 21. La mia età gia senile, e parimente li publici e privati negocii mi tengono tanto nelle continue occupationi legato, che, come desidero, e sono ubligato all' ufficio et alla vocatione mia, non posso si sodisfare come debbo. Pertanto essendom' il culto divino principalmente a cuore, e sollecito tuttavia, che quello no' sia negletto, ho dal mio Diotalevi fatto proporre alla Santita di Nostro Signor il Reverendo mr. Francesco d' Andreis, prevosto Felhewiziense per mio suffraganeo. Il quale come prevosto infulato, chi è, no' solamente della mia propria experienza e conosciuto degno di tal grado e tittolo, ma ancora da questi Reverendissimi nostri, cioe dal Transilvano, da

Zagrabia, dal Varadiense, dal Vacia e dal Tininio, e da molti abbati e prevosti di questo Regno è tenuto nelle ceremonie episcopali per il piu perito, e per tal conto et dio mi è stato molto raccomandato à tale ufficio.

E perche esso Diotalevi mi scrive esser bisogno, che si formi il processo da Vostra Illustrissima Signoria; ma dubitando, che per la sua absenza andasse troppo in lungo, era di parere, che si cometese tal negocio al monsignor di Transilvania, acio lui non solamente habbia à formare il detto processo sopra gl' articuli, che gli sarano dati da Vostra Signoria Illustrissima, ma anchora che si truovi presente alla depositione delli testimonii. Et hora trovandovisi qui sufficiente numero delle persone ecclesiastice insieme co' li sopradetti vescovi, ecetto il Zagrabia, prego la Vostra Illustrissima Signoria, sia contenta di mandarci tal commissione quanto prima, accio l' agente mio in Roma non faccia piu longa mora.

E perche potria accadere, che da qualche emolo d' esso prevosto nascesse alcuna difficulta apresso Vostra Illustrissima Signoria per le sinestre relationi, degnarassi à no' dar luoco per sua prudenza à simili huomeni. Essendo, ch' io da venti anni e piu, si appresso l' arcivescovo predecessore mio, com' anco appresso di certi capituli, nelli quali è stato canonico, so bene, lui esser vissuto sempre obedientissimo e devoto figliolo dell santa Chiesa Catholica Romana da buono sacerdote, e comodamente literato. E Dio volesse, che de cussi fatti ne havessemo numero maggiore nelle chiese di questo Regno. E sopra il medemo negocio havendo scritto l' Illustrissimo e Reverendissimo monsignor Cardinale Morono, signore e

padron mio colendissimo, de cui le lettere ricevera con le presente mie, la prego, abbracciara co' maggior inclinatione detto negocio. Per lo quale io parimente non restaro di esserli obligatissimo, come gia li sono, e devoto, et addetto. Raguagliandola per aviso, della ricevuta delle sue di giorni passati, e pregandola, che se qui fra tanto, che la sara di ritorno, cosa, ch' io molto desidero, posse farla qualche servitio, mi comandi, e vagliassi di me in ogni tempo et occasione, come del suo minimo servitore.

Delle novita di qui havemo, che li vicini nostri Turchi s' accomodano per adesso alla osservanza di pace; e stanno per alquanto quieti, e penso, che in sin' à tanto, che veggano come li succederanno nella guerra di mare i primi sforzi di quest' anno. Ove da tutte le parti delli loro stati fanno concorrer tutta la moltitudine di loro popoli, è scielte, non solamente di migliori, ma ancora di volgari. Et è da temere molto alla Dalmatia, contra la quale per via di Bosna fanno grandissimi apparati. La conditione della quale no' sò, sela sia in consideratione appresso delli maggiori. Ma essendo lei in grandissimo pericolo, e sopra modo opportuna se la si perda à far, e la citta di Vinecia assediata è divisa dalla sua armata. A qual malo se no' occorra quanto prima, s' aprira un gran varco alli nimici, di scorrer anco verso li liti d' Italia co' li corsari overo pirati, che la Dalmatia partorira tanti, come à tempo di Romsni, che nel umbilico d' essa Italia spargeranno confusione inaudita, e forse ancho tale, che dara da fare à molti, ch' adesso invilupati nella cura delli privati odii et interessi, no' concorrono da fratelli alla difesa del Cristianesmo, e della heredita di Jesu Christo. E Dio voglia, ch' an-

cora, recatosi il dominio di mare alli poteri loro tanto vittoriosi per la disunione nostra, no' voltino al fine l' arme sue contro à tutta Italia, e comincino combatter quella si dalli mari del Tireno, come dal Adriano. Perhò desideroso io del publico bono, non poss' anco non esser sollicito di raggionare sopra cio con li podroni et amici mei quello, che sento. Vedendo le provesioni nostre tanto fredde, contra l' inimico si potente e sempre espedito, ne meno sollicito alli suoi avantaggi e danni nostri.

Ne lascierlo dirle di me ancora qualche parolina. La sanita mi serve assai comodamente, e sto qui piu à lungo, no' per altro, che per il nostro Telegdino, la cui causa hora è nel foro judiciale. Ne si dispera di vittoria, la quale condotta al fine, mi transferiro à Tirnavia. Ove fatte l' ordinationi di sacri ordeni, consecrato il santo chrisma, e celebrate le feste di Pasqua, andero ad Wywar, e vi per alquanto tempo restero, e sollicitero la reparatione di quella fortezza. Dippoi quello mi converra fare, il tempo dimostrera. Ne occorendom' altro per adesso, sol che li mando la copia del Breve di Sua Santita nostro Signore, il quale mi è giunto la prossima posta. Nel quale Sua Santita, com io veggo, m' è stata molto gratiosa in quella parte del detto Breve, qual dice, che nelle Diecesi d' altri, non requisitis Ordinariis, possa ordinare et in Pontificalibus celebrare. Il che Signor Iddio ricompensi a Sua Santita con la vita longhissima. Ne occorendome altro per adesso, il Signor Iddio la conservi sana e prosperi in tutto. Da Posonio alli XXVIII. Marzo LXXI.

LXVI.

Krusich Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Joannem Crusyth.

1571. mart. 25. Litteras Magnificae dominationis Vestrae, et supplicationem orphanorum Egregii quondam Ladislai Radhy, dominaeque eiusdem relictae coniugis, ac Egregiorum dominorum nobilium Petri Kyzzel de Közep Malethin, Nicolai Osko, Leonardi Dienka de Also Malethin, Michaelis Mythoska de Marczelfalwffa, et Martini Farkas de Lazan ad Eandem factam et directam intelleximus. Ac ubi Magnifica dominatio Vestra, tam suo quam etiam ipsorum orphanorum, ac Egregiorum dominorum nobilium praedictorum nomine agit, ut modum aliquem invenire velimus, quo controversia, quae est inter eosdem supplicantes et Michaelem Bathycz, parochum Ecclesiae Sancti Michaelis Archangeli in possessione Zentmyhal in Comitatu vero Lyptoviensi existente, condescenderet, et componeretur; Magnifica dominatio Vestra movet opus et pium et valde laudabile, nec minus Christianum, ac religione nostra dignum. Sed quum idem parochus passus sit a supramemoratis omnibus non solum ingentes iniurias, imprimisque ab ipso Ladislao Rady, sed et verbera, et spolia, et expulsionem e suis bonis, violato interim et templo, et sacris eius prophanatis, non sine maximo populi scandalo et Dei blasfemia: nescimus omnino in hoc, ad quod postulamur, procedere,

nisi via judicii et aequitatis. Et quum in eundem quoque parochum tam horrenda dicuntur et conscribuntur libellis scelera : nec nos aure surda praeterire illa convenit, nec ipse ante condemnari ac puniri potest, quam et causa sua cognoscatur, et convincatur in judicio omnium eorum, quae sunt obiecta illi.

Quum autem in judiciis etiam civilibus observatur, ut ii, qui similibus actibus potentiariis ante litem affligantur, restituantur in pristinum, sicque demum in eum formetur actus judiciarius; ita etiam in ecclesiasticis controversiis consuevit fieri. Quapropter curet Vestra Magnifica dominatio, ut idem parochus Michael Batycz restituatur in pristinum omnium bonorum suorum, eique reddantur universa, quibus est spoliatus; postea jure et justitia mediante contra illum procedatur. Ne autem quicquam decedat partibus, quod ad earum aequitatem pertinet, neve etiam tanti casus revisio aut omittatur, aut differatur Metropolitani Fori nostri negligentia; quum eiusmodi enormia nec in clero nostro pati volumus, nec etiam sustinebimus, quoad Divina ope iuvabimur, ut Ecclesiarum Dei non habeatur ratio: nos ipsi hoc judicium facere decrevimus, eique diem dominicam Jubilate constituimus. Ad quam, ut pars eorundem orphanorum Ladislai Rhady, et dominorum nobilium, conveniat cum suis juribus necessariis, Vestra Magnifica dominatio dabit operam. Non praetermissis testibus, quibus in eundem parochum dicta comprobare debebunt; non praetermissuri similiter, ut idem quoque parochus ibidem dicta die compareat. Et Deus Magnificam dominationem Vestram diu servet incolumem. Posonii 25. Martii 1571.

Ceterum intelleximus, Vicarium nostrum heri

nominine Magnificae dominationis Vestrae et suprano- minatorum dominorum nobilium in praesentibus Judiciis fuisse citatum in eadem causa, pro qua ad nos scripsit; miramurque, cur sic nobiscum agit duplici via, Sedemque nostram tam parvi ducat, quum nos habentes Magnificae dominationis Vestrae, et eorundem dominorum nobilium respectum, praefatam causam in nos ipsos revidendam receperimus, et tam breve tempus illi praefixerimus, quo sine dilationibus terminorum et cognoscatur, et finiatur. Quod haud dubie non tenebamur facere. Ne tamen desimus dominationum Vestrarum amicis, curemusque, ut eorundem parcatur sumptibus et laboribus, inducti sumus ad hoc faciendum. Sed quum multi nec nostra agnoscunt officia, nec religionis reverentur sanctitatem, sine ullo respectu in Divinam ordinationem invecti, nec templis Dei, nec Sacris Ecclesiasticis parcunt, dominiumque in sacerdotes sibi usurpantes, eos prius etiam, quam jura demeritaque illorum perspexerint, et Ordinarios suos Praelatos admonuerint, et verberant et diripiunt; postea jus super eorum facinora administrari sibi exigunt; quem morem vetus nostra Regni Hungariae non habuit disciplina. Quia quilibet eius ordo bene colebat suos magistratus; nec saecularis spiritualem sibi vendicabat, nec spiritualis saecularem. Esset itaque valde necessarium, si iam tandem ii, quos haec tangunt, melius de religione cogitarent, ut tot flagella, quibus assidue coelitus verberamur, minuerentur nobis, et omnes una tot malis levaremur. Quia alioqui ad extrema prosternemur.

LXVII.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Catholica Imperatoria ac Regia Maiestas,
Domine, domine semper clementissime!

Post humillimam perpetuam et fidelem servitutem 1571. mart. 26.
meam in gratiam Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis commendationem. Camera Hungarica diebus proximis, ostenso mihi Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae clementi mandato, petiit a me in arendam primum Turocziensem, deinde Newgradiensem decimam. Quum autem et pretia earum minuit, et deponere ipsa Camera differt, quae a privatis hominibus maiore summa et praesenti pecunia recipere possem: Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae humillime supplico, dignetur clementer gratiam mihi concedere, ut easdem decimas libere et pro arbitratu meo elocare queam, cui ipse voluero. Novit enim benigne, quantos sumptus absumit mihi arcis Wywariensis miles, reparatio, et sex millium annua pensio; ne commemorem, quantopere proventus etiam anni currentis provenerint exigui coelorum intemperie. Quum vero et miles, et reparatio, immo et ipsa pensio paratam exigit pecuniam: supplico iterum humillime, dignetur Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer ad has meas difficultates respicere, et benigne indulgere. Quia profecto, si hunc in modum distrahentur redditus mei, non sufficiam tanto oneri. Quum iam ratione pensionis ad quinque millia talle-

rorum deposuerim, nec adhuc tamen factus sum piseti compos; et accedente huc decimarum quoque Comitatuum Gewmeoriensis, Tornensis et Zoliensis anni superioris insolutione, pro quibus nonnisi verba refero tam a Scepusiensi, quam a Posoniensi Camera; negatis interim mihi etiam reliquiis pensionis Agriensis florenorum mille nonaginta: Sacratissima Maiestas Vestra clementer videat, quantis premar incommodis, quantis necessitatibus aestuem.

Ne autem et illud praeteream, quod expresse fit contra mandata Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis; commiserat enim strictissime Scepusiensi Camerae, ut me in possessionem oppidi Archiepiscopalis Rosnobaniensis et pertinentiarum illius, quae sunt villae quatuor Sayopispeky, Velkenie, Chwczon et Nadabolya restitueret. Quarum restitutis mihi cum oppido duabus Chwczon et Nadabolya; adhuc duarum reliquarum compotem me non fecit, in dominos proximos Commissarios reiecta causa, qui eas Pwtnokiensi Praefecto Andreae Terek in usum addixissent, nescio cuius debiti nomine. Supplico itaque quam humillime, dignetur Sacratissima Imperatoria Maiestas clementer mandare supra nominatis Cameris: ut anni superioris decimae mihi persolvantur, praesentes autem pacifice mihi permittantur, aut eas praesenti pecunia et moderno pretio persolvant, utque ipsa Scepusiensis liberet a Pwtnokiensi Praefecto memoratas possessiones duas Sayopyspeky et Velkenye, et eas mihi iam tandem reddat et assignet; ne bona Ecclesiae hoc usu illegitimo in ius laicum alienentur, ego vero iacturam in eis faciam. Et Deus Optimus Maximus Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem sospitet et felicitet. Posonii 26. Martii 1571.

LXVIII.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem.

Accidit proximis diebus, ut in hac Posoniensi 1571. mart. 26.
Ecclesia, quae est filialis meae Strigoniensis, Canonicus quidam moreretur. Cuius canonicatum quum alteri cuidam sacerdoti bene idoneo pro juribus Archiepiscopatus mei, et pro praedecessorum meorum usu conferre vellem; Reverendissimus dominus Varadiensis Stephanus Radetius Electus eius Ecclesiae Praepositus opposuit se, et alium auspiciis suis creare voluit, dicens sibi in eadem Ecclesia conferendi beneficia jus Patronatus competere. Res propterea inter nos in contentionem venit; me Archiepiscoporum Strigoniensium antecessorum meorum jus vetus retinendo, ipso novum suum ingerendo et sibi arrogando. Demum ambo Capitulum cum protestatione inhibuimus ab investitura cuiuspiam; ego quem ille nominasset, ipse vero quem ego. Sic inter nos orta controversia, etsi ipse pluribus nominibus, inprimisque amplissimorum diplomatum Archiepiscopalium praerogativis, deinde usus perpetuitate, ab antecessoribus meis summo studio optimeque conservati, ac etiam per manus ferme mihi traditi, poteram hoc jus meum non immerito omnibus modis prosequi. Sed ubi idem Reverendissimus dominus Varadiensis porrexit mihi litteras Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae, quibus ei jus Patronatus in eadem Posoniensi

Ecclesia conferendi beneficia donatum fuisse apparebat: mox eisdem Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae litteris omni exhibita reverentia, cepi consilium, vitandum esse mihi, ne scandalo essemus laico populo, si hanc nostram contentionem palam strepituque manifesto urgeremus, et alter nostrum ambitionis, alter vero parvi judicii fuisset accusatus; meque prorsus inhibui et adstrinxi a contentione memorata, donec totam hanc ipsam controversiam ad Maiestatem Vestram humillime deferrem, privilegia mea diligentius everterem, solertius excuterem, et uberius, quid scilicet haberem hac in parte juris, perspicerem. Sic interim duobus iam eiusdem Ecclesiae defunctis Canonicis, nec aliis in eorum loca repositis; et Ecclesia ipsa in ministris deficit, et nobis in mutuas passiones raptis minus eidem consulitur.

Quum autem clara sunt et amplissima super hac re Archiepiscopis Strigoniensibus privilegia, quae non obscure docent, quod jus Patronatus sic eis semper alias a Divis Hungariae Regibus collatum fuerit, ut nullius consortio in eius possessione gravarentur; nominatimque in Ecclesia Praepositurae Posoniensis, cuius omnia beneficia, quovis nomine nuncupata, tam intra, quam extra eius civitatis muros, et per totam Dioecesim suam habuerint conferendi facultatem. Et hoc jure Patronatus quod immediati antecessores mei per series suas succesorias: Joannes, Thomas, Georgius, Ladislaus, Paulus et Nicolaus Olahus (ne nunc vetustiores commemorem) usi fuerint in eiusdem Praepositurae donandis beneficiis: et privilegia (uti iam dixi) plura, et omnium extantes adhuc cum sigillis et subscriptionibus suis donationales litterae testantur et fidem faciunt.

Quum vero alia etiam sunt non pauca argumenta, ex quibus colligitur, hanc eandem potestatem semper fuisse penes solos eosdem Strigonienses Archiepiscopos : quicquid proventuum eidem Ecclesiae in Posoniensi Comitatu provenit, ex decimis provenit Archiepiscopalibus. Unde vocantur etiam hiidem proventus decimae decimarum, quia ex Archiepiscopatus decimis sumpti sunt et constituti.

Praeterea quum eiusdem Praepositurae Praepositi ab Archiepiscopis Strigoniensibus coguntur confirmari, si legitimi velint esse Praepositi, jurantque omnes investiturae et confirmationis suae tempore, quod Archiepiscopis memoratis fideles, obedientes et subjecti erunt, quodque juribus, immunitatibus, libertatibus, praerogativis et similibus omnibus jurisdictionibus eorum non adversabuntur, multo certe minus eripere conabuntur : qualiter Reverendissimum dominum Varadiensem juris Patronatus mei consortium ambire conveniat, vel ex his paucis facile cuique constare potest. Quum eidem quoque Reverendissimo domino quondam Nicolao Olaho piae memoriae antecessori meo, ac successoribus suis, quum ad Praeposituram Sancti Stephani, quae est in Ecclesia mea Strigoniensi, assumptus est, solennissime juravit. Nec mirari sufficio, quonam animo, et qua tum ratione tum conscientia id attentat et mollitur.

Sed quum omnes simus homines, et imbecillitati mortalium nemo sit non obnoxius; quum et ipse habeam affectus meos ut homo : libenter tamen eundem Reverendissimum dominum Varadiensem excusabo sollicitudinis, si in ea parte, qua est filialis Ecclesiae meae Electus Praepositus, et ex Archiepiscopalibus proventibus simul cum Capitulo fruitur redditibus,

Ordinario suo et eius juribus cesserit. Alioqui Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae humillime supplico, dignetur clementer mandare illi, ut desistat ab hoc consilio et ab hoc studio, quod alios etiam Praepositos antecessores suos fefellerit, eisque fuerit irritum.

Tentavit enim hunc conatum Reverendissimus etiam dominus Zagrabiensis Episcopus Drascovicius, et movit omnem lapidem, ut huiuscemodi voti compos fieret. Sed frustratus omnibus et machinis et conatibus, quos intenderat, via Judicii non successit illi, quod expetierat, victusque tandem est et succubuit, agnovitque Archiepiscopi sui, successorumque suorum legitima jura; extatque nunc etiam huius rei apud me diploma. Franciscus quoque Forgach, similiter eiusdem Ecclesiae Praepositus, monitus casu antecessoris sui domini Drascovicii, quo a causa simili exciderat, eam non attigit, neque se in Archiepiscopi sui jus Patronatus ingessit. Quod semel a Sacratissima Maiestate Vestra mihi pro sua bonitate et munificentia clementer collatum integre et peculiariter iuxta morem antea solitum, nimirum quod se extendit non tantum ad Strigoniensem solam, sed etiam ad omnes suas filiales Ecclesias, antiquissimis privilegiis nominatim comprehensas, idque plurium Divorum Regum Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae praedecessorum testimonio : humillime supplico, ne velit in eo consortem mihi opponere, juriumque Strigoniensis Archiepiscopatus vetustatem novitati cuipiam minus legitime subiicere. Esset enim indignum, si tot praeteritorum Divorum Regum privilegia huic tantae Ecclesiae zelo Christianitatis donata, quorundam erga me malevolentia infringerentur. Indignius quoque et

ipse facerem, si in eis jure et justitia mediante defendendis studium praetermitterem oscitanter, conniveremque ad ea mihi per ambitum infirmanda, usum eorum negligendo; maxime quum et ipse Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae iuraverim pleno Consilio, quod Ecclesiae meae nec bona alienabo, nec immineam jura, alienata vero et imminuta, quoad potero, restituere et recuperare non negligam.

Ne itaque pluribus nunc similibus rationibus in causa mea defendenda Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram molestem, quae, si opus fuerit, non supprimentur suo tempore, iterum humillime supplico, dignetur Archiepiscopatus mei jura clementer pro aequitate habere commendata; dominumque Varadiensem ab hac voluntate et ab hoc studio clementi authoritate sua removere, ne cum scandalo publico contendamus, et iis, quibus bona, pia ac sancta debeamus exempla, eos et erga Divina negligentiores, et contra nos reddamus commotiores, quam fuerunt hactenus, et sunt etiam modo, vel ex minimis lapsibus. Ad quod si induci poterit, boni et Episcopi et Praepositi fungetur officio; sin minus, Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae judicio totam rem permittat. In quo meis etiam juribus rite perspectis, sic demum ea poterit ferri sententia, quae congruet aequitati.

Ceterum quia ipse Reverendissimus dominus Varadiensis sola Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae donatione juris Patronatus sibi XXIX. mensis Julii anni 1569. facta de facultate conferendi eiusdem filialis Ecclesiae meae Posoniensis beneficia, habens ternas etiam alias similes Divorum Regum Mathiae, Ladislai et Ferdinandi eiusdem tenoris in-

dulti in alias personas temporibus suis collati. Sed quia recentioris temporis huiusmodi donationes vetustiorum temporum donationibus praeiudicare nequeunt nostris legìbus; quod qui sunt (ut jurisperiti dicunt) priores in tempore, ii etiam potiores habentur in jure: non esset alienum ab aequitate, si super hoc consulerentur leges nostrae. Nec absurde pro id (így) supplico. Quia haec causa antea quoque fuit in Judiciali Foro, juraque Archiepiscoporum Strigoniensium, quae a tot saeculis ortum habuerunt, semper et praevaluerunt heri (ut ita dicam) natis, et nos etiam vidimus hoc hac ipsa nostra tempestate in Reverendissimo domino Zagrabiensi Episcopo Drascovicio, quemadmodum supra attigi, qui super hac eadem re mota lite Reverendissimo quondam domino Nicolao Olaho praedecessori meo, et crociter ea agitata, demum succubuit, et quale juramentum eidem iam victus praestitisset, ex hoc eius exemplo Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer cognoscere dignabitur.

Quum ego itaque, clementissime Imperator, plurimis et privilegiis et rationibus, ac etiam usu ipso, iam a memoria hominum in cursu suo per tot Archiepiscopos praedecessores meos continenter suis legitimis modis defenso et conservato, existimo, me rite fungi officio meo, tuendo et dona Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis, ac jurisdictiones et privilegia mea; inter quae, et ea, quae sunt Reverendissimi domini Varadiensis, quantum discrimen intercedit, iam vel ex his, quae praemissa sunt, facile apparet.

Quum vero et in tripartito legum Hungaricarum volumine non obscure expressum sit, num vel privi-

legia vel huiusmodi indulta posteriorum temporum priorum privilegiis indultisque praeiudicare possint; quumque etiam saepenumero fieri consuevit, ut Principes minus sinceris informationibus imbuti, annuant referentium suasionibus, et hunc in modum iisdem Principibus nihil tale cogitantibus, neque volentibus, iustis, et autentice iam collatis juribus, in usumque receptis, in eodemque firmatis praeiudicium contingit: quod ut non debet fieri, ita et Principes indirecte ad aliquid simile persuasi, aegre ferunt postea, id sic eis evenisse praeter eorum omnino voluntatem. Qui maxime semper student, ut a recto nunquam recedant.

Quapropter in calce diplomatum donationalium ea clausula „salvo jure alieno“ ad cautelam de huiusmodi sinistris informationibus inseri solet; ut aliena aequitas vel neglecta vel male procurata, remediis non careat opportunis. Quae quum in his Reverendissimi domini Varadiensis donationalibus super jure Patronatus, quod mihi Ordinario suo eripere conatur, non sit inserta, habenda est consideratio non exigua.

Quum autem juravit praedecessori meo et successoribus eius, quum in Praepositum Sancti Stephani investitus est (uti iam dixi), quod jurisdictionibus eorum non adversabitur, neque jura oppugnabit, sed fideliter et pro viribus suis tuebitur, ac subiacebit illis, quemadmodum Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra ex hac hiis meis adiuncta huius ipsius eius juramenti copia clarissime perspiciet: num pro eodem suo juramento agnoscat me eiusdem praedecessoris mei successorem, ac in Ecclesia Strigoniensi Metropolitanum, meaque jura, privilegia, jurisdictionesque rite et bona fide tueatur?

Proinde quia et confirmari a me in eadem Prae-

positura debet, ut sit legitimus Praepositus; quod omnino sine simili juramento minime fieri poterit, quodque veteres praedecessores mei Capitulo et Praeposito Posoniensi de decimis suis proventum nunquam ordinassent, nisi eos subiectos sibi ac successoribus suis reddidissent, quam legem nunc etiam Capitulum ipsum observat non invite, et de novitatis huius tum exortu tum ambitu magnopere admiratur: Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra videat clementer ex his etiam, quam eundem dominum Varadiensem liceat in mea iustissima causa mihi esse molestum. Quippe qui, si hoc jure Patronatus sibi collato per illud dumtaxat tempus contentus esse voluisset, quo Archiepiscopalis sedes vacavit, necdum novus Archiepiscopus creatus, nominatus et pronunciatus fuerat, siluissem. Quandoquidem et Reverendissimus condam dominus Franciscus ab Wylak, eiusdem Ecclesiae Praepositus, id facultatis a Sacratissima Imperatoria Maiestate defuncta, charissimo olim Maiestatis Vestrae genitore, non alias obtinuit, quam eo tunc, quum Paulus Archiepiscopus Joannis Regis partes sequebatur. Quod facile a Mathia quoque, et a Ladislao Regibus, quorum litteris aeque dominus Varadiensis nititur, ac Vestrae Maiestatis, tali tempore concessum est, quum videlicet Archiepiscopalem Sedem vacare contigit, ut post mortem accidit Olahi quoque. Sed postquam idem Archiepiscopatus cum suo integro jure Patronatus per benignitatem et gratiam Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae mihi cessit: non video, clementissime Imperator, cur alteri cuippiam conferri debeat, nullis hoc demeritis meis exigentibus, quod semel collatum est mihi. Et maxime, qui non ambitione ulla, sed tantummodo, ut succes

soribus meis hunc ipsum Archiepiscopatum juribus et jurisdictionibus suis non diminutum in obitu meo relinquam, ut accepi.

Et tametsi plura me super hoc scribere cogebat iustissimus dolor; nimirum quod a coantistite et a confratre sic oppugner, et in existimatione ac juribus meis laedar : parcendo tamen sanctissimis Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae auribus, omni cum summissione et reverentia finem facio, ne prolixitate sim molestior. Illud tandem magna spe mihi polliceor, quod et haec ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram de juribus meis informandam sufficient, et quod clementer aequitati meae favebit, meaque jura habebit commendata. Posonii 26. Martii 1571.

LXIX.

A pozsonyi káptalannak Verancsics Antal.

Ad Capitulum Posoniense.

Ad mandatum Sacratissimae Imperatoriae Maie- 1571. mart. 26.
statis, domini nostri clementissimi, ad vos datum, de investiendo concionatore vestro in Canonicatum istius filialis Ecclesiae nostrae Posoniensis, legimus et intelleximus, eidemque pro subiectione, et fidelitate mea Maiestati Suae debita, omnem honorem et reverentiam facientes, certiores imprimis vos facimus, in eodem mandato non esse expressum, ut vel nostris,

vel domini Waradiensis donationalibus memoratum concionatorem, vel alios, qui interim occurrerent promovendi, investiatis. Ideo si quas forte idem dominos Waradiensis donationales vel per se, vel per eundem investiendum mittet in vestri medium, vos authoritate juris patronatus nostri cum protestatione inhibemus a dando illis loco, earumque vigore investiendum investiendo. Quoniam autem vos primum Sacratissimae Suae Caesareae ac Regiae Maiestati, deinde nobis, postremo Praeposito vestro jurati estis; et nobis quidem, ac Praeposito sic, ut jura nostra per vos non laedantur; ad hanc memoratam concionatoris investituram, pro clementi Sacratissimae Suae Imperialis et Regiae Maiestatis voluntate ac mandato, vos ipsimet bene scitis, quid conveniat vobis facere. Nam et mandatum ipsum ad vos est datum, et in eo hoc solum continetur, ut concionatorem investiatis. Nos cum domino Waradiense jure agamus, quicquid inter nos ortum est controversiae. Potestas vero Principum quum duplex sit in omnibus rebus, ordinaria et absoluta; ordinariam dudum, quod attinet ad jus Patronatus, in quantum Archiepiscopatus nostri extendit sese jurisdictio, clementer ac benigne nobis contulit. Cum absoluta non est contendendum. Omnium itaque, quaecunque super hac re facturi sitis, ipsi videatis. Nos volentes juribus et jurisdictionibus nostris non cedimus; sed pro clementi Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis mandato in hiisdem defendendis jure procedemus. Posonii 26. Martii 1571.

LXX.

A liptói esperestség plébánosainak Verancsics Antal.

Ad parochos Conventus Lyptoviensis.

Litteras vestras super negotio magistri Michaelis 1571. mart. 26. Bathycz, parochi Ecclesiae Sancti Michaelis in Conventu Lyptoviensi existentis accepimus et intelleximus. Ac ubi vos etiam gravari videamini de his, quae ipse egit, in non concedenda sepultura Egregii condam Ladislai Rhady, voluissemus, ut hoc rei magis catholice considerassetis. Nam qui cum Ecclesia Catholica non sentiunt, nec eius sequuntur dogmata, et insuper templa effringunt, Sacra Deo dicata profanant, sacerdotesque verberant et diripiunt, excluduntque ex suis bonis, cuius sint et religionis et pietatis, vosmet judicetis. Et sententiam feratis, num in Catholicorum caemiteriis sepulchrisque liceat eorum cubare corpora. Ac etiam memineritis illius instituti Sacri Decretalium Canonis, quo docemur, ne cum defunctis communicemus, qui viventes a communione nostra refugerunt, nec sepultura fruantur ecclesiastica, qui se ab unitate Ecclesiae Catholicae separarunt. Quomodocunque tamen huiusmodi casus accidit, nec hanc, nec illam partem nunc vel probamus, vel improbamus; quum et domini nobiles cum Magnifico domino Joanne Crwsyth et cum officiali suo, iam defuncto Ladislao Rhady, si tot Ecclesiarum sunt patroni, non debebant in sacerdotem et in templum Dei

saevire, privatumque imperium exercere, et ipse etiam Michael Bathycz magnae correptioni est obnoxius, si vera sunt, quae de illo scripta sunt nobis. Et haec ut Judicio revideantur, et sic demum sopiantur via aequitatis, hoc ipsum Judicium in nos transtulimus, in quo personaliter adesse volumus, eique diem Dominicae Jubilate proxime venturae praefiximus, Tyrnaviae transigendam. Jamque et Magnifico domino Joanni Crusyth super hoc dedimus litteras, ut pars eius dominorum nobilium, ac orphanorum Rady eo tunc Tyrnaviae compareat; et hoc ipsum scribimus etiam Michaeli Bathycz, ut ipse quoque eodem tempore Tyrnaviam venire non praetermittat. Et bene valete. Posonii 26. Martii 1571.

LXXI.

Podosius Lukács lengyel követnek Verancsics Antal.

Ad Lucam Podosium Oratorem apud Caesarem Polonum.

1571. mart. 28. Ego iam Paulum nostrum Jakimovium incipio accomodare ad usum rerum; ut tandem, sicuti excessit ex ephaebis, coepitque esse maturior, ita et ex negotiorum experientia discat Congressus Principum, et gerendis rebus fiat aptior. Misi eum ad Maiestatem Caesaream non in parvis rebus meis; rogoque Reverendissimam dominationem Vestram, dirigat illum, si quid in eo desiderabit, animadvertetque, esse dili-

gentius admonendum et edocendum. Non congrèssus Principum sunt ut communium hominum; et nisi prudentia et judicio polluerint, qui eos adeunt, frustra erit talibus et eloquentia et audacia. Habeat itaque eundem bene commendatum. De rebus novis partium nostrarum nihil est tale, quod dignum esset litteris. Et si quae essent perfunctoriae, in Jakimovium eas reiicio referendas, qui apud Reverendissimam dominationem Vestram erit mea epistola. Reliquum est, non gravabitur exhibere officia mea Reverendissimo domino Posnaniensi et Magnifico domino Bekes; quos etiam nomine meo plurimum salvere iubebit et felicissime valeat. Posonii 28. Martii 1571.

Melléklet.

Instructio Paulo Jakimozky ad Caesaream Maiestatem proficiscenti.

Paulus Jakimozki apud Maiestatem Caesaream post exhibitionem litterarum sollicitabit, ut Sua Maiestas in auditis et cognitis meis juribus non privet me jure Patronatus meo in conferendis beneficiis Ecclesiae Posoniensis iuxta supplices meas litteras nunc ad Maiestatem Suam datas.

Laboret quoque pro mandato ad Cameram Hungaricam, et curet, quo mihi decimae anni praeteriti Gewmerienses, Tornenses et Zolienses persolvantur.

Item pro alio etiam mandato ad eandem Cameram, ne me in decimis Turocziensibus et Newgradiensibus molestet; aut si secus fieri nequeat, mandetur illi, ut eas praesenti pecunia persolvat, et eo pretio, quod a privatis hominibus habere possem,

quia Wywarienses milites, reparatio ac annua pensio paratas exigit pecunias.

Laboret etiam summo studio, ut duae possessiones Sayopispeky et Velkenye in Comitatu Gewmeoriensi existentes, pertinentesque ad oppidum meum Rosnobanya, mihi per Cameram Scepusiensem restituantur. Super quo similiter eximat mandatum serium.

Postremo faciat mentionem de Praepositura Turocziensi, iam in fine, quum incipiet mandata expedire. Nimirum quod ad binas meas supplicationes nullum adhuc habui responsum; et supplicet tam pro responso, quam pro concessione eius. Et si concedetur, petat pro hoc quoque mandatum ad Cameram Hungaricam.

LXXII.

Forgách Simonnak Verancsics Antal.

Ad Simonem Forgach.

1571. apr. 2. Quum nullus est vel dominorum, vel amicorum nostrorum fere in toto Regno, qui de decimis nostris communicare aliquid non contendat; et quum omnes videant, immo etiam cernant molem variorum sumptuum, qui incumbunt humeris nostris, maxime autem illos, qui nobis faciendi sunt in singulos menses ad arcem Wywarinam, maiorem tamen respectum ad privata commoda sua habent, quam ut nobis vellent

etiam mediocriter compati; ne tamen desimus omnino officiis, quae amicis debemus, utique tantum eis impartimur, quantum possumus. Nolentes imprimis his impensis et oneribus nostris deese, quae et ex necessitate Reipublicae, et ex debito debeamus arci Wywarinae. Magnificam itaque dominationem Vestram summopere petimus, sit ipsa ea dumtaxat parte contenta, de qua iam responsum a provisore nostro habuit. Neque a nobis gravate accipiat, quod eam uberius non providemus. Videt enim sumptus, qui nos gravant; videt temporum intemperiem; videt etiam paucitatem proventuum anni huius; nec ignorat quanam premar pensione, et decimarum insolutione, quas a nobis exigunt Camerae. Et nisi curabimus, ut in specie decimae nostrae, immo potius militum, et ipsius arcis Wywarinae (conserventur); nec muneri, nec oneri nostro sufficere poterimus. Rogamus itaque, habeat nos excusatos, et decima Chehy sit contenta. Nec ex aequo omnibus satisfacere possimus.

De querimoniis nostrorum subditorum, quod huc usque scripsimus, non exaggerabo pluribus. Ipsamet etiam novit, quantum sit parcendum miserae plebi, tot aerumnis pressae et afflictae; quum ad haec limites etiam quorumdam bonorum nostrorum occupentur. Nec propterea praecipitanter vel movemur vel erumpimus. Quod nec nostri est ingenii, nec tam parvi benevolentiam Magnificae dominationis Vestrae ac dominorum fratrum suorum facimus, ut inconsiderantius tale aliquid committeremus, propter quod judicium et prudentia nostra desideraretur. Quum vicinos cum vicinis amice et concorditer vivere maxime oporteant, si et nobis ipsis et Reipublicae consulere velimus. Commendamus igitur denuo omnes nostros

pauperes Magnificae dominationi Vestrae, ac etiam dominis suis fratribus; quos una cum Magnifica dominatione Vestra felicissime valere cupimus. Posonii 2. Aprilis 1571.

LXXIII.

Gróf a Salmis Gyulának Mustafa budai passa.

My Mustafa Pasa, az hatalmas teoreok Chazarnak főheltartoya Budán, és gondviseleoye Magyarorzagnak.

1571. apr. 6. Tekentetes es Nagisagos Vr, nekeonk zerelmes zomzed barathonk. Keozeonetheonknek es barathsagonknak ayanlasanak wthana. Hyzzwk, hogy hyretekkel wagyon az Erdely Kyraly halala, ky ez eleoth wgymynth 19. vagy 20. nappal holt meg. Es mynket choda hyrekkel ertetnek, hogy myvel Erdelyhez keozel walo varbely kapytanyoknak meg hattatok wolna, hogy walamy yndytast tennenek Erdelyre. Ennek eleottc hogy Zenth Myklos ala yöttenek walays, soksor azt yrtatok, hogy nem ty akaratotokbol mentenek wolna; jollehet ha walamy nyereseggel yarhattanak wolna, talam ty akaratotokkal let wolna az yndulath. De az mynd mullyek el, elys mult: hanem mostan my azon kerónk, hogy az wegbelyeknek feokeppen Erdelyhez keozel waloknak ereosen megh paranczollyatok, hogy veztegsegben legyenek, myert hogy Erdelys az my kegyelmes fejedelmónk yozaga, mostan pedygh ebbeol megh teczyk, hogy ha hywen akaryatok az my kegyelmes feyedelmónkel az fry-

gyet megtartany, tehat mynden ellenkezeoknek yndytasyth le szallyccyatok, kyt az my kegyelmes feyedelmeonk es my yo newen wehessónk tólctek, ha pedygh wgyan az zandekok, hogy walamy haborusagoth yndychyanak, byzonyaba semmyth wele nem nyernek, mert hyzzwk byzonnyal, hogy egy holnapot nem er Erdely hataraba eothwen az wagy hatwan ezer tatar be erkezyk. Mas az, hogy ysmeg az Erdelyek az my kegyelmes feyedelmónk yo akarattyabol ónón magok kózót az wrak kózzwl walaztottak feyedelmeth keozeotteok magoknak, kyk eo feolsegeth myndenben hywen akaryak zolgalny. Azert ha myt yndytnakys, magoknak teznek kart wele. Isten eltesse Nagisagodat. Budae 6. die Aprilis 1571.

LXXIV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Catholica Imperatoria ac Regia Maiestas,
Domine, domine mihi semper clementissime!

Post humilem ac perpetuam et fidelem servitutem meam in gratiam Vestrae Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis commendationem. Misi Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae novitates quasdam Turcicas, quas Wywariensis Capitaneus tribus vicibus ad me dedit. Hodie quoque allatae sunt mihi litterae Magnifici domini Comitis a Salmis Ecchii, ex quibus deploratissimum casum Georgii Tury et Cani- 1571. apr. 14.

siensis praesidii intellexi; et edoctus sum, quid Passa quoque Budensis de Transilvania cogitet, morte filii Joannis Regis audita, maxime si qui hinc motus excitarentur illius causa. Super qua re, quum diligentius mecum expenderem, quorsum essent omnia evasura, si quae Maiestas Vestra publico Christianitatis beneficio armis attigisset; putavi fidelitatem meam concernere, si ea Eidem Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae humillime perscripsissem.

Quum igitur videam, hoc anno terra marique confoederationem non successuram, futuram tamen expeditionem maritimam virium Summi Pontificis, Hispaniae Regis et Venetorum: existimarem omne ingenium esse adhibendum, ut Veneti ab incoepto bello non desistant, neque cum Turca renovent pacem; supersederet Vestra quoque Maiestas Sacratissima a studio armorum Transilvaniae causa. Idque maxime, si casui et fortunae res esset committenda, movereturque in incertum. Quia hoc si forte accideret, haud dubie consequeretur, quod Turca premi se a Maiestate Vestra videns, mox cum Venetis rediret in amicitiam, et in Vestram Sacratissimam Maiestatem totam belli molem converteret. Ne autem omnino excideret a jure et a spe Transilvaniae, censerem alicui privato ex provincialibus illis committendam his condicionibus, quae etiam inposterum Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae suffragarentur. De quo modo (uti audivimus) etiam antea cogitatum est. Neque hoc esset alienum a commodis Christianis; donec universi Principatus Christianitatis bene et rite omnibus difficultatibus inter sese compositis, in unum tum animis, tum viribus uniti, simul hinc terra, inde mari concurrere possent.

Supplico demum humillime, ut si quid de his ad Maiestatem Vestram scribendo temerarius commisissem; dignetur mihi clementer ignoscere. Nollem enim, ut Maiestas Vestra aliis liberata a sumptibus et a periculis, Regna et provincias suas periculis exponeret. Quia quantum ego intelligo, Veneti, ut voluissent hóc bellum non incoepisse; ita propensissime repetent cum hoste pacem, si vel mediocriter intra dedecus et demissionem existimationis suae poterunt. Igitur contineantur quoad eius poterit fieri; quum et mari plurimum pollent, et si denuo intricabuntur retibus Turcicis, difficile unquam in posterum eo deducentur, quo nunc ipsimet sese nimis praecipitanter coniecerunt.

Ad me quod attinet, data opera mense superiore Judiciis Locumtenentiae apud Reverendissimum dominum Locumtenentem interfui, nunc hic obeo sacra munera hebdomadae huius sanctae, postea vero festa. Ubi ad kalendas Maias sacros ordines administravero, conferam me Wywarium, et reparationem eius arcis auspice Deo aggrediar; humillimeque supplico, interim dignetur Sacratissima Maiestas Vestra de Praepositura Turocensi clemens responsum mihi facere; neque super ea quosdam exaudiat, qui certe sua, non reipublicae commoda quaerunt, et absurda suggerunt. Ego quem scopum intueor, Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra ut bene novit, ita multis iam non agam. Quam Deus Optimus Maximus diutissime sospitet et felicitet. Tyrnaviae 14. Aprilis 1571.

Eiusdem Vestrae Catholicae Imperatoriae et Regiae Maiestatis
servitor subiectissimus et obedientissimus
Electus Strigoniensis mp.

Kívül: Sacratissimae Catholicae Imperatoriae ac Regiae Maiestati etc. Domino, domino mihi semper clementissimo.

Melléklet.

Volui significare Dominationi Vestrae nobis nunc ex Porta Caesaris nullam famam esse allatam, nisi quod illi decem captivi, quos superioribus diebus deportarunt, liberati sunt; et praeter duos ex illis capere non potuerunt. Super quo Caesar erat adeo commotus, ut meum dominum privare voluit officio suo, quum inducias non observavit; quia isti duo Principes habent nunc inducias durissimas et observabiles. Sed intelligat, Caesarem cum Rege Franciae hac aestate habiturum fortissimum bellum triremibus maritimum. Jam dimissae sunt mille triremes; antea quoque 500 discesserant, quas ignorant quorsum devenerunt; et ceterae arces suas oppugnarunt, nisi una, quae est praecipua, ut insula mari supersedet, in qua sunt inclusi multorum magnatum filii. Caesar etiam in Aprili personaliter super terram cum omni apparatu suo est moturus. Jam omnes illi, qui nulla Caesaris solutione et stipendio fruebantur, huc devecti sunt ad navigandas triremes. Plura scriberem, sed tempus tam subito nequaquam patitur. Brevi enim per litteras meas de rebus magni momenti faciam Eidem mentionem. Vestra itaque Dominatio mihi mandet etiam, si desiderat a me res qualescunque aut alia negotia. Mittendum ex voluntate domini mei gratiosissimi non negligam; sed in quibuscunque potero, paratissimus ero semper ad serviendum Dominationi

Vestrae; nam verba mea apud dominum meum non vilipenduntur.

Significandum duxi Dominationi Vestrae, quod famuli Magnifici domini mei ultima Martii redierunt Constantinopolio, sed nulla praecipua fama per eos est allata, praeter illos captivos, qui sunt liberati, et duo ex illis capti Constantinopoliumque ducti, nimirum qui curabat officium possessionis Szeogyen, secundus iuvenis quidam Croata; mandatumque ita strictissimum a Caesare domino meo attulerunt, quod si resciet, nisi unum puerum vel aliquem rusticum per eum captivari, absque dubio privabitur officio. Caesar vero personaliter non proficiscetur contra Regem Franciae propter inconsultationem scriptorum calendarii; sed capitaneum maritimum, videlicet Passam Pihaly, una cum Mustafa Passa dimittet. Nunc autem ex arce Cypriae excurrerant, Turcasque adeo afflixerunt, ut quatuor barillas amiserunt, et 8000 Turcarum occiserunt (igy), ceperunt, ac in mare submerserunt. Insuper nunc ex porta Caesaris attulerunt unum vexillum deauratum et praecipuum Joanni Balasae hoc nomine, quod velit Turca fieri. Si cetera babebimus, cum Dominatione Vestra communicare non negligam; nisi huiusmodi litteras igne consumat, ne mihi periculum consequatur.

Decrevi significare Reverendissimae dominationi Vestrae, quod fertur pro certissimo inter Turcas, filium Joannis Regis vitam clausisse. Passa itaque Budensis iam parat se ad castra; de quo meo iudicio considero et animadverto, Passam praedictum in campo Pestiensi, ubi castra fieri constituit, vigilare animadvertereque, utrum ex Partibus istis Superioribus aliquod auxilium Transilvanis deputabitur et mit-

tetur. Interim parte ab altera Passa Temesvariensis cum ceteris Sancoconibus bello apparatu omnia negotia et expeditiones contra illos aggredi, et ad finem duci non negliget. Cuius mortem magis constare Reverendissimae dominationi Vestrae non dubito.

LXXV.

Gróf a Salmis Gyulának Verancsics Antal.

Ad Comitem Ecchium a Salmis.

1571. apr 14. Habeo magnas gratias de utrisque novis, quarum altera pars valde tristis et damnosa est, altera vero dedecorosa. Jactura siquidem Georgii Twry, et tot bonorum militum eo etiam est deploratior, quod hoc maximarum rerum initio eo fuerimus privati. Adeo, ut plane cernamus, ut Deus ne vel unicum virum, in quo quaeppiam virtus eluceret, nobis vult relinquere. Nec enim in istis finibus sublato Francisco Teorcok restabat alius, quam idem Georgius Twry. Sed laudetur Deus, et festinemus ad eum reconciliandum. Quod si sedulo, et cito cito fecerimus, sic demum felicius contra tantos hostes pugnabimus. Alias nihil boni spero; quum ipsum Deum habemus iratum nobis. Cuius flagella certe non bombardis, cathapultis et gladiis superantur, sed observatione eius mandatorum, legis ac fidei a Christo nobis datae, ab Apostolis per orbem constitutae, et ab Ecclesia conservatae; cui nunc certe contra Dei voluntatem

contradicitur. Et propterea etiam ab eo flagellamur, et Turcae subdimur, a nobis vero ipsis dissidio intestino latissime conficimur, et consumimur.

De Passa vero Budensi quid rescribam? Nonne ex eius litteris Magnificae dominationi Vestrae datis plane perspicimus, quod non solum nos irrideat, sed etiam ostendit esse contemptibiles; hinc hortando nos, ut quieti sedeamus, inde Tartaris Transsylvaniae minitando. Sed in hisdem litteris turpioribus etiam afficit nos scomatibus; ingerens illud Turca insolens, nunc demum constaturum, num recte pacem cum eius servemus Principe, cuius ditionis esset Transsylvania.

Magno itaque pudori nostro dictum est, perinde atque exprobrans: quod nostra, non eorum necessitate pacem cum illis fecissemus. De quo quantum doleam, multis certe linguis non possem eloqui. Verum quid silent, quid sedent, cur denique subducunt sese nunc Monarchae Orbis Christiani a concurrendo, nec velint tanta coelitus occasione oblata erumpere in Turcam. Qui si terra ac mari simul invadetur, non sufficiet utrobique maledictus. Et quum ipse non valeat, nisi multitudine, quam semper suffulcit vafricie et perfidia; distrahendus est, ne sit in eam partem totus simul, quam invaserit. Quare suscitetur in illum Muscovita, Polonus moveat, et circumspiciat, ne prius opprimatur, quam se armet. Ipsi imprimis minatur periculum, si perivit Transsylvania. In quam si vis et rabies Turcica, maris bello occupata, Tartaros immiserit, Polonus et Moscovita Tartariam invadant. Et ita demum robur Christianitatis (et) Imperium elevet lacertos, invocatoque Jesu nomine, vexillum crucis elevetur, et signa tubae ac timpanorum dentur. Aliter si fecerimus, perpetuo serviemus; nos foris hostilis

in dies depascet gladius, et domi pavor, et trepidatio. Haec ea ipsa hora, qua recepi suas, rescripsi Magnificae dominationi Vestra, celebritatibus sacris hebdomadae huius sanctae occupatus, ne officio eidem defuissem. Cui precor omnia optima, et sit incolumis. Tyrnaviae 14. Aprilis 1571.

LXXVI.

Pankotay Ferencznek Verancsics Antal.

Ad Franciscum Pankotanum.

1571. apr. 20. Noveritis, ordinationes nos sacrorum ordinum in hac Ecclesia nostra administraturos esse, et diem dominicam Cantate iam in propinquo imminentem praefixisse eis. Quod nostrum munus quum a plerisque Dioecesibus diu iam expetitur, neque hactenus vacare illi propter graves et multiplices occupationes nostras potuerimus, existimavimus esse fortasse aliquos in istis etiam vestris partibus, qui similes candidati esse volent. Misimus ad vos etiam monitorii nostri diplomatis exempla tria, quibus late emissis et evulgatis per Agriensem Dioecesim curabitis, ut, si qui occurrerint vobis ordinandi, eos huc mittatis, sed summa diligentia examinatos, ne quid vel manifestarum vel occultarum haeresum habeant, sintque et vitae et morum honestate praediti, litterarumque bonarum non ignari, neque illegitimae geniturae. Quod reliquum est, proxime vobis scripsimus per Cassoviensem po-

stam, easque litteras si recepistis, nec ne? scire cupimus. Nam quum vos semper dilexerimus, et vestri non postremam curam gesserimus, imposterum quoque meminisse nos vestri ac vestrorum commodorum non pigebit. Quum vero non estis istic sine periculorum metu, hic nobiscum esse si velitis, libeatque longius ab hisdem secedere periculis, vobis non deerimus. Et bene valete. Tyrnaviae 20. Aprilis 1571.

LXXVII.

Haldeberg Gáspárnak Verancsics Antal.

Ad Casparem Haldebergum.

Superioribus mensibus quum essemus Viennae, 1571. apr. 20.
et Magnifica dominatio Vestra egisset apud nos summo studio, ut quosdam ex procedentibus Dioecesis Vestrae Pataviensis ad sacros ordines vellemum promovere; acciderat tunc forte fortuna, ut minus eo tempore possemus vacare huic muneri, propter ingentes et multiplices alias occupationes nostras ad rempublicam nostram pertinentes. Quod probatu non est difficile, si ad turbatissimum statum et conditionem huius nostraa afflictissimae patriae respicitur. Cui quum omni ex parte molestissimi et saevissimi hostes, idque nimis propinqua vicinia immineant; cogimur aeque nos, qui primariis Praelaturis in Ecclesiis nostris potimur, communibus malis ac periculis avertendis invigilare et esse occupati, ut laici, et saeculares

ordines. Pressi itaque per illud tempus necessitate simili, collationem huius in Dioecesim vestram, imo et in plerasque alias officii nostri distulimus, donec ad Ecclesiam nostram, tot negotiorum civilium sarcinis diversis locis depositis, rediremus, et quoad nobis licuisset, pastoralibus quoque muneribus nostris vacaremus.

Nunc itaque id opportunitatis assequuti, dominationem tuam, ut promiseramus nos facturos, edocemus, collationes nos sacrorum ordinum iam celebraturos, nostroque huic tantopere expectato muneri, diem dominicam Cantate, quae nobis XIII. Maii illucescet, edixisse et praefixisse. Quemadmodum ex hoc monitorio nostro diplomate intelliget, cuius quinque exempla eidem misimus; curamque inprimis commendamus, ut tales ad hoc sacramentum assummendum, ministeriumque in Ecclesia Dei subeundum deligat, in quibus nihil eorum desiderabitur, quae in similibus nobis et illis Sacri praescribunt Canones; maxime autem, ut sint legitimi, non apostatae, neque haeretici, bonisque litteris polleant, et vitae ac morum honestate commendentur. Quod reliquum est, Reverendissimo domino Antistiti suo, Principi Illustrissimo, offerre nos et observantiam nostram non gravabitur. Et bene valeat. Tyrnaviae 20. Aprilis 1571.

LXXVIII.

Keresztely bécsujvári püspöknek Verancsics Antal.

Ad Christianum Novae Civitatis Austriae Episcopum.

Diu est, quod a plerisque Dioecesibus sollicita- 1571 aprr. 20.
mur ad munus sacrorum ordinum exhibendorum celebrandum, propter sacerdotum et aliorum ministrorum Ecclesiae Dei penuriam, quam depravatissimae haereticorum myriades nobis hoc infelicissimo saeculo intulerunt. Cui pio ac sanctissimo desiderio earundem Dioecesum, quum hactenus ob varias multas et graves occupationes reipublicae nostrae civiles accomodare hoc officium nostrum non potuerimus; nunc nonnihil assequuti temporis, quod et Ecclesiae nostrae, et pastorali nostro muneri, huiusmodique piis mentibus debeamus, sacras has ordinationes ad dominicam Cantate, quae iam est prae foribus, ediximus; quemadmodum ex hoc monitorio nostro diplomate clarius et prolixius intelliget. Cuius ad Reverendissimam dominationem Vestram missis quinque exemplis, ut ea pro arbitratu suo, ac pro ordinandorum exigentia per Dioecesim suam emittere et evulgare non gravabitur, quo omnes quicunque huius Divinae benedictionis candidati esse voluerint, sciant, et ad nos Tyrnaviam praefixo iam die conveniant. Ceterum eadem Reverendissima dominatio Vestra de nostra erga se benevolentia persuasa, valeat quam optime et quam felicissime. Tyrnaviae 20. Aprilis 1571.

LXXIX.

Reichenbach Sebestyénnek Verancsics Antal.

Ad Sebastianum Reihcmpah.

1571. apr. 24. Plane habemus persuasum, te ab eo tempore, a quo servitutis tuae tam prioris, quam posterioris operam nobis navare incoepisti, frustratum fuisse nunquam, et multo etiam maiora ex nobis tum praemia, tum commoda percepisse, quam ex omnibus aliis, quibus ad hoc tempus inservisti. Nec benevolentiae ac pietatis erga te nostrae plurima argumenta enumerare volumus; quum hoc et odiosum sit, et quotiescunque fit, omnino praeter decorem semper fieri soleat. Quandocunque tamen merita tua ac necessitates tuae postularunt, non solum verbis, sed etiam rebus ipsis munifice simul ac humaniter declaravimus.

Quod quum te quoque sciamus non ignorare; commemorare quasi nescienti praetermittimus, ne tibi, quod nos fecisse minime poeniteat, exprobrare videamur. Quandoquidem et virtutem tuam, et merita tua semper aestimavimus et complexi sumus; neque praeterierimus etiam ea de te et cogitare, et tecum facere, quae partim ad officium nostrum attinebant, partim vero servitus tua exigebat.

Edocto itaque te, quod huiusmodi debiti nostri satis abunde exsoluti reprehendi non mereamur, restat, ut illud quoque adiiciamus; scire nos, quod constet tibi, quam adhuc tenuem ad dilargiendum liberalius faculatem habeamus, esseque magnae rationis et

judicii, ut ii, a quibus largitio expetitur, habeant prius, unde largiantur, nec sumptus faciant, qui censum superent ac praecurrant. Quare sis contentus tuo salario, donec erimus opulentiores, et uberius largiri poterimus, nosque interim tam excessivis petitionibus non experiare. Sunt enim et nobis nostrae necessitates, quibus nisi tu quoque pro eo animo et voluntate, qua te erga nos esse ostendis, tum sublevandis, tum summovendis studueris, minus de te nobis pollicebimur, quam et tu arbitraris, et nos polliceri velle possemus.

Neque putes, eo haec spectare, quod erga te facti essemus hac de causa alieniores (ex nostris enim necessitatibus alienis compati satis bene didicimus); sed quum domesticae et peculiares nostrae curae, ut propinquiores vobis, nos sibi vendicent, assentiri his nostris difficultatibus non gravabere. Ea alioqui omnia de nostra erga te voluntate tibi te polliceri volumus, quae et hactenus fuere tibi non inutilia, et imposterum erunt proficua; si te possibilibus nostris accomodabis. Da itaque omnem operam, ut a Caspare Hoffinger summam quingentorum florenorum, quam Simon Erdeody debiti sui nomine nobis addixit, et apud eundem deputavit, exigas et ad nos afferas. Vale. Tyrnaviae 24. Aprilis 1571.

LXXX.

Biglia Menyhért apostoli nunciusnak Verancsics Antal.

Al Prothonotario Biglia, Nontio Apostolico.

1571. apr. 24. Il negotio del nostro Felhewiense appresso monsignor di Transilvania, è ben sucesso et espedito. Lo quale subito, che capitera nelle mani di Vostra Signoria Illustrissima, la prego stretissimamente degnassi di mandar a Roma quanto prima, accio sia condotto al suo fine, si come et io desidero, e la mia Chiesa ha bisogno; accio ancora il mio Diotalevi torni piu presto. Perche hormai no' lo tiene altro in Roma, cha questo solo negotio. Della indispositione sua m' ho doiuto assai, e doiomi ancor adesso, s' ella no' e risanata. E priego il Signor Iddio la risani, e facciami tanta gratia, che tosto la rivediamo insieme col mio Reverendissimo e singolarissimo fratello e padrone, il monsignor d' Antenori. Al quale desidero esser raccomandato con ogni affettione, che li devo in infinitum. Di nuovo non ho altro, che dirle suol, che questi nostri malvicini si moveno alla muta, e si dubita, che non siochino qualche ingagno alla sprovista contro a Transilvania. Sopra che io non dico altro. Ma se la si perdera, il che Dio non voglia, la christianita, ch' è di qua, prendera bastonata non dissimile à quella, ch' a rizzevuto dalla perdita di Cipro, e forse molto maggiore. Iddio inspiri gli animi di

principi a cominciar hormai curar quello, ch' è non il proprio, ma quel ch' è di Jesu Christo. E con questo faccio fine, et a lei prego ogni prosperita e salute. Da Tirnavia alli XXIIII. d' aprile LXXI.

LXXXI.

Vizkelety Tamásnak Verancsics Antal.

Ad Thomam Vyzkelety.

Quoniam antea etiam dederamus ad te litteras 1571. apr. 26.
nostras in negotio honorabilis Magistri Georgii Lewy plebani oppidi Tapolchan, super quadam mola et terris arabilibus ad Ecclesiam suam pertinentibus; quas tu nomine (quantum intelligimus) Magnifici domini tui una cum mola usurpasti, potirisque non solum eadem mola et hiisdem terris, sed etiam omnibus earum emolumentis ac fructibus, idque iam a triennio, contra omne ius et fas in maximum et eiusdem plebani detrimentum et ipsius Ecclesiae praeiudicium. In quo quum hactenus nihil profecerimus, quin etiam eundem plebanum extrudere ex plebanatu illo contendis, ut bonis eius memoratis liberius potiri possis: coacti sumus denuo ad te scribere. Quum itaque omnes Ecclesiarum ministri nostrae administrationi ac tutelae sunt commendati; nec iuste deesse possumus. quin earundem quoque Ecclesiarum bona occupari ab hominibus laicis patiamur; quum Deo sint dicatae, quae Ecclesiis sunt collata : petimus te ut amicum

diligenter, velis eandem molam cum terris arabilibus supranominatis eidem Georgio plebano restituere, ac etiam de fructibus praeteritis contentare, pacificeque insuper illum in officio memorati sui plebanatus manere permittere. Quod pro communi aequitate si facere non gravabitur, dabimus operam, ut nos quoque non solum tibi, sed etiam Magnifico domino tuo gratificemur. Si vero minus obtinebimus, quod amice postulamus, nobis nec tu, nec Magnificus dominus tuus indignetur. Quia rem via juris prosequemur; quandoquidem ministros ac bona Ecclesiarum Dei deserere nequimus. Quum autem Magnifico domino Stephano libenter deferimus et inservimus, ne ad aliquas lites deveniamus: da operam, ut nobis pro voto respondeas. Et bene valeas. Tyrnaviae 26. Aprilis 1571.

LXXXII.

Rybeshaim Szigfridnek Verancsics Antal.

Ad Sigefridum Rybishhaimm.

1571. apr. 27. Litteras Magnificae dominationis Vestrae accepimus, gratulamurque Eidem, quod incolumis Praga redierit. Ceterum quod nihil sciat de eo nostro negotio, quod in suis attigerat, quomodo scilicet sit trasactum, non est mirum; ubi plus occultae praxes possunt, quam apertae rationes. Vadant tamen omnia ut coeperunt ire. Nos maiora non ambivimus, et data sunt; minora etiam petivimus, et negata sunt. Quo

fati genere esse nos diu cognovimus. Sed fiant sic omnia, ut Deo placet. Nec propterea subiacebimus cedemusque nostris malevolis. Ad decimam quod attinet, prolixius a Joanne Andreffy provisore nostro Posoniensi accipiet. Eandemque felicissime valere cupimus. Tynaviae 27. April 1571.

LXXXIII.

Andreffy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Andreffy.

Petrus Korber rediit; et ad quaternas tuas respondemus. Decimam agnellorum tenuem nos hoc anno habituros, certum est. Sed tametsi in locis convallium parum nos decimaturos putemus propter aquarum confluentiam: loca tamen montana non omnino deficiunt hoc genus pecore. Experiare itaque; nec tamen omitte curam. Quia valde hos, quos quotidie vulgus iam consumit, apparet esse copiam aliquam; esto quod non uberemus. 1571. apr. 30.

De Capituli prato quod censes, laudamus. Et transigas cum eo, ut consules; sed nostra durante vita. Nam emundandum est, de quo etiam cum domino Saghy meminimus aliquando. Et si utilitatem ex eo capere volumus, extirpanda sunt vepreta, quibus piscinam pergas obruere. Nec ullis ei adiacentibus arboribus parcas. Et licet aliquarum denu-

dabuntur radices, non eradices tamen. Aut supererunt in posterum, aut non; scrobem tamen eius repleri, et cum reliquo horto aequari volumus. Quas autem operas in insula incolae eius incoeperint ad summovendum Danubium, ne agros eius aquis suis obruat; eas non improbamus. Sed vellemus, quod nostro etiam fierent consilio. Videas igitur, ne hoc praetextu coloni nostri operas subterfugiant, quas obruendae piscinae isti nostrae siccae navare deberent.

De quarta Custodiae misimus tibi expeditorias. Jam tui erit ingenii et curae, ut comminiscaris commentum aliquod, quo etiam in alieno solo commodis tui poteris consulere.

De proventibus Cantoratus quod non curas, recte et prudenter facis. Brevi enim expectatum Dominum sortietur. Christophori Aranyassy memineris. Cum praefectis Comitis Ecchii, quum opportunum fuerit, sic transigas, ut iam mandavimus.

De decima decimarum fac ut incoepisti, tibique reponetur sine damno, quicquid de tuo ad utilitates nostras impenderis. Sed bene videas, ne quid postea impedimenti et tibi et nobis emergat, et interim tua pecunia aliis serviet.

Quod pretium decimae Detrekew arcis Petro Korher non credideris, probamus; et committimus tibi, ut et has, et omnes alias, quas percipies, huc non mittas, sed istic apud te serves ad nostrum reditum.

De pactatis idipsum decimis, quod diximus aliis, quocunque pendentur tempore. Cures tamen, ut Magnificus dominus Merey habeat triticum, ubi illud commode poterit percipere.

Fabrum, qui est in Archiepiscopali horto, dimitte; et abeat quo voluerit. Incudem et alia instru-

menta fabrilia, quae fuerunt praedecessoris nostri, nequaquam auferenda illi permitte. Et si quid ei antecessor noster debuerit, Emericus Saghy alio modo potuit eum contentare. Incude nos quoque opus habebimus; quin etiam fac illi, et Michaeli suo, mentionem etiam de molendinis duobus, quod nos concernunt. Nec propterea indignetur, quum male fecerit, ea illo tempore petiisse, quo ad successorem defuncti Archiepiscopi respicere debuerit. Nulla interim in parte diminuta nostra benevolentia.

Petro de Paar Postae Caesareo, sumus contenti, ut in Zomolyan detur una quarta; dummodo contentetur. Sed scias, illi nos debere, si bene meminimus, florenos quadraginta; reliquos deponat. Si autem totam illi concedes decimam decimarum, tuo judicio permittimus. Tantummodo omnis, quam ei dabis, nostro nomine colligatur; ne alienis murmuris traducamur.

Modorienses omnino volunt aliquid de ea decima. Quantum itaque illis concedamus et quo pretio, abs te edoceri volumus; ne nobis adversentur.

Pestienses, pater et filius, si vino contentabuntur, expedias eos. Sed sic, ut ex aliis nostris accepisti. Molesti sunt nobis sine ullo merito. Quum pater etiam damnosus nobis fuerit, filius alio iam inclinet.

Magistro Civium Posoniensi, quum Lamocz possessionis decima illi a nobis sit donata; Pracham nullo pacto a decima oppidi Reche avelli volumus.

Divinenses quum prodierint; iam scis, quid sis eis daturus.

Placet, ut Saagy rectificet partes restantes administrationis suae. Nec id immerito exigitur ab eo.

De commeatibus isti nostrae Posoniensi domui necessariis, nos ad provisorem Wywariensem scribemus.

Sebastiano Reichenpah des vinum quale vult, vel Georgianám vel Bazinianum; Sempcziensia et Zakolcensia nobis reserves. Triticum quoque, quod ei dedicaveras, reddas. Nec differas, quia tibi indignatur. Et si forte frumento indigebimus, aliunde isti domui providebimus. Nimis est in suis petitionibus; sed rem habet cum eo, qui non est adeo talis, qualem putat. Vellemus, moderatius nos tractaret.

Dolemus Magnificum dominum Rybis, aliorum causa, minus a nobis fuisse satisfactum. Vir est sane nobis venerabilis; et eam de nobis observantiam deferimus, quam debemus summis et maximis heroibus. Sed ita nos facere oportuit hoc tempore, ut eius Magnificae dominationis existimationi consuleremus, rationibus non expressis, ipsi tamen cognitu non difficilibus, quem scimus in hís esse peritissimum. Si itaque nondum profectus est in Slesiam, adeas eius Magnificam dominationem privatim, et ostensis illi litteris, quas tibi scripsimus, dicas etiam, nos non esse adeo humanitatis expertes, ut possemus aliquando deese nostro verbo, et eius erga nos praeclarissimae voluntati. Verum haec, quae iam in hoc negotio inciderunt, nec imprudenter fuisse facta, nec quicquam in dominationem suam Magnificam esse contortum, sed in alios quosdam, a quibus contemni non debuissemus. Utcunque tamen isthaec sese habeant, dominatio sua Magnifica de portione sua nostrarum decimarum non sit sollicita, sed rem omnem committat nobis. Et quia nondum messis et vindemia

maturuit, pars eius desumetur ex nostris; tantummodo sustineat nos in silentio, quia Camera male se nobiscum gerit. Vale. Tyrnaviae 30. Aprilis 1571.

LXXXIV.

Tisztartójának Lindvay Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Lyndvensem Provisorem.

Magnifico domino Supremo Capitaneo Simoni 1571. apr. 30.
Forgach bene est responsum. Et in eo perseveres; nec subiicias Dominationi suae Magnificae in bonis nostris Liberi Comitis authoritatem et praerogativam. Et si alicubi limites etiam bonorum nostrorum occupare vel ipse vel fratres sui niterentur; tu contra nitaris, neque hanc vim inferri nobis patiaris. Ceterum si quid quoppiam loco ad se pertinere praetenderent, iure agant; non desunt nobis privilegia, quoniam antecessoribus etiam nostris fuere molesti, sed parum lucri reportarunt. Libenter cum eis sine lite vicinitatem bonam coleremus: sed si erga nos alio animo sunt, quam ostendunt verbis; respondeamus eis his modis, quos exigunt, nec cedamus iuribus nostris. Unde ne decimis quoque nostris gratificandum illis esse putaremus, postquam sic nos oppugnare intendunt. Non sunt enim amici nostri, qui a nobis bona nostra tollunt.

Benedicti Mwthy negotium, quod habet cum colonis nostris ad Dregel pertinentibus, differatur pau-

xillum, dum iidem coloni ostendant nobis, quo iure eam decimam sibi arrogant. Quia intelligimus, transactum fuisse inter eos et hoc Capitulum temporarie. Quod si ita fuerit, Benedictus Mwthy non cadet a sua causa. Jubete itaque illis, ut id iuris, si quod habent, quampıimum ad nos perferant. Et bene valeas. Tyrnaviae ultima Aprilis 1571.

LXXXV.

Morono bibornoknak Verancsics Antal.

Al Cardinale Morono.

1571. máj. 1. La intempestiva morte del Reverendissimo monsignore Biglia Noncio Apostolico, che resedeva apresso la Maesta Cesarea signor mio clementissimo, travenuta a tutti noi ecclesiastici molto dispiacevole per le honoratissimi virtu e qualita, ch' adornavano quel monsignore, ha causato, ch' el negotio del futuro mio suffraganeo, il Reverendo preposito Felheviziense, non s' ha potuto per le sue mani indrizzar à Roma secondo la pia e benigna commissione di Vostra Signoria Illustrissima. Avertandola, che gia il detto negotio qui dal Reverendissimo nostro di Transilvania espedito e mandato a Praga, da mezzo quasi camino uditasi la detta morte, fu riportato; per il che vedend' io questo impedimento, mi e parso di mandarlo dirittamente a Vostra Illustrissima Signoria, essendo gia totalmente espedito; si ccme fu il voler

di quella, e cura d' esso monsignor gia quondam il detto Nontio di Soa Santita nostro signore.

Ringratiandole dunque con ogni debita riverenza, che l' assunto di questo nostro negotio, habbiadosi degnato benignamente di pigliar in se, e guidarlo al suo desiderato fine, la pregamo ancora, che vogli etiam dio occorrer a questo insperatamente accaduto impedimento con quella espeditione, che gli è necessaria per il urgentissimo servitio della mia Chiesa. Dalla quale io la maggior parte del' anno essendo sforzato fare la residenza apresso Soa Maesta Cesarea per li importatissimi negotii publichi, alla giornata ha bisogno d' un suffraganeo per le celebrationi ordinarie delli divini officii, li quali per l' Iddio gratia s' osservano in la ditta mia Chiesa con quella istessa devotione, diligenza, fervore e dignita, che gia nelli megliori tempi di questo regno si soleva.

Et havendo questa quasi sola a noi restante nelli presenti depravatissimi e calamitosissimi tempi, tutte le altre parte per li Turchi, parte per li eretici estremamente conquassate: è cosa veramente non meno pia, cha molto necessaria d' aggiutarla delle Apostoliche beneditioni. Degnarasse dunque d' accettare benignamente questo negotio mio e della mia Chiesa, e farlo havere quella espeditione, per la cui humilmente supplicamo. E noi sicome siamo ubligatissimi alla benevolenza di Vostra Signoria Illustrissima; cussi parimente saremo sempre attenti e pronti à farle ogni servitio. E Signor Iddio la prosperi e feliciti longo tempo al beneficio della Santa Chiesa. Da Tirnavia il primo di Maggio LXXI.

LXXXVI.

Tisztartojának Lindvay Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Lyndwensem.

1571. máj. 15. Allata sunt nobis a Caesarea Maiestate super his, propter quae ad eandem proprium hominem miseramus, grata omnia. Camerae enim Scepusiensi mandatum est, ut nobis omnino persolvat decimae Tornensis pretium; similiter et Hungarica Gewmeriensis, cum restantiis pensionis Agriensis; utque nobis etiam possessiones duas Sayopyspeky et Welkenye, Pwtnok castello male applicatas, reddi faciat, nec nos imposterum in decimis quibuscunque impediat; volens, nos liberos esse in arendatione vel elocatione omnium, quibus et quo pretio nos libuerit.

Tu itaque de Newgradiensi statuas ut voles; Baymocziensis iam petita est per dominos Twrzones. Nec potuimus aliud facere, quam illis dimidiam eius partem addicere florenis Hungaricis septingentis; officialemque ipsorum Pangratium dreximus ad te, ut tu reliquum cum eo transigas, et praesentem pecuniam accipias.

Quum autem soluta et adhuc solvenda sunt nobis quaedam debita nostra non exigua, ultra sumptus, qui mox nobis faciendi erunt Viennae ad sylvestrem materiam pro reparatione arcis; domini de Rewa miserant huc florenos 1200 pro Twrocziensi decima, dominus vero Ladislaus Zelemiry ita nos praesens ursit pro Lwdan et Paztho ad rationem domini Dobo,

et Saarfew pro se, ut ei minime resistere potuerimus. Oblata itaque nobis hac opportunitate pecuniae, dominorum videlicet de Rewa 1200, Ladislai vero Zelemiry ratione Lwdan et Paztho 600, ac Saarfew 80 florenorum, eos apud nos sic retinuimus, ut a te nobis administratos et assignatos. Quos ubi hunc in modum ascripseris regestis tuis, has praesentes nostras pro tua reserves expeditione. Vale. Tyrnaviae 15. Maii 1571.

LXXXVII.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Georgium Drascovicium Zagrabiensem Episcopum.

Venerabilem Magistrum Christophorum Mykulyth Lectorem et Canonicum Ecclesiae Suae vidimus, excepimusque sic, ut et virtus eius merebatur, et sciebamus velle Reverendissimum Dominum. Qui quidem, ut iam antea nobis plurimorum testimonio erat non mediocriter commendatus et charus; ita quum affuit, et coram licuit cum eo colloqui, auxit apud nos non solum famam suam praesentia, sed etiam coepimus et charissimum habere et commendatissimum. Atque utinam feliciore esset valetudine; haud dubie magno loco in republica nostra, et apud Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem, dominum nostrum clementissimum, quam dignissimum iudicaremus. Verum ne pro epistola, insanis prope, plus quam gran- 1571. máj. 27.

dibus distractus pressusque negotiorum occupationibus, enconium clari viri texere videamur, quod otiosius tempus exigeret; qualem hic in nobis hospitem habuerit, ipse referat. Et si quid huic nostro officio defuit, non nostrum studium, sed eius accusetur modestia. Utcunque tamen ex nobis desiderata sunt hac in parte aliqua; ipsum certe vix non desideravimus, quod in thermis Pesthiensibus extrema prope fata sua adierat. Nimis enim multum thermis illis crediderat, opinione potius vulgaris multitudinis, quam genuina earum notitia; quarum adhuc apud nos ne doctissimis quoque physicis bene sunt examinatae ad unguemque perspectae. Quum id potissimum virtutis habeant, quod aegrotos non torquent diu; sed eos cito aut sanant, aut tollunt, crassis et obesis magis beneficae, quam gracilibus. Quibus plerumque solent esse mortiferae, et causa malorum graviorum; nisi mature malitiam illarum cognoverint, et eis uti desierint; ut et in Scoblicyo, et in hoc ipso Lectore Mykwlicio perspiciet. Ille enim diutius earum usus remedio, infirmior domum rediit; hunc exanimem omnino excepimus, aegreque per octiduum et pristinae habitudini restituimus, et in vita retinuimus. Nec de his pluribus.

Quod vero Reverendissima dominatio Vestra fruitur bona valetudine, gratulamur ei plurimum, et precamur dominum, ut sit Ei diuturna, fungaturque prosperrime et Banali, et Episcopali suo officio. Nec ignoramus hic, quantopere et quanta cum satisfactione omnium praefecturas istas obeat, iuvatque patriam non solum studiis atque conatibus militaribus, verum etiam fructibus et exemplis spiritualibus. Sic ut his nos quoque vehementer provocati ac incensi, et asse-

qui Eam nitimur, et meliores esse contendimus. Ac tametsi, quod libenter imitamur, non assequimur; contenti tamen sumus, ut Reverendissimam dominationem Vestram et normam nostri muneris habeamus, et ab Ea superemur, satque sit utrique nostrum, quod et proprio nostro splendori tenebras non offundimus, lucem defendimus et conservamus. Neque Illam pudet discipuli, nec nos praeceptoris.

Ut ideo Ipsa quoque de statu nostro, et de functionibus nostris cognoscat aliquid; nos etiam ea corporis valetudine fruimur, quae certe longe est nobis amplior, quam ab hac senectute iam annorum 66 sperari, expectarique potuissemus, quam etiam tot peccatis obnoxius mereri debuissemus. Sed pater misericordiarum et Deus totius consolationis, miseratus nostram animam, eamque salvandi cupidus, longiore vita nos donavit; ut saltem vel his postremis annis, quibus iam minus peccare consveverunt mortales, destituti natura et inbecillitate ipsa ab illecebris, spatium daretur nobis ad poenitentiam, et ad redimenda delicta nostrae iuventutis. Unde animadvertentes, breve iam restare nobis tempus ad evadendum in coelestes portus, ex hoc alto, pleno tempestatum, ad reliqua, quae nos in dies muneris nostri admonent, nos quoque a Palmarum Dominica solis Sacrorum Officiorum celebritatibus operam navavimus, terque interim administratis Sacris Ordiribus, ad quinquaginta circiter candidatos in ministerium Ecclesiae Dei insignivimus. Fueruntque alii tonsurae primae et quatuor minorum, alii vero Subdiaconi ac Diaconi, nec Presbiteri defuerunt. Edicturus et Sanctam Synodum ad festum Divi Alberti, intra quod tempus speramus nos pallium quoque recepturos, quod iam est expedi-

tum, et Secretario nostro assignatum. Nec illum in Urbe remoratur aliud, quam expeditio diplomatum Suffraganei, qui nobis a Sua Sanctitate, et a Sacro Cardinalium Collegio non sine peculiari gratia (quod idem scribit noster Secretarius) concessus est. Eaque etiam facultas attributa, ut Sacros Ordines septies per annum, ultra quatuor temporum legem Canonicam, in quibuscunque Dioecesibus usus postulabit, non requisitis etiam Dioecesum Ordinariis, administrare queamus. Et ad haec confirmatio quoque Reverendissimi domini fratris nostri Tininiensisis data est, sumptibus ac petitionibus nostris. Nec sumus sine gaudio, quod iam plures erimus, qui ecclesiasticis functionibus dabimus operam. Fratres reliqui, cur id benedictionum negligant, aut differant, non satis scimus. Male tamen in Urbe audiunt, uti nobis scribitur. Et dolemus, quod eis cessantibus ab hoc studio, nostrum ibidem non exauditur; quum magnopere voluissemus, si iam dudum fuissent confirmati. Sed utcunque ipsi sentiant et agant; nos tamen non laudamus, quod tamdiu differant, et precamur Dominum, ut eos spiritu suo moneat, non solum iam assumpti nominis, sed etiam muneris; ut Ecclesiae nostrae, tot labefactatae partim defectibus idoneorum ministrorum, partim etiam malorum temporum tempestatibus, plures haberent vigiles et sublevatores. Ad quarum curam quanto contendamus nos studio, et Lector Reverendissimae dominationis Vestrae vidit, et si iam tandem perpetuo residere possemus ad altare a Deo decretum et delatum nobis, forte multo clarioribus argumentis testatum faceremus hiisdem nostris Ecclesiis atque earum pastoribus, quae heaedem nobis sunt commendatae. Sed et sic treot ipublicae aliis quoque atque

aliis negotiis distractus et divisus, utique, quoad eius fieri poterit, nos postremas operas religioni defendendae excolendisque Ecclesiis nostris curabimus reservandas. Esto, quod omnes nequeamus, tanta mole periculorum totius Regni statu laborante. Quae quum de nobis Reverendissimae dominationi Vestrae polliceamur, tum hoc ipsum faciam propensius, ut sciat, Eius apud nos earundem Ecclesiarum nostrarum commendationem, vim summumque locum habuisse.

De novis rebus domesticis: Nuptiae Serenissimi Caroli Archiducis apparantur. Maiestas Caesarea ad Augustum Viennam Praga expectatur. Principes hac aestate vix movebunt ex Hispaniis. In Transsilvania delectus habentur militum non exigui, ob metum dolosi alicuius motus hostium, et contendunt de Vaivoda eligendo. Pars Stephanum Bathoreum a Somlyo volunt; pars Casparem Bekessium, et pars Christophorum a Halymas. Primum exigunt nobiles; secundum Saxones, et tertium Zeculi. Ad quae gentis studia Turcam quoque aiunt suum adiecisse, et illud in Bekessium inclinari. Quod si verum fuerit, metuendum erit, ne eam hostis in factiones dividat, et tyrannidi suae reddat sic celerius obnoxiam, ac plane subditam. Nos eius curam in meliores occasiones transferimus; et utinam non fallamur.

Externa putamus Reverendissimae dominationi Vestrae esse notiora, ut propinquiori ad Italiam et ad maritimas oras. Nunciant tamen confoederationem Summi Pontificis, Regis Catholici, et Venetorum esse conclusam, fierique mari magnos apparatus; et Joannem Austrium summum classi delectum fuisse ducem, Marcumque Antonium Columnam secundum ab eo locum habiturum. Circumferuntur et rumores con-

trarii. Nimirum restare adhuc quasdam ad conclusionem eius difficultates; adeo parva sit, charissime frater, inter Principatus Christianos securitas, ac fiducia de amore et coniunctione mutua. Nisique terra etiam uno atque eodem tempore vis in hostem intendetur, et detur opera, ut cogatur vires suas dirimere bifariam, aut etiam trifariam, periculis suis occursurus; censeo esse metuendum, ne totus vel in hos, vel in illos invectus, felicius pugnet, quam nos; et ex his superatis alterutris, ad opprimendum reliquos minus habeat negotii, vel ipso fractos metu, et rerum suarum diffidentia. Sed de his hactenus. Et bene ac feliciter valeat. Tyrnaviae 27. Maii 1571.

LXXXVIII.

Gróf a Salmis Gyulának Verancsics Antal.

Ad Comitem Ecchium a Salmis.

1571. máj. 28. Nisi cura et conservatio confinii arcis nostrae, imo totius Regni, Wywarinae nobis incumberet, utpote ad quam ingentes, et vix credibiles sumptus facere nos oporteat; premamurque etiam pensione adeo summae onerosae; estque nobis non solum Wywarinum, sed etiam Bakabaniense praesidium stipendiis sustentandum; ne de aliis causis nostrorum sumptuum faciamus nunc mentionem, quum ipsa haec omnia optime noverit: profecto non essemus tenaces adeo in decimis nostris communicandis. Et sperasse-

mus, quod nos etiam interdum submonerent, ne liberalius de eis constitueremus, essemusque instructiores facultate nervi reddituum; quo possemus firmius illi confinio consulere, quo omnes fere Regni reliquiae utcunque continentur.

Sed de his an omnes sic instituunt cogitationem, ut nos, facile perspicimus; et nihil aliud assequimur, quam quod omnibus sua sunt curae, publicum vero iis relinquitur, aut sufficiant, aut non, quibus inprimis et directe id muneris ac provinciae impositum. Quorum nos non immemores, nitebamur hoc anno maiorem aliquam decimarum nostrarum utilitatem capere, quam fecimus anno proximo. Unde et Magnificae dominationi Vestrae nonnisi quartam earum partem elocare constitueramus, quae sunt in arcium suarum quatuor territoriis. Nec tamen id ab Ea consequimur, ut sit contenta; verum totales dimidias trium exigit, quartae vero universas. Quod nobis grave videtur propter iam supradictas causas; nescimusque omnino, quid facere debeamus; quum et amicitia Magnificae dominationis Vestrae magnam nobis imponit necessitatem, et arcis Wywarinae conservatio. Et hoc in tantum, ut Magnifico domino Poppello, sororio Suo, valde pro id (így) instanti, hic responsum solidum dare non potuimus, propter quaedam, de quibus cum provisore nostro Posoniensi prius est nobis colloquendum, quam deliberemus super hoc. Igitur quum hoc biduo movebimus hinc Posonium, videbimusque, quid in hoc facere poterimus; non gravabitur id parum dilationis sufferre; quum quamprimum ibidem constituemur, Magnificae dominationi Vestrae subito respondebimus. Quam etiam optime valere cupimus. Tyrnaviae 28. Maii 1571.

LXXXIX.

Forgách Simonnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum dominum Supremum Capitaneum Simonem Forgach.

1571. jun. 26. Quod nobis a Magnifica dominatione Vestra sine ullo demerito nostro datae sunt causae, id contra Eandem agendi, jurium et bonorum Ecclesiae nostrae tuendorum gratia, quod heri fieri fecimus, plurimum et doluimus et dolemus. Quum enim nunquam alio animo erga Eandem fuimus, quam optimo, sincero et fraterno; ita quoque arbitrati sumus, ac plane etiam persuasum habuimus, nos vicissim ab Eadem et amari et complecti; tantumque abesse, ut aliqua Eius violentia bonis nostris timere debuissemus, ut etiam praecipue Illi ac tutelae Eius commendata esse firmissime crederamus. Unde nunquam etiam induci potuimus, ut iis nostris tam officialibus, quam subditis adhibuissemus fidem, qui de his ipsis violentorum suorum grassationibus, quibus nunc quoque possessiones nostras diripiunt ac evertunt, querimonias afferebant; eisque ne nunc etiam potuissemus credere, nisi venissemus huc, et plene cerneremus territoria earundem possessionum nostrarum per vim et iniuriam contra communem Regni aequitatem diripi atque occupari.

Super quo, quum aliquoties Magnifica dominatio Vestra monita fuerit per officiales nostros, et litteris nostris, ut si quid in his ipsis territoriis nostris ha-

bere sese juris praetenderet, ageret via Judicii, cui essemus pari ratione in omnibus juridice responsuri; non vi, neque potentia, quam ferre non possemus bonorum nostrorum tutelae causa. Sed postquam vidimus, nostris neque petitionibus, neque monitis apud Eandem locum dari, et interim hinc militibus suis, ac dominorum fratrum suorum, possessiones nostras obsideri, et subditos nostros diris extorsionibus affligi et vexari, inde sub oculis nostris metas territoriorum Ecclesiae nostrae a nobis eripi et occupari: nos quoque inducti sumus juribus nostris succurrere, et ea via Magnificae dominationi Vestrae violentiis occurrere, qua sumus ab Eadem appetiti. Rogamusque Eandem, ne propterea velit nobis indignari, neque existimet, nos hoc fecisse studio reiiciendae, seu violandae mutuae nostrae amicitiae gratia, cui certe plurimum et gaudemus et deferimus; sed ob id duntaxat, ut usum nostrorum jurium defendamus. Idque eo modo pro Regni legibus, quo idem nobis licebat; non ignara, quod ubique gentium liceat vim vi repellere, ubi jus ac fas ab iis posthabetur, qui priores movent initia controversiarum.

Quod haec autem non a nobis, sed a Magnifica dominatione Vestra mota fuerint, clare apparet; quum Ipsa prior et prata nostra defalcari fecit, et armati sui in homines nostros fecerunt impetum, eosque vulneribus affecerunt. Quicquid demum consequutum est ab aliis nostris, quos prioribus suppetias submisimus, ne ab invasoribus opprimerentur, Magnificae dominationi Vestrae attribuendum est. Cui, si audire non gravatur, non ob eam causam summum imperium militare a Sacratissima Imperatoria Maiestate collatum est in his finibus, ut vicinos bonaque eorum labe-

factet, et territoria adimat; sed ut eosdem tueatur, iurisque et iustitiae via lites suas, cum quibuscunque eas habuerit, prosequatur.

Nos autem non misimus milites nostros contra milites Maiestatis Eius, sed contra eos, qui in bonis nostris violentias exercent, caedesque et rapinas perpetrant. Cuiusmodi instituti non sunt milites Suae Sacratissimae Maiestatis; sed illi, qui non contenti suo, perturbant aliena.

Ubi vero minis nos, et quibusdam paulo indignioribus verbis perstrinxit in suis litteris; ad ea nihil respondemus, utpote qui cum Magnifica dominatione Vestra non agimus hostiliter. Quum nunc etiam non alio erga Eandem animo sumus, quam quo semper fuimus, et imposterum esse cogitamus, nisi Ipsa nos ab se reiecerit, sed tantummodo tuemur jura bonorum Ecclesiae nostrae. Quod et Magnificae dominationi Vestrae in defendendis bonis suis permittendum esse facile assentimur, imo etiam concedimus, si quid huius potestatis situm est in nobis. Ideo Eandem summo studio petimus, quaerat iure, quod suum esse dicit; nec ante ius nostrum suffocet, quam revera et legitime quod petit, suum esse probaverit. Ceterum, ut hactenus, amemus mutuo; nec inter nos horum finium scandalo atque periculo contendamus, quorum et summi praesides sumus, et eam eorum curam gerere debeamus, quam eis non solum armorum, sed etiam animorum nostrorum coniunctione adesse possit.

Quod vero attinet ad abactum armentum Eius; ea illius hic habetur ratio, quae debet de amici rebus; remitteturque subito sine ullo defectu, ubi etiam istic subditis nostris reddentur equi, in hesterno similiter tumultu rapti et abducti. Postulantes prae-

terea, velit jubere domino Stephano fratri suo, ut cum suo militari ordine excedat ex possessione nostra Keer. Cuius incolae quantum hoc tempore hic etiam laborum miseri habeant, nemini est obscurum; essetque omnino parcendum nostris bonis, si aequius necessitates huius loci expenderentur, nosque sincerius amaremur. Deus Optimus Maximus Magnificam dominationem Vestram servet incolumem. Ex Wywar 26. Junii 1571.

XC.

Mindszenty Endre esztergami vikáriusának Verancsics Antal.

Ad Vicarium Strigoniensem Andream Myndzenthy.

Et priores vestrae litterae, et posteriores heri 1571. jun. 28. nobis redditae, turbarunt nos non mediocriter. Idque quorum causa factum sit, non difficile coniicimus; cederetque et nobis quietius, et illis utilius, si suas passiones, malosque affectus, alia via exercerent, non publico scandalo, neque offensione tam nostra, quam eorum ipsorum conscientiae. Sed quia nequit mundus esse sine scandalis, certe indignum est, fieri talia inter ministros Dei et Ecclesiae. Cui temeritati quorundam, nisi mature desierint experiri nos; (advertent), quantum commoveri in insolentes, et in illos animadvertere sciamus, qui in communem fratrum quietem concordemque convictum, laico potius, quam spirituali animo, grassari non vereantur.

Quae cura atque cogitatio, quum diu iam insidet nostram mentem, zelo quietis, pacisque et honoris Ecclesiae nostrae, videamurque plane obdormisse in adhibendis remediis similibus malis; non omnino tamen omittemus, quod differimus. Quum dilatio nostra remediorum similium pietate fit, non neglectu nostri muneris; fierique facile poterit, ut quanto tardius commovebimur, tanto graviores nos experientur, in quos incumbemus. Haec de his.

De vobis aeque habemus, de quo doleamus. Nec cessabimus dicere, quod res et veritas habet. Vos habebatis notarium, quem aut noluistis, aut nescivistis nobis et Sedi nostrae conservare. Et iam in nos hoc incommodum reiicitis; quum vero nemo est, qui cum iniuria existimationis suae cuippiam subesse velit, maxime autem, qui iam et in aetate virili sit, et ea virtute pollet, quae non facile subiacet contumeliis, nec ea laboret necessitate, ut cum pudore vitam agat. In tanta igitur similium hominum penuria, debebatis vos non solum huic ipsi penuriae accomodare, sed etiam vim ingenio, et naturae vestrae facere, sicque demum hunc ipsum notarium prudentia tollerare, donec alium invenissetis, quo contenti esse potuissetis. Sed eo iam amisso, qui vobis erat unicus, nondum invento alio, quid opus sit nos aliud super hoc dicere, quod vos etiam perspicitis Vosque omnes accusant, nos traducunt, quod in haec coniicimur, ex quibus nullus exitus patet.

Ubi vero scribitis, quod huiusmodi turbas, antequam essetis vicarius, non habebatis, neque molestabamini ab aliquibus fratribus, credimus. Verum et nos aestuabamus levioribus curis, nec invidorum tela noscebamus, antequam Archiepiscopatum habuimus.

Sed cederene eo debemus, ut subsimus nostris invidis, cumque obscuro otio honorificos et gloriosos labores commutemus? An nescitis magistratus viros ostendere? Cuiusmodi rem committere, ut nos nequaquam volumus, ita vobis etiam consulimus, ne id unquam faciatis. Quo igitur iudicio, quibusque rationibus oporteat vos insistere isti muneri, ad quod evecti estis, et ipsimet scitis, si prudentiam adhibebitis; et nos vobis suademus, ut feratis multos, si omnes favorabiles habere velitis. Nec studete vi atque impetu naturae magis eminere, vestraeque inservire voluntati, quam moderatione animi, et iucunditate ingenii; semper in crastinum leniter differendo, quod hodie suadet spiritus iracundus. Sicque si institueritis facere, nec fratrum simultate, nec ministrorum, qui sunt functioni vestrae necessarii, laborabitis. Restatque, ut quod hactenus praetermissum sit, novo instituto compensetis, et detis operam, ut et nos non turbemur identidem, et vos in exercitio vestri Magistratus suavius procedatis. Hisque a nobis bono acceptis animo, bene valete. Wywarii 28. Junii 1571.

XCI.

Nagy István és Bakay Miklos, Komárom alparancsnokainak Verancsics Antal.

Ad Stephanum Nagy et Nicolaum Bakay vicepraefectos praesidii utriusque Comaromienses.

1571. jun. 29. Hunc bonum virum, natione Germanum, et praesentium nostrarum exhibitorem, professoremque serarii opificii, deduxeramus Vienna Wywarium, putantes eum nobis fore necessarium. Sed quum hic habeamus plures huiusmodi ministros, nec ipsi etiam valde locus iste arridebat, petiit a nobis missionem, optavitque Comaromium deduci. Concessa itaque illi hac utraque petitione, missoque isthuc ad vos per colonos nostros Naszvadienses, excipient eum ut subditum Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis domini nostri clementissimi, et habebunt commendatum, donec aliter de conditione et statu suo constituet.

Ceterum delatae sunt ad nos plurimae querimoniae subditorum nostrorum de violentiis vestrorum naszadistarum, quas in bonis nostris piscatoriis assidue exercent, sylvas nostras succidentes, piscationes perturbantes, et colonos variis et gravibus aerumnis, atque etiam iniuriis rapinisque vexantes. Quibus omnibus quum gravissime offendamur, tum etiam dolemus vehementer, quod his damnis atque iniuriis afficiamur ab amicis et a vicinis nostris. Quas ut non commeruimus ulla nostra causa, ita certe omnem a vobis et amicitiam, et pacem in bonis nostris habere

sperarenius, quibus nos etiam non inutiles amici aliquando esse possemus. Hortamur itaque vos, et petimus, velint curare, ut imposterum huiusmodi licentia et grassatio memoratis naszadistis vestris in bonis nostris non permittatur. Quod quum facere non neglexerint, eos sese erga nos praestabunt, quos semper fuisse habuimus persuasum. Nosque vicissim propensissimo animo enitemur, ut ubique vobis commodo simus, ubicunque res vestrae postulabunt. Et bene valete. Wywarii 29. Junii 1571.

XCII.

Verancsics Antalnak Andronicus Tranquillus.

Ad Archiepiscopum Strigoniensem Antonium Verantium Tranquillus Andronicus.

Reverendissime et Illustrissime Domine!

Existimavi me operae pretium esse facturum, 1571. jun 30.
si de his te absentem admoneam, de quibus coram agere prohibuit ingens silva tuorum negotiorum. Ea tamen, etsi tibi cognita sunt, neque ego hanc mihi sapientiam temere arrogo, neque adeo sum impudens, ut quasi sus Minervam te doceam, virum ingenio singulari praeditum, excultumque studiis doctrinarum. Sed certe, ut iustis rationibus tibi persuadeam, ne differas ceteris praetermissis accingere te ad decus et famam nominis tui sempiternam. Non

autem vereor, quod hanc meam erga te voluntatem, senis inquam hominis, et veterani amici, tuique cupidissimi, (qua mansuetudine es supra ceteros mortales), et moleste ferres, utpote qui non tam prudentiam in amicis requiras, quam voluntatem metiaris. In altero si deferimus, alterum sane non desiderabis. Sed iam venio ad rem, neque necesse est, ut recenseam initia tui generis et nobilitatis, aut aetatis prima rudimenta, sive ut maiores tui profugerint in Dalmatiam ex Moesia, quum Turcus eam occupasset. Haec enim sunt alterius considerationis. Igitur adhuc adolescens, ut accepimus, instructus bonis litteris et moribus, quatenus illa aetas patiebatur, profectus es in Ungariam, ubi virtuti praecipue nostrorum hominum nunquam defuit locus ad amplissimas dignitates honoris et fortunarum. Postea quum in virum evasisses, et viderere tractandis maioribus negotiis idoneus, multas et varias, et nobiles legationes, primum sub Joanne Rege, deinde sub Caesaribus Ferdinando et Maximiliano fideliter, prudenter, dextere, servata semper Principum auctoritate, obiisti. Quamobrem tibi externo, nec petenti, nec ambienti, merito quidem virtutis et industriae ultro donata sunt amplissima sacerdotia, atque praelatus es clarissimis genere atque titulis illustribus, quorum maiores in Ungaria primis honoribus defuncti sunt. At tu quidem laetari debes, non tam fructu et amplitudine sacerdotiorum, quam praemio virtutis, et iudicio Principum, praesertim hoc infelicissimo rerum statu, in tam corruptis moribus omnium huius aetatis, unde profligata virtus exulat, probitas probro est, innocentia ludibrio habetur, et in obscuro sepulta iacet, contra nequissimus quisque ac imperitissimus extollitur. Quare hoc exemplum,

quod in te evehendo ad hoc Archiepiscopale munus multo maximum, et proximum fastigio Regiae Maiestatis, nuper editum est applausu bonorum omnium; rarum est admodum, ac in omni vita memorabile. Neque dubito, quin in eo gerendo et Deo, et Principi, et populis satisfaceres magnitudine animi, pervigili labore, pietate atque prudentia. Non decet autem, felicitatem ingenii tui in ista dumtaxat muneris administratione conquiescere; sed in hiis perangustis vitae spatiis altius evehi, et ad immortalitatem niti. Nam vel indignis et nefariis istiusmodi, ac etiam longe amplior dignitas saepius contigit, quorum omnia simul cum vita extinguuntur, eorum quoque nomina in ipso funere intereunt. Constat, infinitos ab orbe condito principes fuisse tum inutiles, tum eos, qui laudem merebantur; at paucissimorum hodie memoria extat; atque hi quoque cum reliqua turba tenebris premerentur, perinde ac (si) nunquam in rerum natura fuissent, nisi quorundam scriptorum ingeniis felicibus vindicarentur ob oblivione. Alioquin nec victoriarum fama liberi patris, nec labores Herculis, nec multorum gestae res illustres ad nos pervenissent; et quod omnium maximum est, non abundaremus optimis artibus et documentis ad vitam sancte beateque degendam. Nec solum animi beneficio litterarum excoluntur, sed etiam vita prorogatur in temporum aeternitatem. Adde, quod hi, qui pollent ingenio atque prudentia, quum se ad scribendum contulerunt, non modo sibi ipsis, sed et aliis, de quibus in suis scriptis mentionem cum laude faciunt, immortalitatem parant.

Itaque, Praesul optime, cui providentiae dono ad praeclaras dotes ingenii tui litterarum ingens doctrinarumque studium accessit; te hortor ex animo, ut

properes, dum aetas viget ad immortalitatem, et aliquid temporis subducas de curis publicis et domesticis, sub eisque horis interdum divertas ad scribendum, tanquam ad amoenum aliquod viridarium, ubi te oblectes multis nominibus; quo pacto etiam valetudini consules, quae assiduis laboribus frangitur, brevique corruit. Proinde intermissione utendum est, quo studiis melioribus diu sufficias. Non inficior, aliam praeterea viam ducere ad veram gloriam et immortalem, si munus nostrae vocationis omnibus numeris impleamus. Ceterum ea quidem ardua et difficilis est, sentibus et virgultis oppleta, propemodum deserta manet, nec temere invenitur, nisi a paucis Divinitus genitis ac Deo amicis. Quare quos ab ea deterret difficultas itineris et inbecillitas virium humanarum, ii saltem in hac haereant, per quam incedentibus et minus laboris adeundum est, et aliquid permixtum est iucunditatis; siquidem prospiciunt eo labore prorogari sibi vitam in longissima tempora. Te vero, vir ornatissime, invictique animi, quem nullus labor, nullae rationes tuae valetudinis a studiis revocant, quin igitur appellas animum ad scribendum, et commendas tuum nomen aeternitati, atque eos etiam asseras a mortalitate, de quorum rebus gestis scribes. Innata est tibi facundia singularis, teque in omni genere scribendi excellere satis constat. Atqui haec tempora, varietate rerum ac personarum insignia, postulant, ut de ipsis historia scribatur, et scitu digna proferantur in lucem, quae obruta in tenebris iacent. Quod arbitramur te unum imprimis posse insigniter et luculenter facere. Non autem flagitamus, terrarum omnium res gestas complectaris, id enim esset immensi operis; sed tantum, qui per hos annos in Pan-

nonia successus fuerunt, qui eventus vel prosperi vel adversi secuti sunt, neque vera subtraherdo, neque affingendo falsa, quod ea tibi omnia notissima sunt, quaedam etiam a te pertractata. Multis interfuisti, quibusdam etiam praefuisti. Quod si feceris, ut speramus, magnum fructum tui laboris ferres. Nam gentem Ungarorům, quam illustraveris, hoc tibi beneficio magnopere devinces, et nomen tuum celebre manebit inter mortales in memoria sempiterna, cuius maxima pars in tuam familiam et patriam redundabit. Tunc demum intelliges, me tibi fideliter et amanter consuluisse. Vale diu felix nostrique memor. Posonii die ultima Junii anno Domini 1571.

Tuus Tranquillus.

XCIII.

Lévi György tapolczai lelkésznek Verancsics Antal.

Ad Georgium Levi, Parochum Tapolczensem.

Existimamus, scire vos quantopere Deo displi- 1571. jul. 1.
ceant ii, qui assumpto Divinae suae Maiestatis in Ecclesia sua ministerio, saecularium hominum passionibus et affectibus serviunt, neque confratres sustinent et charitate complectuntur, vel quavis minima offensiuncula ab eis interdum laesi, aut alia quappiam ratione perturbati. Nostro enim ordini dictum est: „Vos autem non sic.“ „Sed neque sol occidat super iracundiam vestram.“ „Et si munus oblaturus Domino accedis ad altare, relinque illud in vestibulo tem p

tibique prius fratres tuos reconciliato, sic demum offeras Domino Deo munera; gratiamque ab eo referes, ut Abel sanctus, et plerique alii veteres sancti nostri patres, qui Deo paruerunt, et propterea eidem placuerunt.“

Unde quum intellexerimus, magistrum Michaelem de Pulchra Villa, nunc parochum in possessione nostra Hinoran, colonis eiusdem possessionis Pulchrae Villae certum tempus probe inservivisse, et Sacrosancta Sacramenta administrasse, nec adhuc eum ab eisdem colonis iam promeritos proventus recepisse tua inhibitione; nec alia te id in eius detrimentum facere, quam quod indignationem quandam contra illum contraxisses, et quaeres omnes occasiones, quibus ei nocere posses. Quod in te non solum non probamus, sed maxime etiam improbamus et detestamur. Idque potissimum propterea, quod et reiiciendae sint vindictae nostrae, et de te omnia meliora, sanctioraque pollicebamur nobis.

Nolentes itaque pati, ut in dioecesanis nostris Ecclesiarum, Sacramentorumque Divinorum ministris, qui sunt sal et lucernae ardentes populo gregique dominico, mores et instituta huiusmodi dominentur; committimus tibi in Domino, ut habita tui ipsius notitia, nimirum, quod et tu esses homo subditus excessibus, ut omnes ceteri, fratri tuo, in omni pietate et charitate professionis atque ordinis nostri, reconcilieris et cures, ut huic parocho Michaeli satisfiat. Quod omnino fieri volumus; memor, quod sicut nos in simili causa tua non ita pridem egimus, tu pariter cum proximo et cum confratre tuo agere non recuses, neque praetermittas, ut justitiae tuae maiores sint, quam hominum saecularium eorum, qui Divinis

ministeriis non sunt mancipati. Et si quid aliud sit in causa huius rei, quam nos accepimus, enitere, ut quamprimum edoceamur per tuas litteras Et bene valeas. Wywarii prima Julii 1571.

XCIV.

Dubovi Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Dubovium.

Metropolitana Sedes nostra caret in Judiciis Notario. Is qui erat, et non ita pridem cessit officio, causis minime legitimis ex eius subduxit se ministerio. Quia autem optime constet nobis, unde haedem causae prodierint, quorumque fomentis vegetentur, et in manus provehuntur: utinam non cogamur patefacere; sed si forte fortuna ad id adacti fuerimus, speramus, quod adiuvante Domino quieti et unitati Ecclesiae nostrae consulemus, nec eam petulantibus elatisque et inobedientibus summitemus. Tu interim cures, ne opinionem, quam de te concepimus, amittas, et nostrum abs te animum alienes. Non ignarus, quanta vis, quantumque pondus odii esse consuevit, quod summus praecessit amor. Quum itaque talentum te a Domino tale consequutum esse videamus, quod tibi datum est coelitus, non ut illud in terram recondas, sed ut exerceas, ad quam vocatus es, utque labores in vinea Domini Sabaoth, non ut otieris, et plumis gutturique vaces, tuoque in eadem arbitratu 1571. jul. 2.

vitam agas, et neminem praepositum agnoscas. Da itaque operam, ut hoc talentum non invitus accomodes usibus Ecclesiae nostrae, et quantum per te fieri poterit, ne Sedi quoque nostrae Metropolitanae desis, sed eam subleves officio Notarii, donec de tali ei providebitur, qui idoneus et opportunus erit, neque eius avaritiam malumque animum, menteque peiorem imitabitur, cuius nomen subticuimus, ut ipse etiam cornua desinat erigere. Huic autem voluntati nostrae si morem gesseris, gratum habebimus; sin secus feceris, graviore mandato commonefaciemus te obedientiae. Vale. Wywarii 2. Julii 1571.

XCV.

Gróf a Salmis Gyulának Verancsics Antal.

Ad Comitem Julium a Salmis.

1571. jul. 4. Dolemus supra modum, perstare provisorem nostrum Lyndvensem in animo, Magnificam dominationem Vestram molestandi. Deus scit, quod diligentissime egimus, ut Eidem potius inserviret, quam molestus esset, neque ita turbulenter erga Eandem sese gereret. Putabamusque, quod iam dudum remisisset conatus in Illam intendere, de quibus et Ipsa adhuc queritur, et nos valde male contenti sumus. Ubi autem attigit quoddam de metu etiam incendii in oppido suo Zempcziensi, insolentia peditum nostrorum, quos idem Lyndvensis secum circumducit; est

cur debeamus celerius rei occurrere, ne in maius ea evehatur; quum et a laesione Magnificae dominationis Vestrae volumus ipsum abstinere, et curare omni studio, ne nostri milites in publicam quietem Regni tumultuari audeant, ad tutelam cuius et conduximus eos et servamus. Quum ex his itaque iam facile Magnifica dominatio Vestra intelliget, quantum Ei et inservire velimus, et cavendum nobis esse studemus, ne cuippiam iniurii simus, maxime Magnificae dominationi Vestrae, Eiusque similibus, ac nobilitati, cui etiam ex officio plurimum debeamus; non gravabitur supersedere nonnihil ab aliquo motu, donec cum eodem Lyndwensi colloquamur, quod nunc abest, et ad nos rediturum brevi speramus. Quicquid autem cum eo in hoc perfecerimus, Magnificam dominationem Vestram edocebimus; curaturi omnino, ne Eidem desint officia nostra. Et felicissime valeat. Wywarii 4. Julii 1571.

XCVI.

Telegdy Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Telegdinum.

Opus dimidiae domus, quam proventibus Cantoratus absolvi commiseramus, quod non procedit ob difficultates per vos descriptas nobis, male nos habet. Nec illud onus imposuissemus Vobis, nisi fiduciam habuissemus, quod haec opinio nos non esset desertura. Immo neque gravassemus vos hoc onere, si sci- 1571. jul. 5.

vissemus, eundem Cantoratum non plures habere redditus, quam centum quinquaginta florenorum. Sed quum intelligamus eosdem redditus ascendere ad multo maiorem summam, hortamur vos, ne desitis aeque operi atque promissis. Ad quartas vero quod attinet; est ad quid eas oportet nos exponere. Nec de curribus ad materiam comportandam polliceri Vobis possumus, quum nec Stephanus officialis noster equos habeat, nec iam tempus est, operis uti colonorum, propter messem et falcationem foeni; postea quum et vindemia superveniet, et plurimi rei familiaris labores ingruent, qui eosdem colonos excipient multiplices. Quantum id opus, de quo agimus, procedet, facile perspicimus, si ipsorum dumtaxat colonorum operis innitemur. Videte itaque tempestive, quicquid in hoc fieri possit, et si quod optamus, sperare nos iubetis, non esset opus; sin minus, mature nobis significetis, ut alia via eidem operi incrementa procuremus.

De cura promotionis fratris vestri, non est cur aestuare debeatis; quum satis est nobis commendatus. Nec alia causa promotio eius dilata est, quam quod interventus cladis proximae nostrorum militum; quorum loca ne vacarent cum periculo arcis huius tam finitimae, coacti sumus eorum officiis novos inauthorare, veterum promotionibus ad futuras occasiones dilatis. Quum autem alii quoque sunt quidam, quos huius tenet expectatio; ne fratri etiam vestro ea debet esse gravis, quam complures alii tolerant aequo animo.

Quod reliquum est; audio magnas istic inter vos, fratres, in dies suboriri dissensiones et lites, strenueque Michaelem Dubovium eas exercere; quod

nunquam de illo, vel cogitare, nedum sperare potuissemus, adeo vere illum credebamus esse vel Titum, vel Timotheum. Jesus! quis nobis unquam persuadere potuisset, quod in tanta humilitate et lenitate tanti commorarentur spiritus? Nos in tam ampla Archiepiscopatus nostri provincia iam 67. emersimus annum, sexaginta ferme septem functiones obivimus, nec adhuc vel unicam detrectare ac deponere incoepimus, zelo publici commodi, et studio explendi muneris nostri debitum, promovendique Catholicae religionis maiestatem et quietem Ecclesiae nostrae. Ipse duabus vel tribus non se sufficere, immo iam et fractum esse declamitat; hocne nostra in illum benevolentia, hoc dilectio, hoc liberalitas expectabat! Non levis causa est, cur iam et nos tantopere vociferemus, et de illo apud nos lamentamur. Scd in his ne excedamus paternae personae nostrae modum, haec sufficiant impraesentia. Vos tantummodo hortamur, adhibete turbis istis quodpiam remedium, si modo vos etiam ex eis partem aliquam non habeatis. Nimirum quod ad nos perfertur, omnia istic in collegio vestro occultis odiis flagrare, et quosdam plus operae suae ad privatas vindictas conferre, quam quieti publicae, charitatique communi consulere, magna et evidenti ordinis nostri depressione. Quae quum in nos omnia redundare videantur, a quorumcunque scintillis vel seminibus deducantur, non possumus non commoveri ex maxima nostra perturbatione. Videntes in vobis omnibus nullum spiritum residere devotionis, nullum quoque vel signum, vel vestigium apparere religiosorum, et Deo dicatorum hominum. Quae vestra infelicitas, vel potius coecitas, num et nobis, et vobis omnibus non sit deploranda, vosmet expendatis. Cu-

retisque vel vos soli, qui docetis alios. et talenta dupplicia caelitus obtinetis, si quippiam magis terrena quam spiritualia sapiunt, nec agnoscunt, quam benedictionem sortiti sunt a Domino, et cui sese in ministerium dedicarunt; ut saltem in populi laici oculis, opinione ipsa vere religiosi ac regulares ministri Dei esse videamur; si omnino et veritate sanctitatis careamus, et ab eadem quam longissime cordibus nostris simus, ne conspicamur, et ab haereticis, et ab iis, qui iam a nobis neque doctrinam Sacrosancti verbi Dei accipere volunt. Adeo sanctuarium Domini negligimus, cuius custodes et cultores essemus; adeo templa quoque simus non Sancti Spiritus, sed avaritiae, et cupiditatum carnis ac mundi. Nec de his plura modo. Sperantes nos non occinuisse surdo, alienoque a nostra tum voluntate, tum et studio. Valete in Domino semper. Wywarii 5. Julii 1571.

XCVII.

Monoszloi Miklósnnak Verancsics Antal.

Ad Nicolaum Monoslinum.

1571. jul. 6. Ubi facultatem a me petis de dimittendo isto apud te haeretico detento, qui in statu laico munus sacerdotale usurpaverat et concionabatur; nos non censemus simpliciter esse dimittendum, esto quod et plebeus sit, et nullas noverit litteras. Quum enim huiusmodi idiotae tenacius omnibus persuasionibus

inhaerere solent coecorum more, qui delectibus rerum non facile distrahuntur; plerumque magis etiam nocent praetextu et opinione malitiae minoris, quae in tenuibus, et in imperitis securius degit. Ea etiam protecti parte evangelii, quod Deus elegit abiecta mundi, quodque Spiritus Sanctus magis cohabitet cum humilibus, quam cum elatis. Ideo quandocumque erit e captivitate dimittendus, oportebit nos esse in Ecclesia nostra, et ibi cum fratribus nostris ita de hoc transigere, ut et ipsae Catholicae religionis desertor sanetur, reducaturque ad dominicum gregem, ut ovis, quae perierat, et exemplo salutari in Ecclesiae facie plurium aliorum emendetur. Idque maxime, si, quod ignoranter atque haeretice docuit, revocabit, et temeritatis ac peccati sui faciet poenitentiam, munereque etiam concionandi doctioribus, et sanctioribus se relicto, ruris repetet studia; nec sacris posthac, sed prophanis, ut et quantum volet, operabitur. Vale. Wywarii 6. Julii 1571.

XCVIII.

Derechkey Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Derechkey.

Bono ac paterno animo accepimus a vobis, quod nos edocuistis ea, quibus perstricti sumus a quibusdam in proximorum Octavalium Judiciorum fine, quod per absentiam nostram appellationes revidere non 1571. jul. 6.

potuerint. Quae quum ab aliis etiam ad nos fuere perlata, vestro tamen officio magis sumus oblectati. Quum autem cura reparandarum munitionum arcis huius nobis haud dubie prima esse maxime debeat, et Regno ac Caesareae Maiestati, domino nostro clementissimo minime ultima; non potuimus non festinare ad easdem reparationes aggrediendum propter anni tempus, quo iam messis appetebat, nec propterea subditos nostros diutius in operibus retinere potuissemus. Sperantes insuper, quod aliqui ex dominis Episcopis, minoribus et levioribus negotiis occupati, quam nos sumus, memoratis appellationibus interesse non recusassent. Nihilominus nos his etiam difficultatibus distracti, ubi primum Viennae audivimus, fore, ut appellationum revisio differatur, nisi vel ipsi soli nos eisdem interessemus; extemplo, omissa cura totius rei, propter quam eodem diverteramus, iter Tyrnaviam arripuimus. Nolentes omnino, ut ob nostram absentiam, vel vir unicus ex tota nobilitate quodpiam in suis causis caperet incommodum. Datis interim litteris etiam ad Reverendissimum dominum Locumtenentem, his nos de rebus summa celeritate Tyrnaviam maturare. Sed in oppido Zempciensi edocti ab iis, qui iam solutis Judiciis domos suas petebant, quod iam et dominus Locumtenens discessisset Nittriam, et nos non essemus necessarii; iter nostrum convertimus Wywarium. Ubi quantum securitati totius Regni inservimus, testentur alii; vos vero haec a nobis pro responso ad primam partem litterarum vestrarum habeatis.

Ad secundam et ultimam quod attinet, paucis accipite. Nimirum, quod et officium vestrum loco nostri in Judiciis praestitum, gratum habuimus, et eo,

ut vacetis imposterum, adversa praepediti valetudine, concedimus vobis. Talem tamen curetis alium inter fratres huic muneri disponendum, qui complacere nobis non gravabitur, eritque idoneus. Sed quid meminimus de idoneis? si et qui sunt idonei, valde sint rari; et qui iam discere possint, renuunt. Credimus, ut causis etiam careant, ne scientes aliquid, laboribus molestentur. Religioni tamen, et Ecclesiae non inserviemus, neque bona eius defendemus, si erimus ignorantes ac imperiti, et otio tabescemus, moreque mercenariorum avaritiam, et habendi cupiditatem potiorem habebimus, quam ea, quae professi sumus. Quare vos etiam, ut seniorem, et cui sciamus, quantopere in servitio Dei calidiora rerum temporalium, et frigidiora spiritualium studia non probentur; paterne hortamur, ut et alios quosdam hortati sumus ex fratribus, velitis dare operam: primum, ut qui in clero nostro habiles sunt ad discendum, discere non negligant, postquam istic non desint, qui eos docere possint; deinde, ut dissensionibus, quas in dies alias atque alias suboriri in eo audimus, ponatur aliquis finis. Quia et horrenda, et metuenda nobis sunt, quibus traducimur a quam plurimis. Quae quidem aut sint vera, aut non; nos tamen etiam a suspicione eorum cavere debemus, quae nostro ordini, et Catholicae professioni nostrae obesse possint. Geramus itaque nos et caste et caute, curemusque quantum possumus, ne in malorum linguas impingamus. Et bene valete. Wywarii 6. Julii 1571.

XCIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

1571. jul. 7. Nudius tertius explorator noster scripsit ad Capitaneum meum Strigonio, Passam Budensem dedisse militibus suis liberam excurrendi facultatem, quotidieque ad eum hinc inde captivos deduci non paucos. Curandumque quam maxime esse, ut possessiones nondum deditae custodiantur diligenter; quod hoc pacis tempore ad hanc rem solam animos studiumque intendissent; graviora etiam damna nobis illaturi, si se illis quaeppiam opportunior interim obtulisset occasio. Ceterum hoc tempore nullos esse inter eosdem hostes contra has partes nostras rumores de quibuspiam maioribus apparatibus, praeter eos, quos habent in Cypro ad urbem Famagustam. Cui quia hactenus nocere minime potuerant, frustrati magnis conatibus, pedem ab eadem nonnihil retulerunt, et oppugnationis remiserunt impetus. Passam Budensem, astutum hominem, silere, et occulte assentiri militum suorum excursionibus.

Ad me autem, et ad Wywarium quod attinet, superioribus diebus propter festa, quae tunc inciderunt, et clericorum ordinationes, quae magnopere et a nostratibus et ab externis requirebantur, Tyrnaviae in Ecclesia mea insumpto tempore, Viennam postea concesseram. Ubi comparata certa summa variae

silvestris materiae, et ferri clavorumque Wywariensi reparationi curata copia, et Wywarium Danubio missa, ipse quoque eodem me contuli, ut et initia memoratae reparationis viderem, et urgerem opus prosequi. Accidit autem, ut ea die, qua huc ego appuleram, appellerent etiam Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae domini Commissarii, Comes Nicolaus a Salmis, Fridericus de Serotin, ac Primislaus Proznowzky. Qui obitis omnibus, quae in mandatis habuerant, postremo locum quoque diligentissime perlustrati sunt, me et capitaneo meo, certisque potioribus militibus eisdem adhaerentibus, qui recipiendo Wywario novo videretur fore peridoneus. Nec defuimus singula illis in eo demonstrare, quae ad castellum huiusmodi erigendum ratio expeteret militaris. Quibus quantopere et situs ipse placuerit, et conditio loci, Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra ab eis coram copiosius benigne intelliget. Ego vero vix etiam minimam moram sustineo, ut auspicaretur opus eius. Quod alioqui donec videro, huic veteri reparando omni cura ac sollicitudine non deero. Cuius latus respiciens Strigonium, et positum inter duo propugnacula, totum iam est absolutum. Et tametsi dimissi sint coloni nostri ab operibus per tempus messis, ea tamen cura mihi geritur, ut parata pecunia dimensoque diurno conducantur alieni, prout quisque non incommoda stipe invitabitur. Nec talium deerit nobis copia, ut quorum iam non pauci concurrerunt. Post messem autem denuo et nostros repetemus, et subsidia Nitriensis Comitatus non deerunt, quae sunt iam promissa. Incumbamque totis viribus, et toto etiam intendam studio, ut adhuc hoc anno utrumque supranominatum propugnaculum, vel saltem alterum, si

quid insperati impedimenti non intercesserit, donec nives et glacies ingruent, renovetur.

Pars autem iam absoluti valli novis palis sive roboribus evecta est in iustam altitudinem, nec legitimam excedit mensuram. Sic eadem necessariis crassioribusque roboribus invicem coniuncta et astricta, ut eiusdem valli spatium intermedium terra repletum argillacea, pedum quindecim habet latitudinem. Qua demum dupplicato scandularum ordine contecta, commodissime et manipuli peditum, qui sunt a nocturnis vigiliis, subtus morabuntur, et repletio argillacea minus discludet dupplicem valli ordinem, quando pluviis non humectabitur. Et hunc in modum ducemus reliquum operis; omni adhibita industria, ut ima valli, aeque intrinsecus atque extrinsecus, pars superior sit inferiore astrictior, quo soliditate fundamenti nixum firmius consistat, nec ulla vi, quoad eius fieri poterit, cogatur in utrumvis latus cedere.

Quum vero, ut antea etiam scripsi ad Maiestatem Vestram Sacratissimam, potissimum huic loco metuendum est ab incendio, propter omnium in eo domorum stabulorumque tecturam stramineam, pecunia curavi asserum copiam, quorum pars iam convecta est, reliquorumque propediem convehetur, et in sortem stipendii, prout cuique ad tegendam domum ac stabulum opus erit, distribuentur. Quorum beneficio utique minus ab igne formidandum erit, non solum ab hostili, sed etiam a fortuito, qui interdum domesticorum negligentia excitatur. Interimque aliud quoque curatur loco beneficium. Videlicet ut ubique, quacunque in dies valli procedit opus, peditum domunculae ab eodem vallo prorsus avellantur, et spatium, quod est inter vallum et mansiones militum, eo

usque dilatetur, ut ad summum quatuor vel quinque viris pariter euntibus libere pateat, nullaque omnino suspicio de dolo relinquatur, qui per quospiam proditores committi posset.

Atque haec sunt opera, Clementissime Imperator, quae nunc Wywario reparando incoepta sunt. Speroque, quod si hoc adhuc anno duo propugnacula, de quibus feci paulo ante mentionem, absolventur, vel saltem alterum; totum, quod restat, opus ad finem Deo bene iuvante deducetur. Postmodum fossa exterior altius cavabitur; assecurabuntur et valli egesto limo aggeres, et profunditas fluminis, ne vadari possit aestivis decrementis, quae qualia interdum solent incidere, hoc praesenti appulsu meo perspexi. Quo adeo humilis, depressus et angustus fuerát, ut maiori ex parte amissis aquis, quae illi superfuerant, non excedebant altitudine ulnam Viennensem. Sed defecerat idem fluvius etiam molae vitio, quae illi non valde longe adiacet, et vetustate collapsa fuerat. Quo vitio cura subita reparato, et utilitati consultum est, et aquae sunt in pristinum restitutae.

Nec plura nunc occurrunt.

Deus Optimus Maximus Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram diutissime sospitet, et perpetuo felicitet. Wywarii 7. Julii 1571.

C.

Verancsics Antalnak Vilmos olmützi püspök.

Guilhelmus Episcopus Olomucensis Antonio Verantio Archiepiscopo Strigoniensi.

1571. jul. 7 Reverendissime et Illustrissime domine, tanquam frater nobis observandissime, salutem plurimam cum amica nostri commendatione. Redditae nobis sunt dominationis Vestrae Reverendissimae litterae, quibus expostulat M. Balthasarem concionatorem ab aliquo nostram in Ecclesiam fuisse seductum. Sed nobis potius fuit dolendum, et apud Tyrnavienses cives expostulandum, quod eo fuisset conductus adhibitus. Cum Petrus Illicinius doctor eam in civitatem suorum negotiorum causa venisset, exposuit ei Balthasar, perinde ac nobis asseruit, se multum Ecclesiae nostrae debere, quia fuisset a praedecessore nostro in litterarum studiis aliquot annos enutritus, qui ei sumptum ad eruditionem suggessisset. Adhortatus est eum sponte sua, nobis insciis, idem doctor, ut, a qua Ecclesia stipendia in doctrinarum perceptione sustulisset, ei gratiam non ingratus referret. Se ab eo non abhorrere, Balthasar respondit, quando a nobis conditio non inhonesta offerretur. Retulit haec nobis doctor Illicinius. Itaque nos, qui doctos et orthodoxae fidei studiosos viros libenter amplecti et ornare solemus, accedente praesertim vinculo, quo Balthasar erat Ecclesiae nostrae adstrictus, ad nos accersiri iussi-

mus, et cum advenisset, deque ipsius obligatione nobis a doctore Illicinio affirmata certius cognovissemus, petenti et Canonicatum et Custodiam in Collegio nostro, et parochiam Olomucensem contulimus; et adhuc a nobis viaticum ad redeundum, et ad res suas afferendas, obtinuit. In Capitulo nostro, accepta beneficiorum possessione, juramentum deposuit. Non videmus igitur, aliquam subesse causam, quamobrem dominatio Vestra Reverendissima vel nobis vel doctori Illicinio succenseat. Novit de Jure Divino et Canonico, et in Concilio Tridentino cautum esse, ut in suis beneficiis omnes resideant, et ad residentiam per censuras ecclesiasticas cogi posse, ut Innocentius III. sanxit. Non potuit ille alii se devincire Ordinario, qui a nostra Ecclesia fuisset in gymnasio alitus; et nunc a nemine sine iniuria detineri potest. Siquidem ille, qui iureiurando et obligationi non satisfecerit suae, intelligit, se in periurium manifestum incursurum, et sub excommunicationis poena compellendum, si nolit ea omnia restituere, quae ad sui eruditionem accepit. Rogamus autem dominationem Vestram Reverendissimam, ut residere illum iuxta suum juramentum non prohibeat, ne in canones committere videatur, ad quorum observationem in nostri consecratione nos omnes obligamur. Affirmant porro Tyrnavienses cives, in annum se eum conduxisse; nobis vero compertum est, mensibus singulis mercedem ei persolvi, cuius causa contra canonum dispositionem non potest, nec debet ab ea se alienare Ecclesia, ubi titulum accepit. Nos aliis in rebus omnibus praesto sumus dominationi Vestrae Reverendissimae semper gratificari; sed hic ipsemet se devinxit et juramento adstrinxit. Deus Optimus Maximus tueatur

dominationem Vestram Reverendissimam incolumem quam diutissime. Datum Olomucii VII. die Julii MDLXXI.

Dominationis Vestrae Reverendissimae
affectuosissimus servitor
Guilhelmus Episcopus Olomucensis mp.

Kívül : Reverendissimo et Illustrissimo Domino, domino Antonio Verantio Archiepiscopo Strigoniensi, Primati Hungariae Electo, et eius Regni ac Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario etc. Domino, amico et tanquam fratri observandissimo.

CI.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Ad Tranquillum Andronicum.

1571. jul. 8. Accepi epistolam tuam elegantem sane ac doctam, dignamque et authoris sui titulo, et mihi testimonii tui causa non ingratam, quo volueris gesta mea, meaeque totius vitae ac fortunae cursum, animique etiam mei dotes, si quas habeam Divinitus, stilo tuo ad aeternitatem nato memoriae posterum commendare. Quam accessionem reliquae nominis mei famae, per te additam et accommodatam, tanti equidem facio, mi Tranquille, (si modo in cupiditate laudis metam non excessero) quanti eorum omnium, qui hactenus rerum mearum celebrius meminerunt.

De qua tua erga me voluntate ac iudicio, quo tu,

vir sane prudentissimus, non consueveris perfunctorie, neque vel ad amicitiae gratiam, vel incogitanter, more hominum vulgarium, in quospiam uti; sed in eos dumtaxat quidem certe, quos intus et incute nosti, ac plane etiam perspexisti, dignos esse tuis encomiis, habeo tibi magnas gratias; meamque sic vicissim tuo isti erga me studio operam ac benevolentiam defero, ut ei, quem prae multis amem, quemque ex meo animo nunquam vel toto mundo collabente, ubicumque fueris, convelli patiar. Easque tibi curabo etiam referendas, quod eandem tuam epistolam longe familiarissimam in historicis meis inseram. Et si forte metus ac molestias praesentis belli Turcici sis pertaesus, quo nunc tota Dalmatia oppugnatur ac premitur; hic mecum consiste quaeso, et hac mea fortuna, ut tua, utere. Neque ad pericula et incommoda patriae revertaris. Ubi si ita iucunde vitam agere non poteris, ut in politicis Dalmatiae et Italiae; at saltem carebis praesentis belli periculis, et sustentandae vitae commodis commode potieris. Idque sine negotio et sine cura. Si praeterea apud me maritimis voluptatibus non frueris; campestribus, et hortis meis Posoniensibus oblectare. In quibus et aestate sationibus, et hyeme studiis sine omni tumultuum bellicorum strepitu, securissime vacabis; seniumque, quod iam te propellit in decrepitam, excoles, ut voles, et usque eo, si nolueris ulterius, donec hoc bellum finem aliquem sortietur. Nec sepulcri patrii desiderio avoceris, quum et hic mecum, si humabere in Pannonico solo, non putresces inglorius.

Ubi vero me ad scribendum res Pannonicas mones, hortarisque etiam diligenter; mones tu quidem, atque hortaris et memorem, et volentem, nec cessanti

addis calcar. Sed et ego frustra volo, et tu nequicquam mones, incassumque etiam hortaris. Ea enim me negotia tum publica, tum privata (quod non ignoras) cum hac Archiepiscopali dignitate exceperunt, quae prorsus mihi omnem scribendi facultatem ademerunt; oblitus iam et quietis, et otii, et bonorum authorum lectionis; unde potissimum et scribendi supellex affluit uberior scriptoribus, et animus curis molestioribus minus obnoxius, lucubrat facilius. Secessu itaque et solitudine opus est scribendi.

Quantum autem texendae historiae sufficere possit, qui distrahitur, hinc Ecclesiae moderandae, religionisque defendendae studio, inde finitimi loci, praesidiique eius conservandi provincia oneratus? ne nunc quicquam commemorem de aula, quae sibi magnam mei quotannis partem vendicat, et privatae rei familiaris procurationem attingam, cui fere omnes horas debeo melioris mei temporis; nisi his ipsis omnibus et muneribus deesse, et in redditibus meis iacturam facere velim. Quibus, inprimis si praesentis saeculi consideremus pravitatem, quo virtutes post opes secundum locum habent, omnium dignitatum conditio retinetur, tute scis multo me melius, qui hunc utrumque statum magna expertus es cum laude.

Nam prioribus annis in Republica Regni Poloniae defunctus non postremis honoribus, ususque etiam legationibus amplissimis apud primarios orbis Principes, me tunc praesentis fortunae meae primordia dumtaxat delibante; his ultimis omni prorsus strepitu rerum publicarum honorumque sollicitudine deposita, Syllae Dictatoris, et Diocletiani Imperatoris gentilis nostri imitatus exemplum, qui illecti privatae vitae dulcedine, fascibus cesserant, in pa-

triam secessisti, ut et hac ipsa dulcissima doctis viris solitudine fruereris, et a negotiis civilibus factus liberior, vacares studiis litterariis. Quod genus vitae nisi delegisses, et exemplo meo priorem ursisses statum, qui tibi pulcherrime arriserat; orationes, versus ac dialogos tuos doctos, iucundos et grata posteritate non indignos nunc haud quaquam legeremus.

Ex temet ipso itaque iudices, an ego queam me conferre ad quod hortaris. Verum ne omnino negem tibi vel in parte quod exigis; scito, quod rei cogitationem, curamque non intermitto, et quotidie aliquid in mnimosinis meis annoto, quod in dies assequor, ut augendo operi non desim colligere, et struere incrementa. Nec praeterea mihi desideratur aliud, quam otium et secessus. Quae duo, si quando novis, et vix iam speratis gratiis numinum quorumpiam obtinuero, tot chartas scriptis onerabo, tot hiisdem insumam calamos, quot poterit meum ingenium; nihil interim conatuum quoque omissurus, ut tuo aliorumque amicorum meorum de historia mea desiderio, expectationique, quoad vires mihi suppetent, satisfaciam, vel solo officio, si re nequivero. Vale et in patriam incolumis revertiare. Wywarii 8. Julii 1571.

CII.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacratissimam Maiestatem Imperatoriam.

1571. jul. 9. Quum inter praesides confinia tenentes magna et concordia et consensus esse debet, plurimumque cavendum est, ne quae inter eosdem rixae contingant atque perdurent; et quia omnino nequit fieri, ut non contingant aliquando : evitandae tamen sunt diuturniores. Cui rei quum ab initio adventus mei ad procurationem finitimae arcis huius diligentissime semper studuerim, et caverim, ne quid iurgiorum inter me et Magnificum dominum Simonem Forgach Supremum harum partium Capitaneum intercederet : fieri tamen nullo pacto potuit, ut evitarem, quod maxime avertebam. Et hoc propter quarundam metarum terrae meae cuiusdam occupationem. De qua quum iam ab aliquot mensibus, ubi litteris, ubi nunciis, cum eius Magnifica dominatione egissem, eandemque petiissem, ne vi ageret sed iure, quum ego essem in usu; postremo aequitati huic loco non dato, falcatores in litigiosam terram immisit, struens sibi eiusdem terrae usum dominii. Cui mature occursurus violentiae, ego etiam misi, qui foenum inde asportarent, quo et ius usus mei lege et consuetudine Regni tutarer ab iniuria, nec eius dominum Magnificum sinerem annum explere in huiusmodi dominio violento. Quo tempore supervenientibus quibusdam suis ex arce Swran pedi-

tibus, concertatum est nonnihil cum meis usque ad vulnera. Ablatum tamen est foenum, et satisfactum meis iuribus. In quo non est aliud consequutum. Quare si quid nocentius de me ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram fuisset perscriptum, dignabitur clementer hoc tantum hac de re admittere. Quod quia fere quotidie apud nos soleat contingere in huiusmodi; donec utrinque in judicium procedatur, non est (uti humillime puto), quod de hac contentione nostra gravius aliquid suspicetur. Quia et juridica sunt, et nemo sua concedit aliis; maxime ea, quae per vim et iniuriam eripiuntur.

Ut autem Maiestas Vestra plura etiam de his intelligat: non solum dominus Capitaneus Forgach, sed et omnes fratres eius coeperunt vexare bona mea, ubi primum me Archiepiscopum factum esse cognoverunt. Et nisi respicerem ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem Vestram, caveremque illi a perturbationibus, summoveremque etiam inimicitias ab hoc finitimo loco, qui toti nostrae reipublicae praecipuae tutelae ac saluti sit: quotidie cum omnibus esset mihi contendendum et dimicandum, adeo bonis meis fere omnibus molesti sunt, et exercent me sua licentia. Sed ne de his agam intempestivius, supersedeo nunc a singulis recensendis; quum tamen Maiestas Vestra Sacratissima plane videat, alios in iura privilegiorum meorum, alios in bona mea invadere; alios etiam variis me delectationibus traducere, quasi omnium fortunae atque honoribus detraherem, nec servivissem patriae, quantum fortasse non pauci alii: supplico humillime, ne solitam gratiam suam a me subducat, neque sic pientissimas et sapientissimas aures suas quibuspiam accomodet, ut iustissimis meis

rationibus locum dare non dedignetur. Quum ego nulli studio ac sollicitudini magis intendo, quam ut a me nihil quibusvis in rebus committatur, quo Maiestas Vestra Sacratissima offendi possit, meamque in hac tantae dignitatis ac momenti provincia, quam mihi magis pro benignitate et munificentia sua, quam pro meis meritis demandavit, prudentiam et iudicium desideret. Et Deus Optimus Maximus Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem diutissime sospitet et perpetuo felicitet. Wywarii 9. Julii 1571.

CIII.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Zagrabiensem.

1571. jul. 9. Ultimae litterae Reverendissimae dominationis Vestrae, quae 29. Aprilis datae fuerant, 4. mensis huius mihi sunt allatae. Nec scio, unde sit factum, quod tamdiu pereginatae fuerint, antequam ad me pervenerint. Sed quum is casus plurium aliorum litteris frequenter incidat, minus nos dolere debemus, quod incommodum cum multis communiter habemus. Ubi autem his ipsis litteris agit mihi gratias, easdemque coram quoque acturam sese scribit in adventu Caesareae Maiestatis domini nostri clementissimi, quod duos iuvenes suos Orsyt et Zkoblyt apud me foverim sua gratia; non est opus, ut se hac sollicitudine fatiget: quum mihi et ab ipsis, et a Reverendissima

dominatione Vestra cumulatissimae gratiae et habebuntur et referentur; si, quum in patriam redierint, apparebit non frustra eos sub disciplina mea tam diuturnum tempus exegisse. Hoc autem specimen et hanc laudem utrumque in patriam relaturum minime dubito; quum, ut hic apud me semper probe ambo sese gesserint, ita et his moribus atque virtutibus auctos, ad Reverendissimam dominationem Vestram spero redituros, quibus istic commendatiores erant.

Ac, ut de singulo eorum peculiariter attingam, Orsyth domum est revocatus. Quem ita expedivi, ut et ipse meruit, et ego debui, ut et ipsi Reverendissimae dominationi Vestrae, et eius fratribus satisfiat; facta non vulgari fide, eundem Mathiam futurum optimum virum. In quo praeter alias dotes laudabiles, summam et singularem cognovi bonitatem.

De Zkoblyth idem sentio et polliceor, si modo et incolumem, et superstitem habere poterimus. Quem hactenus, postquam nec thermae Pesthinae, nec ulla pharmacorum remedia, medicorumque consilia et curationes sanare nobis potuerunt, non video aliud iam restare, quod experiendum esset ad reddendum pristinae valetudini, quam natale solum ac coelum, et quaedam alia, quibus a teneris et educati simus et asuevimus. Quod medelae genus apud et nostram, et complures alias nationes, memini me cognovisse. Quarum si adhuc in eo sanando hoc quoque experiri velit, eumque domum remitti significabit; dabo operam, ut instructus omnibus ad iter necessariis, commode et quamprimum in patriam deducatur. Et felicissime valeat. Wywarii 9. Julii 1571.

CIV.

Az esztergami bégnek Verancsics Antal.

Ad Strigoniensem Beghum.

1571. jul. 9. Az k: leweleth meg adak mynekeonk. Az k. bekesegnek megh tartasara walo ynteseth yo newen, es yo kedwel wóttwk. Egyeb gondolathonk synchen mostan, hanem hogy az bekeseg, ky ket felseges chyazar kózóth wagyon, megh tartassek. Az kynek byzonsagara ez wagyon, hogy az my zolgaynk sok ydeoteol fogwa kyn nem woltak. Noha eleg okonk ty teoletek wolt mywelny walamyth. Mert az ty wytezytek Walaztyg nyargaltak, es rabolnak ymyth amoth, mykeppen tegnapys harom Farnady emberynketh fogtanak; az eleot egy drabantonkatys zyntyn keozel yde az warhoz. Nemys most szamlallywk keg. az Twry weszeseth, es egynehan szemel Georuel walo fogasath. Gedew waranakys el weteleth, kyknek nem kelleth wolna lenny, ha byzonnyal, es ygagan bekesegeth meg tartyatok. Mynd azon altal az my wegeynkben myndenwth az zolgalo nepeynk weztegsegbe wadnak. Azert k: lassa, ha mynketh vagy k: ynteny kel az bekesegnek tartasara. Myerth pedygh azon bekesegnek my szerzóy woltonk, bontoy nem akaronk lenny. Mely okaerth kerywkys k:, hogy ne bochyassa yde stowa rabloidath; merth az my wraynkys ygod nem kezdyk az szokath szenwedni. Egyebkeppen my k: yo zomzedy akaronk lennyi;

hogy pedygh ez k: yntese ygaz legyen, kylgye megh nekeonk az Farnady embereketh es az drabantoth, kyth wehesseonk yo newen k:. Kynek yo egessegeth kewannywk. Wywarba Zent Jakab hawanak 9. napyan 1571.

CV.

Unokaöcsesének Faustusnak Verancsics Antal.

Antonius Verantius Fausto nepoti suo salutem.

Quamquam plurimis occupationibus distinear et sumptibus exhauriar; tibi tamen nunquam occupatus, nunquam egenus ero, si inpigre bonarum litterarum studia prosequeris, teque et maioribus nostris dignum praestiteris, et ab exemplis et vestigiis meis non abhorrebis, neque praetermittes ita te omnium virtutum ornamentis excolere, ut in te non desiderem, quod maxime et velim et sperem. Quare mandavi Posoniensi provisori meo, ut tibi mittat taleros quiquaginta, quos curabis exigendos, et ad aestivas vestes, quas a me postulasti, convertendos. Ceterum inter has litteras et versiculos tibi, uti puto, Venetiis missos, quaedam est cartula elegantiore caràctere scripta, quae a quo, et quanam data sit ad te causa, videas, et quamprimum me edoceas. Vale. Wyvarij X. Julii 1571. 1571. jul. 10.

Kívül: Egregio Fausto Verantio nepoti nostro charissimo. Tyrnaviae.

CVI.

Krusich Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Krusych.

1571. jul. 10. Litterae dominationis Vestrae Magnificae hesterno die nobis datae, quibus significavit nobis, Eandem potius defensuram esse subditos nostros, et habituram commendatos, quam quod eosdem aliqua ex parte molestaret; fuerunt nobis gratissimae. Vicissim nos quoque eidem Magnificae dominationi Vestrae offerimus amicitiam nostram, et omnia nostra officia, quibuscunque uti voluerit. Ideo secure poterit semper uti nostra opera in suis commodis, et in iis omnibus, quae ad eius dignitatem pertineant.

Ad nova vero quod attinet, scribunt ex Italia, ligam factam esse quidem, sed nondum ligatam, neque baptisatam. Turcae enim iam trifariam gerunt res: in Cypro, in Aegeo mari, et in Dalmatia; nostra expeditio adhuc est in tractatibus, et in apparatibus. Veneti vires suas maritimas divisim habent. Rex Catholicus nondum suas expedivit, totaque summa rei pendet adhuc; omnesque una rerum facie ostendunt quidem, velle se aliquid conatibus experiri, sed re nihil minus faciunt. Quum interim et piratae Turcici pluribus biremibus grassantur per Hadriaticum mare, praedanturque ipsa etiam Venetae urbis littora, nec vel unico lintre ex hac celebri et potenti urbe iis praedonibus occurritur. Begus autem Strigoniensis fere quotidie hortatur finium horum nostrorum prae-

sides ad servandam pacem, ipse autem non cessat praedones suos in diversas partes emittere, sic ut hac nocte etiam excurrerint ad Barachkam pagum usque, abduxerintque messores aliquot. Quibus et nostri, et Lewenses milites satis mature emissi, eos non sunt assequuti; quod facta praeda noctis conticinio, ante adhuc auroram in sua redierunt. De appulsu Viennam Sacratissimae Imperialis Maiestatis domini nostri clementissimi nihildum quidquid certi accepimus, affuturam tamen propediem. Nec occurit aliud, quod ad Eam scriberem. Valeat Magnifica dominatio Vestra feliciter. Ex Wywar 10. Julii 1571.

CVII.

Telegdy Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Telegdinum.

Ea, quae nos generaliter agimus, vos ad vos trahere non debetis; sic enim prudentiores, quospiam dirigentes, consueverunt generalibus agere. Persuadentes nobis, eadem vos sentire, quae nos sentimus, multa evitamus et praeterimus; vobis partium nostrarum non postremam partem esse commendatam non ignorantes. Quorundam itaque communes aut male adhuc maturos sensus nolite imitari; sed nobiscum in eadem palaestra Ecclesiae nostrae desudantes, enitamini, ut nobis sitis bonus Achates. Bene valete. Wywarii XI. Julii 1571. 1571. jul 11.

CVIII.

Erdődy Simonnak Verancsics Antal.

Ad Simonem Erdewdy.

1571. jul. 11. Sebastianus Reichenpah, olim secretarius rationista noster, levavit a te nostro nomine quingentos florenos mutuo, et simul cum Michaele Mykwlith Pisetario et officiale nosto Sanctae Crucis, obligaverunt se ad eorum restitutionem suis chyrographis. Quod mutuum quum voluntate nostra non sit factum, nec maior eius pars pervenit ad nostras manus, quam ducentorum florenorum : id indignationis nostrae idem subiit Sebastianus, quod fortasse nunquam recuperabit. Maxime enim huiusmodi improbitatibus offendi consuevimus. Sed is casus utcunque incidit, omnino incidit nobis insciis. Nec id unquam animi habuisse; daturos tamen operam, ne tu in illis iacturam facias, sed eos rehabeas subito, ubi primum transigetur tecum per eundem officialem nostrum Michaelem Mykwlith de his, quae te nobis ex administratione bonorum nostrorum debere cognoverunt. Ut autem huic negotio iam necessarius et debitus modus imponatur; et eidem officiali nostro mandavimus, ut contra te procedat, et te hortamur, ne desis ita te nobiscum gerere, ut nobis satisfacias, quum tibi nec byrsagia, nec ullae aliae extorsiones per nos condonabuntur. Nimis enim licentiose bona et subditos nostros tractare et expilare non es veritus. Ideo accinge te, ut

hoc tecum absolvatur. Quoniam si nos etiam personaliter istuc ascendere oportebit, ascendemus Deo comite, ne tanta colonorum et bonorum nostrorum vexstio inaniter condonetur. Et bene valeas. Wywarii XI. Julii 1571.

CIX.

Mikulich Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Mykwlyth.

Propter intolerabiles occupationes nostras, quae nos modo hic, modo illic, et insumant ubique, ubi nos esse contingat, serius tibi ad litteras tuas interdum respondemus. Quod tibi molestum esse non debet. Ad postremas itaque tuas 19. Junii datas rescripturi, de florenis 500 a Simone Erdewdy mutuo acceptis ac levatis; non sane ex commissione nostra factum est, sed ex temeritate Sebastiani Reichenpah, qui ausus hoc nos afficere facinore, te etiam in sollicitudinem de restituendis coiecit. Quod ab illo nunquam expectassem, ut cui in eum finem non dederam credentiae litteras. Tu tamen non sis turbato animo, quandoquidem non committemus, ut illis veli in toto, vel in parte sis debitor; quum nos satis sufficientes simus ad eam summam persolvendam, si maior, cuius apud eundem Simonem creditores sumus, nobis deficiet. Quapropter ad eum etiam scripsimus, ne tibi sit molestus, atque tandem summam in hiis reputet, quod nobis debet. Tuque illum sine ulla mora

1571. jul. 11.

constringas jure, et omnibus modis opportunis, ni nobis de male administratis nostris bonis satisfaciat, accipiasque etiam domum, agrosque, ad eum pertinentes omnes; si, quae debet, pecunia non erit solvendo, aut solvere noluerit. Sic speramus, minus te de 500 florenis sollicitabit.

Laboratores, quandocunque huc istinc exigentur ad munitiones Wywarianas, eos expedire non negligas. Quicumque autem colonorum recusabunt parere, in modis suis animadvertant. Eorum enim huiusmodi servitia et ipsis, et toti Regno suffragantur. Neque tam de nostris, quam his solliciti esse non omittemus. Tuque in hoc ita promtus (sis) et callidus, ut nullam neque pigritiam, neque frigiditatem admittas, patriae enim et christianitati inservimus.

De decima Zoliensi iam non sis sollicitus. Voluntate Maiestatis Caesareae concessa est, et iam persoluta.

De tuo quoque fratre non sis anxius. Est mihi commendatissimus, egique cum eo de omnibus, quae tu illi velles, nec nos negamus, ipse vero cupit. Piseti gere curam, ut iam es edoctus; neque cures, si quam eius partem assumit nobis pensio. Cures tantummodo, ut ea omnia cognoscas, unde in illo structa sunt damna. Nimirum si sunt vetera, an nova, et cuius sint conditionis, mittasque ad nos primo quoque tempore; ut quum in curia erimus, cum Sua Maiestate agamus, et transigamus. Tu tamen interim vigila et circumspice diligenter, ne alicunde palpum tibi obtrudatur, et in cameram reiicias.

Ut itaque pro tollenda pensione non praetermittemus laborare suo tempore, ita piseto cedere haudquaquam cogitamus.

De carminibus illi bono viro Ragusino, qui nos illis propter tantam nostram et virtutem, et fortunam excellentiamque celebravit, agas gratias. Cuius familia quum in Ragusina nobilitate non sit postrema, in his, in quibus poteris, gratificari non recuses.

De vestitu tuo tumet interim prospicias ex mea tibi, donec de tota tua conventione transigemus, ubi de hoc quoque ascribetur mentio.

Scias demum loco ultimo, in curiam nos omnino ad adventum Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis ascendendum. Ubi opportebit nos uberiores habere sumptus, quorum eam partem, quae nobis istinc suppeditari potest, eam quamprimum cures nobis. Tuquemet eam afferas, antequam recedamus hinc. Expedit enim rebus nostris, quibus istic praees, ut tecum colloquamur. Memor, ut equum nobis adducas, quo in curia uti possimus; hoc est, ut sit et pulcher, et bonus. Vale. Wywarij 11. Julii 1571.

CX.

Forgách Simonnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Dominum Simonem Forgach Supremum Sacrae Caesareae Maiestatis Capitaneum.

Hoc mane cognito, quod Magnificae dominationis Vestrae subditi denuo et in eodem terrae nostrae tractu foenum falcarent, in quo proxime falcaverant; miseramus provisorem nostrum cum certis viris prae- 1571. jul. 14.

cipuis huius praesidii, non in alium finem, quam ut per eos edoceremur, an id esset verum, beneque perspicerent, num intra metas nostras id incideret bonis nostris violentiae. Interim vero cum ii iam rediissent, afferunt nobis et capitaneo nostro ab Eadem litterae, satis nobis onerosae indignaeque admodum, quibus pro earum merito respondere debuissemus. Erunt tamen apud nos in ea consideratione, qua maxime honori, dignitati, tutelaeque nostrae consulere solemus, postquam tantopere et minetur nobis Sacratissimae Imperialis Maiestati iuribus, et plane invadit in Ecclesiae nostrae bona. Quod certe ab Eadem non promerueramus. Sed utcunque instituit nos commovere, hosque vero fines perturbare, privatorum commodorum studio, quum publicis sit praefecta; nos exemplum eius non sequemur, sed moderate, praemissis praemittendis, reliqua quoque ibi agitabimus, ubi aequitati locus erit, minaeque et iniuriae Magnificae dominationis Vestrae in nos contortae maiore et meliore trutina excutientur, quam iudicio nobis sunt illatae. Quum nos in his nihil aliud quaerimus, quam ius aequitatis, horumque finium quietem et salutem. Bene valeat. 14. Julii 1571.

CXI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Imperatoriam Maiestatem.

Strigoniensis Beghus Mahmwt nomine quotidianis ferme excursionibus fines hos infestat, et ubique hominum praedas agit. Nec interim cessat omnes nos, qui his finibus praesidemus, litteris fidei suae sollicitare, ut pacem conservemus, vicissimque a singulis reversales exigit. Quales autem ad Comaromiensem dedit, misi earum Sacratissimae Maiestati Vestrae copiam. Quas ad me iidem Comaromienses miserant, petentes a me consilium, quid eidem Mahmwth Begho super hoc deberent respondere; quum ipsis etiam absurdum esse videretur, eum hinc pacem vicinis polliceri ac suadere, inde passim excursionibus et praedis vacare. 1571. jul. 16.

Habita itaque huius rei consideratione idem dedi eis consilium, quo iam ego usus fueram. Nimirum ut responderent, se mandatis Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae satis esse instructos ad hanc ipsam pacem conservandam, summoque curare studio, ne quid vel minimum contra ea committerent, quo Eadem Maiestas Vestra offendi posset. Ceterum sibi haudquaquam esse integrum, cuippiam huius generis litteras dare, sine Eiusdem Vestrae Imperatoriae Maiestatis scitu; contenti interim eis litteris, quibus inter duos Caesares pacem hanc memoratam constat esse confectam; seque illi amicabiliter suadere, ut

ipse quoque in his conquiesceret, eisque sese accommodaret; privatis nihil ageret, nihil moliretur, quibus nulla vis, nullum ius, nulla inesset authoritas. Probarunt consilium; nec tamen scio, an sint eo usi.

Verum quum ego existimarem, commentum hoc non fuisse excogitatum simpliciter, neque directe pacis causa, seduloque inquirerem, cur silente Passa Budensi, Strigoniensis Beghus eius subditus moveret hanc materiam : a nostris tandem subditis, et ab iis captivis, qui emittuntur ad corroganda redemptioni suae subsidia, comperi, ubique iam hoc tempore per hos nostros fines interrogari homines, in quoscunque incidunt, num haberent huiusmodi fidei litteras; eosque omnes dimitti liberos, reddique securos, quicunque habuissent; qui vero non, in captivitatem abduci. Quod inventum quorsum tendat, et quid sibi velit, puto coniecturam non esse difficilem. Eo nimirum non aliud venari Beghum, quam occasionem laudabili munitam praetextu, ut pace etiam stante depraedetur impune, quum impossibile sit, ut quilibet ex populo litteris huiusmodi instructus esse possit. Et quum potest esse, ut hic Beghus cogitet ex hoc peius quippiam aliud, quod in occulto premit, neque nos ita facile quimus assequi : existimavi periculosum esse, si in finibus liceret privatis, sine expresso scitu et voluntate Principis similes fidei litteras ad hostes dare. Propter quod etiam curare humillime volui, ut hoc novum, quam maturrime fieri possit, Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer intelligat. Quam Deus Optimus Maximus quam diutissime sospitet atque felicitet. Wywarii 16. Julii 1571.

Eiusdem Vestrae Sacratissimae
Catholicae Imperatoriae Maiestatis etc.

CXII.

Poppel Lászlónak Verancsics Antal.

Ad Ladislaum Poppelium.

Quum decimae nostrae Districtus Ceythe et Wyhely praecipue ad arcis nostrae Wywar, adeo hostibus finitimae, et ad eius praesidii conservationem colliguntur; nequaquam eas elocationi facere possumus obnoxias. Magnificam itaque dominationem Vestram rogamus, velit nos habere excusatos, si Eidem hac in re gratificari non possimus. Nec velit etiam arcis Trinchiniensis necessitatem cum Wywarinae necessitate comparare; quasi hiisdem ea subsidiis indigeat, quibus haec indiget Wywarina. In qua milites non parvo numero quotidie pro Regni Hungarici et pro aliquot vicinarum provinciarum salute fundentes sanguinem excubant maximis nostris sumptibus. Trinchiniensis immunis ab his omnibus necessitatibus atque oneribus, in summa securitate et pace degit. Ne igitur alienae quieti et otio multiplicemus commoda, nobis vero nunc etiam laborantibus et aestuantibus, ut his finibus sustentandis sufficere possimus, incommoda cumulemus; ignoscat nobis (petimus), si erga Illam liberaliores esse nequimus. De transactione autem quadam Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis cum Magnifica quondam domina Margaretha Szechy superioribus annis habita, ubi meminit; ea iam dudum praeteriit et expiravit, nobisque Sacratissima Eius Maiestas ita totum Archiepiscopatum 1571. jul. 20.

benigne contulit, ut nihil prorsus detractum ex eo nobis esse voluerit. Nosque memores juramenti nostri, quod Suae Maiestati praestitimus, de non alienandis bonis Ecclesiae nobis concreditae; iterum Eandem Magnificam dominationem Vestram petimus, ne nobis vertat vitio, si Ecclesiae nostrae bona defendimus, eaque a transactionibus perpetuitatum, quae alienationem inducere solent, recuperare nitimur. Alioqui summo studio sumus, ut Magnificae dominationi Vestrae in omnibus aliis, nobis possibilibus, gratificemur, declaremusque certis argumentis, Eiusdem erga nos benevolentiam maximi facere, et primario apud nos habere loco. Valeat optime et feliciter. Wywarij 20. Julii 1571.

CXIII.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Paulum Bornemyzzam Episcopum Transsylvaniensem.

1571. jul. 23. Ad me quoque perlatum est satis tempestive, Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem dominum nostrum clementissimum Viennam die decima mensis huius, incolumem cum omnibus suis, Danubio appulisse, et podagra subito correptam fuisse, vehique sella, quum in publicum prodit. Quod an sit verum, plane nescio; sic tamen scriptum est ad me Posonio. Nondum autem ego quoque quicquam ab eadem litterarum accepi, nec mearum ad eandem dedi; quod

ipsemet, non expectata vocatione, Viennam paro iter, functurus subiectionis meae officio, ne praeveniar.

De felici autem successu suae synodi Reverendissimae dominationi Vestrae plurimum glatulor. Sed vicissim male me habuit, quod sic abrupte nobis, fratribus et amicis suis, necdum quicquam opinantibus de ista sua ultimarum rerum cogitatione (nunciet); cui certe longiorem et precamur et speramus a Deo vitae terminum. Nec dubitamus quoque, quod adhuc supervivet et nobis, et patriae. Quae alioqui, quandocunque vita Eius privabitur, diu sane lugebit, donec alium similem parentem sibi educabit.

Sed quum communi de obitu legi nihil humani affectus, nihil conatus, nihil quoque preces detrahere possunt; laudo equidem testamenti curam, sed non probo consilium de publico tantae dignitatis, tantique apud Regnum meriti, deponendo munere. Quod tunc demum habebit honorificum, quum et vita et eodem munere simul defungetur. Sic se humani fastus habent, sic honores mundi finiri volunt. Nec solent esse homines gloriosi, nisi quum hos ipsos honores cum vita simul deposuerint. Cesset itaque his in scribendo uti argumentis, etiam si non habet alia. Quae quidem, quum et iuvenibus aeque imminent, ac senibus, iudico, rarius nobis esse usurpanda, qui iam senuimus, et propius legis huius finem accedimus, nec id quoque parum, quod restat nobis vitae, tristius exigamus, et quasi celerius accersamus. Quod etiam natura ipsa refugit, evitarique minime, levius nonnihil reddi facile potest; si vixerimus iucundiori animo, et extremum feremus infracti, quod omnes ex aequo manet.

De novis vero rebus ne ego quoque quicquam

habeo. Nisi si aliquid attigero de tardigrada nostra confoederatione, sive (ut vulgo vocant) liga. Quae quum nec vi, nec ratione debita cogitur in vinculum Christianae unitatis, his ipsis criminibus laborantes etiam nunc, propter quae tanto flagello Dei latissime verberamur; quomodo ea sit vel optanda coniunctior, vel speranda validior, ego sane non video. Turca enim iam dudum trifariam bellum mari sedulo gerit. Nos adhuc in tractatibus eiusdem confoederationis sudamus, apparatus vero bellicos ita curamus et adornamus frigide, necdum confoederatorum viribus in massam classis concurrentibus; ut vix credam, non solum nos hoc anno pugnaturos, sed ne coituros quidem. Nam triremibus Venetorum nondum omnibus sub signis existentibus, Hispanicis absentibus, et longiorem de se expectationem nectentibus, Pontificiis vero, ex horum deliberatione motuque pendentibus, et demum cunctis reliquis Orbis Christiani statibus silentibus, ac velut e specula quadam hinc inde prospectantibus, in eventum obsidionis Famagustae in Cyprio, Thinae in Aegeo mari, et Dalmatiae ad Hadriaticum sitae, intentis, domique sedentibus, hoc coniiciunt una mecum multi. Neque nunc certiora habeo. Vestramque Reverendissimam dominationem bene ac feliciter valere cupio. Wywarij. 23. Julii 1571.

CXIV.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Veranesics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Locumtenentem.

Heri, quum iam alias meas ad Reverendissimam dominationem Vestram expedivissem, supervenerunt mihi litterae Jaurino Magnifici domini Comitis Ecckii, quibus ait, scriptum sibi fuisse Constantinopoli, classem Turcicam esse, triremium, biremium, variique alterius generis militarium navigiorum, trecentorum sexaginta; Famagustam adhuc esse obsessam, sexagintaque bombardis validissimis summo conatu summaque vi oppugnari, et spem de salute eius admodum omnium esse inbecillem, quod nondum illi succurritur; nostrae classis, nescio, ignaviane, an tarditate concurrendi et deliberandi, rem sero geri; classi quoque Turcicae duos primarios Vezirios esse praefectos, Pertavum cum quodam altero, quem non nominat; duos vero magno cum equitatu, peditatuque in Epyrum missos, ad domandos Albanesios, qui Ceraunios montes sub iugis Macedonicis ad Ionium mare incolunt, et Venetorum sequuntur auspicia. Ii autem populi, qui Dalmatiae ac Bosnae sunt contermini, et praecipue alpium magnitudine asperitateque muniantur; verendum maxime est, ne, si in potestatem eos redegerint, per Bosnam irrumpant in Dalmatiam, quae quum nec munitionibus locorum polleat, nec ea sit opum facultate, ut alendis maiore numero militum ordinibus sufficiat, nihil est aliud expectan- 1571. jul. 26.

dum, quam ut vel primi impetus tempore succumbat hostibus. Quo casu interveniente (quem alioqui avertat Dominus) haud dubie mox per Croatiam in Forum Julium invehentur, provincias Noricas vexabunt, et demum qua mari Hadriatico, qua hiis quoque continentis regionibus, Venetae ditioni propinquissimis, ita eosdem astringent et coarctabunt Venetos, ut metus sit de statu illorum actum iri. Sed dominum Deum oremus, ut has coniecturas nostras, quum iam nec sciamus, nec possimus meliora sperare, adeo iram eius contra nos flagitiis nostris irritavimus, faciat eventu pro sua bonitate et reverentia feliciores. Et Reverendissima dominatio Vestra bene valeat. Wywarii 26. Julii 1571.

CXV.

Balassa Jánosnak Verancsics Antal.

Ad dominum Joannem Balassam.

1571. jul 28. Intelleximus, Magnificam dominationem Vestram non eo pretio decimae nostrae bonorum suorum ad arcem Keekkew contentari, de quo provisor noster decimatoribus nostris modum praescripsit, sed loco eius vilius subiicere. Quo non mediocriter gravamur. Eoque etiam difficilius ferimus, quod huiusmodi a tali domino et amico erga nos fiant; cui dum consuluimus totam decimam nostram Newgradiensem uni personae, nunc damni periculum facimus, et quieti in eam mo-

lestiam apud Magnificam dominationem Vestram impegimus, quam et a nobis, et ab aliis avertebamus. Sic iis usu venire solet, qui nimis boni, liberales et humani esse volunt. Verum quum non admodum ea essemus voluntate, ut quempiam decimis nostris oneraremus, habentes nos etiam in hoc finitimo lòco maximorum sumptuum causas, ex quo praecipue magna pars reliquiarum Regni protegitur. Et ad id, ut commode sufficere possimus, nisi earundem decimarum nostrarum adminiculo suffulti fuerimus: Regno vel parum admodum, vel omnino nihil pro imminentibus ei periculis, ac necessitatibus inservire poterimus. Magnificam itaque dominationem Vestram obnixe rogamus, velit haec ita perpendere, ut statuat apud se maximum ab iis piaculum committi, qui parvi ducunt, bonis nostris non esse parcendum. Quae fere universa publico Regni commodo insumuntur, aequumque omnino putamus, ut eo pretio memoratae bonorum suorum decimae non gravate contentetur, nec praesentia tempora sic prioribus comparet, ut eorum omnibus conditionibus uti velimus, si commodis et felicitate nequimus. Restrictis enim Regni limitibus, et necessitatibus auctis, rerum etiam sublata est omnis copia. Hiisque minutiis, quae superfuerunt nobis, dum omnes ex aequo vesci contendimus, nec abunde omnibus sufficiant; ut accrevit ex hiis caritas, ita et pretia omnium sunt aucta. Nos autem, quia insani prope sumptus, qui huic debentur arci nostrae, cogunt ad industriam exaugendi honesto ac licito quoppiam foenore nostros reditus, causis et piis, et valde necessariis, quod patriae serviunt; si quid in hoc excedimus, boni consulat. Ceterum si Magnifica dominatio Vestra, et omnes alii, qui con-

ducunt nostras decimas, lucrum ex eis quaerunt, cur nobis, idem beneficio publico curantibus, interdici debeat, non videmus. Et aequitati, commodoque patriae plurimum peccant, qui hoc nobis vitio vertunt. Sed quum id a Magnifica dominatione Vestra, qui semper optime et de patria, et de aequitate sensit, non expectamus; iterum petimus, ne nos commodis nostris aequissimis privare velit, sed illo pretio decimam nostram libenter compenset, de quo iam a provisore nostro abunde intellexit. Nos semper in iis amicis habitura, quos peculiares semper habuit. Et bene valeat. Wywarij 28. Julii 1571.

CXVI.

Andreffy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Andreffy.

1571. jul. 28. De invidorum nostrorum calumniis, quas nunc istic dispergunt in publicum, ubi veniam petis, quod uberius ad nos perscripseris, perinde ac si licentiosius quodpiam in nos deliquisses; tibi propterea non solum non indignamur, sed etiam gratiis nostris dignum te esse dicimus. Idque ut frequentius facias, tibi etiam praecipimus. Quum si huiusmodi a necessariis nostris, quorum te censemus nobis non in postremis esse, non cognoscemus, ab alienis quid nobis pollicebimur? qui etiam id sibi adimi putant, quod coeli nobis contulerunt, ne solam virtutem nostram oppu-

gnare videantur. Cui sane eorum nemo est, qui comparari, sed ne nocere quoque possit. Novimus et maiorum nostrorum sobolem detestandam, et istos ipsos patriae huius nobilissimae aliquando regniperdas indignissimos, qui sese etiam pannosos nominare debeant. Sed de iis non plura modo. Multa postea securius, quum redierimus. Illud duntaxat obiter scito, quod hactenus nulla nos invidia ad sanguinem usque vulneravit, nulla nec vicit, nec prostravit. Exercuit tantummodo, et ampliavit. De quo laudetur Altissimus et Immortalis; ipsi vero rumpantur, qui invidia ardent, nocent nihil; et velint nolint, nos Dei beneficio, Caesaris vero Maximiliani munificentia floremus et triumphamus. Ex iuvenibus autem nostris, si unum amnis Nitrius abstulit, functus est ille fato suo, non culpa nostra. Ceterum quod rabulae et occulti vermes nobis propterea obloquuntur, hoc etiam dandum est invidiae, quam odium quoque semper comitatur. Maiorem tamen illi damnationem merentur, quorum canes homines necant. Sed haec tibi soli. Vale. Wywarii 28. Julii 1571.

CXVII.

Telegdy Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Telegdinum.

Diligentissimam commendationem vestram in re Alberti Zylwae intelleximus, laudamusque officium, quo amico vestro deesse noluistis. Ideo neque etiam opera ista vestra offendimur, quum nos quoque illi 1571. jul. 29.

magnopere compatimur. idque ea nimirum causa, quod ingenio suo vehementiore et sibi obest, et iis quibus interdum servit, molestiorem difficilioremque sese exhibet. Nos autem, qui lenitati bonitatique, ac facilitati praecipue studemus, similes quidem contubernales satis diu, ac magna ferimus patientia; sed ubi semel eos excusserimus, valde cavemus, ne iam veteres poenitudines exantlatas repetamus, et pluries in eundem lapidem impingamus. Reliqua ex hiis coniicite, et ei nos ad omnem benevolentiam, favorem et patrocinium exhibite. Nec id silemus aliis, quam quibus ipse etiam ad nos commendationem vestram perferri voluit. De Magistro Andrea coeco, Assessore Sedis Judiciariae; est quidem nobis etiam curae, ne illum deseramus. Sed quum et aetate, et inbecillitate oculorum pressus sit, totumque fere anni tempus in Judiciis Octavalibus sive publicis cogitur exigere, et tunc maxime, quum nostrae quoque Metropolitanae Sedis Judicia interdum ferveant; non videmus, quam commode, quamque etiam sufficienter et agiliter utrobique satisfacere poterit. Quum ad haec illud quoque per hos dies adegit nos in silentium de re eius, quod in postulatione salarii excesserat limitem mediocritatis. Sed haec utcumque acciderunt, transeant; vos rem omnem accuratius expedite, et videte, si ad servitium Sedis nostrae assumendus erit, quamque eidem commodus esse poterit, si bifariam locabit operam. Cui aliqui non sumus defuturi nostris subsidiis, etiamsi nobis non inserviet. Hisque omnibus exploratis atque intellectis, nobis perscribatis. Et bene valete. Wywarii 29. Julii 1571.

CXVIII.

Thurzó Eleknek Verancsics Antal.

Ad Alexium Tursonem.

Quum modus decimandi iam dudum publicis etiam constitutionibus in Hungaria decretus sit, ne nunc de Divina ordinatione loquar, quae est longe antiquior, quam sint haec nostra tempora, nec discrepat a recepta Regni consuetudine; nescimus, unde tu novum comminisci volueris. Qui quum sit et publicae constitutioni contrarius, nec Divinae ordinationi, aequitati respondet, et nobis detrimentum afferat, non sine gravi nostra iniuria: peto te, ne illo uti velis. Reique huius rationem quam uberius ex litteris cognosces mei provisoris, nos in ea declaranda non erimus prolixiores. Te tantummodo, ut amicum peto, ne a memorata aequitate, a vetereque Regni consuetudine recedas. Utcunque mei rationem habueris, et de mea apud te statueris amicitia; spero tamen, quod etiam meliore loco apud te dignabere, si memineris nostri officii. Quo quidem erga te sine omni necessitate mea, et superiore, et hoc praesente anno fuimus non illiberales. Igitur ne mihi quodpiam inexpectatum abs te amico vetere in decimis meis novitate simili damnum per ministros tuos inferri patiare, te etiam atque etiam petimus. Quo tibi alias etiam, quantum per finitimi loci huius mei necessitatem potero, gratificari non praetermittam. Vale. Wyvarii 30. Juli 1571. 1571. jul. 30.

CXIX.

A magyar királyi kamarának Verancsics Antal.

Ad Cameram Hungaricam.

1571. jul. 31. Peredienses operas ac labores suos nullos omnino arci huic impenderunt nostro tempore. Sed ne reliqui quoque vel Praepositurae Turociensis, vel aliorum vicinorum nostrorum coloni; sed soli Archiepiscopatus coloni. Male itaque egerunt, quod huiusmodi non vera querimonia attigerunt Dominationum Vestrarum aures, et nos iniuria perstrinxerunt non commerita. Quamquam autem ex publicis constitutionibus coloni Praepositurae Turociensis tenerentur operis suis munitiones arcis huius iuvare; tamen adhuc nec ipsi, nec ulli alii gravati sunt hoc onere. Atque utinam vicini nostri non raperent nostros, neque abuterentur indignissime eorum laboribus; certe non admodum pro his principiis reparationum Wywariensium vexaremus alienos. Et haec ad hesternas suas, easdem rogando, ut nobis credant. Et bene valeant. Wywarij ultima Julii 1571.

CXX.

Az érsekujvvári őrséghez Forgách Simon királyi főkapitány.

Simon Forgach Supremus Sacratissimae Maiestatis Capitaneus, ad Wywarienses milites.

Tametsi annis quoque superioribus, quum me 1571. aug. 23. domini Commissarii Sacratissimae Caesareae Maiestatis, domini nostri clementissimi, in hoc officium collocaverunt, per eosdem a Sua Maiestate vobis sufficienter vobis commissum est, ut me tanquam Supremum Capitaneum audiretis, et in omnibus, quae negotium ac servitium Suae Maiestatis et Regni concernunt, mandatis meis obtemperare et obedire deberetis; facere tamen hactenus, quemadmodum probos, et fideles servitores decet, non recusastis. Quum autem superioribus diebus ex instigatione quorundam hominum inter vos et Swranienses mota et suscitata fuit quaedam controversia, quam alienatio quoque vestra tam a me, quam etiam a servitoribus Maiestatis Suae subsequuta est. Unde considerans ego, quod si opera et auxilio vestro quoppiam in negotio seu necessitate Regni, ac Suae Maiestatis opus esset mihi, tunc maxime illud praestare mihi recusaretis, prohibentibus illis, qui huic ipsi controversiae fundamentum et causas dederunt: coactus itaque (fui) Sacratissimam Caesaream Maiestatem requirere, et Eam hac de re informare, ut de his edocta, tempestive ad summovenda pericula, quae possent incidere, provi-

deret. Quapropter clemens etiam mandatum suum dignata est ad vos dare, ut hanc ex eo voluntatem eius cognosceretis. Ego vero, uti Supremus Maiestatis Suae Capitaneus, moneo vos diligenter, ut sic vos in his geratis, ut mandatum Maiestatis Eius ostendit. Quumque necesitas postulabit, una mecum sitis, quo facilius et commodius Divino auxilio, tam patriae, quam Sacratissimae Suae Maiestati inservire possimus. Quum Maiestas etiam sua Caesarea ea conditione Archiepiscopatum contulit Archiepiscopo, ut praesidium Wywariense in omnibus Supremo suo Capitaneo subsit, et eum audiat. Responsum a vobis expecto; curetisque, ut voluntatem vestram cito intelligam, sciamque Caesaream Maiestatem Suam informare et cognoscere, quantum de vobis possim confidere, et quantum non. Bene valete. Ex Swran 23. Augusti 1571.

CXXI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem.

1571. aug. 23. Camera Hungarica summo suo conatu, clementi vero Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae nomine instat, ut Capitulum meum Strigoniense cedat Abbatiae Zeplakiensi, sitque contentum certa pensione annuali. Quae Abbatia quum sit applicata Seminario eius Ecclesiae amplissimo Sacrae Imperatoriae

Maiestatis Vestrae privilegio, nec pollet adeo opimis redditibus, ut necessitatibus Maicstatis Vestrae possit afferre aliquid commodi; minusque etiam videtur ex eius esse dignitate, ut non solum de parvis, sed ne etiam de maximis causis abroget privilegia sua quibuscunque data, et maxime Ecclesiis: Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae una cum eodem Capitulo meo supplico, dignetur clementer et Abbatiam ipsam, et privilegium super ea eidem Capitulo collatum in eo statu permitti relinquique mandare, in quo Eiusdem gratia liberalitateque permansit et relicta fuit hactenus. Nam quum privilegia donationum Principum perpetuitatis proprietate potissimum gaudent et nituntur; ita illa praecipue, quae religionis Ecclesiarumque conservationi addicuntur et dedicantur, humillime censerem, salva et inviolata perpetuo esse debere.

Haec autem Abbatia, quum Sanctissimo et maxime necessario operi applicata sit, nempe Seminario, quod Ecclesiae illi Catholicos ministros educat, de quorum penuria latissime per totum Regnum patent querimonie: iterum Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrue humilime supplico: dignetur clementer eidem Seminario pietate sua consulere, ne corruat. Cui quum id, quod ego, et Capitulum confert, non sufficiat; ceterique collegiata obtinentes beneficia tenuissime suppeditant: non stabit haud dubie, si hac Abbatia spoliabitur.

Ne autem hoc accidat suggestione minus recte sentientium de dedicatis rebus Deo: misereatur clementer eius; et id Suae benignissimae gratiae, quae perinde, ac ex nova donatione nascetur, illi, pro pientissimo suo instituto, conferre non dedignetur.

Collatura hanc munificentiam ipsi Altissimo; si, quod ipsi Ecclesiae honori, commodo, conservationique donavit benigne semel, salvum firmumque perpetuo esse decernet et mandabit. Quam Deus Optimus Maximus quam diutissime sospitet atque felicitet. Posonii 23. Augusti 1571.

CXXII.

Dudics Endrének Verancsics Antal.

Ad Andream Dudicium.

1571. sept. 3. Tam profundi ac diuturni mei silentii, de quo Magnifica dominatio Vestra expostulat, non leves fuere causae. Neque in hoc periclitata est benevolentia, quae nos antea coniunctos habuit, et nunc quoque habet. Sed id, quo non solum Catholicae Ecclesiae, ac Sacro nostro ordini multum detraxit, verum etiam sibi ipsi, ac suo nomini plurimum obfuit, quod iam amplissimum esse coeperat. Cavebam enim a reprehensione maiorum: ne, si solito more necessitudinem nostram coluissem, fuissem iudicatus, quod aut probassem, quod fecerat, aut etiam fuissem tanti casus et excessus sui conscius. Quamquam privatim etiam aegerrime ferebam, quod Sacerdotio et Episcopali dignitati coniugium praetulerat, non suo tempore, sed alieno. Qua in re contemptus quoque intervenerat Sacri muneris, quod ante amplexa fuerat, quam etiam cogitaverat de cura coniugii. Atque haec quum

omnium ora uno consensu improbabant, ne egoque laudare potui, qui nihil unquam magis odio habui, quam religionis Catholicae vel contemptores vel offensores. Quum spreta et prostrata in Christianitate religionis reverentia, quid est quod ei restet ad excidium universi status eius? Quemadmodum vel hac praesenti tempestate perspicue cernimus, qua tot Dei flagellis non opprimimur solum, sed etiam conficimur; ignari etiam rationum, quibus hosti occurramus, nec virornm ducumque praesidio instructi, qui periti forent in Turcas bellum gerere. Quibus defectibus non alia causa laboramus, quam quod verae Sanctaeque religioni Catholicae, Romanaeque Ecclesiae terga verterimus. Ne itaque vel mihi, vel aliis etiam veteribus amicis tuis indigneris, si qui ex nobis non a te, sed a re tua facti nonnihil alieni, minus tibi videantur in officio veteri satisfacere. Quo animo quum et ego nonnihil fuerim abs te alienior, scribere etiam desieram. Semper interim cogitans, quod tua etiam dominatio pro sua prudentia, qua non obscure pollet, bene ista perpenderit, meque habuerit excusatum, quum itidem ipsa quoque sic se gessiset erga alios, si statu suo feliciter consistente, hunc in modum quipiam ex amicis suis concidissent. Ego vero etsi nunc etiam haberem, quo deberem diutius perstare cum dominatione Vestra in silentio; quum tamen assequor aliquid de suo alio et iam transacto animo, meliore nunc eam coepisse duci; quo laetatus sum non mediocriter, has Ei scribere volui, ut et ea sciret, quae de mea erga se voluntate optabat, et illam hortarer, ut si quo Divino spiritu tacta sit, quem Illi a Deo Optimo Maximo etiam vehementer exoro, eum in se non pateretur extingui, sed identidem sibi conciliet,

et familiarem faciat. Quo sic demum, et a casu isto sublevetur, et cum Petro, Paulo, Magdalena, et cum pluribus aliis, qui ex peccatoribus facti sunt sanctissimi, et amici Dei, in viam redeat. Et bene valeat. Viennae 3. Septembris 1571.

CXXIII.

Ghyczy Györgynek Verancsics Antal.

Ad Georgium Gyczy.

1571. sept. 4. Cum dominis Forgach nihil innovetis rerum, donec aliud a nobis habebitis; militum vero partes, quotiescunque salus et defensio publica exegerit, domino Capitaneo non negentur. Non etiam illi concedantur ad hostes lacessendos; prohibet enim Maiestas Sua pacem perturbari. Similiter si ad res suas privatas evocabit aliquando eos, careat illis; nobis enim et dati et iurati sunt. Alioqui si maiorem honoris, existimationisque nostrae habebit rationem, neque contra nos tumultuabitur cum fratribus suis, nihil erit nobis in facultatibus nostris, quod cum illis non communicabimus. Memineritis tamen, ut quotiescunque partem aliquam emittetis ad ipsum dominum Capitaneum, ne toto milite arcem spolietis; solent enim astuti hostes variis dolis rebus suis consulere. Providendum itaque vobis semper est, ne quum hostes alio quoppiam loco persequemini, ad vos cursum impetumque convertant. Quo tempore, si forte effudis-

setis totum praesidium, quibusnam viribus niteremini, non videmus. Nisi ut magnopere periclitari cogeremini, totius Regni magno atque extremo periculo. Igitur circumspicite omnia sedulo, quum emittantur milites. Vale. Viennae 4. Septembris 1571.

CXXIV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Catholica Imperatoria ac Regia Maiestas, Domine, domine mihi semper clementissime!

Superioribus diebus Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra per benignas litteras suas requisivit a me clementer duo: Primum, ut partem decimae meae Districtus Cheyte et Wyhely velim obedienter Magnifico domino Ladislao Poppel ad Trinchinium elocare; deinde ut duas possessiones meas Welkyne et Pyspeky ad oppidum Archiepiscopale Rosnobanya in Comitatu Gewmeoriensi pertinentes Sacratissimae Maiestati Vestrae per haec turbulenta tempora ob importantes causas obsequenter remittere velim; idque conditionaliter, nimirum ut successu temporis, quo illae partes liberatae fuerint praesentis belli tumultibus, iterum sine ulla difficultate et gravamine solutionis alicuius restituantur Ecclesiae Strigoniensi. 1571. sept. 6.

Quod itaque attinet ad decimam Districtus Cheythe et Wyhely, ea tota, quum sit, Clementissime Imperator, praecipua et maxima omnium aliarum totius

Archiepiscopatus, acceditque cum suis lucris ad utilitatem quinque prope millium florenorum, quia praecipue salaria tritici ac vini militibus persolvuntur: valde damnosum esset Wywario, si eius pars dimidia quingentis duntaxat florenis elocaretur. Ut tamen Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae benignae voluntati per me humillime pareatur, cuius sunt etiam alia mea omnia, assentior; et ita fiat, ut benigne Maiestas Vestra vult ac mandat. Supplico tantummodo, ut dignetur clementer mihi significare, undenam satisfactionem eius expectare debeam.

Ad duas vero possessiones quod attinet; eas quoque Maiestati Vestrae Sacratissimae obsequenter concedo. Sed quoniam haedem possessiones duae aeque minus erunt Camerae Maiestatis Vestrae utiles, ut reliquae duae mihi remanentes, Chwchon et Nadabolya, cum oppido Rosnobanya sic ab invicem distractae: iudicarem, eidem Sacratissimae Maiestatis Vestrae conducibilius fore, si haec ipsa bona mea, Rosnobanya cum memoratis quattuor possessionibus, Welkynye, Pyspeky, Chwchon et Nadabolya, simul cum decimis, ac pactatis meis omnibus Comitatuum Gewmeoriensis et Tornensis, quae iam a biennio mihi non persolvuntur, Sacratissima Maiestas Vestra in sese superioribus conditionibus reciperet; ne alienentur ab Ecclesia, mihique pro his omnibus clementer condonaret et relaxaret pensionem piseti Cremniciensis. Quandoque et ego levarer gravissimo onere, cui difficillime inter tot alios sumptus satisfacio; et eorum bonorum decimarumque utilitas utilitatem pensionis non mediocri excedat commodo. Ad quod illud quoque accederet non incommode, quod et Camera solutione huiusmodi decimarum liberaretur, et ego

minore cura in eadem solutione exigenda aestuarem; iique milites, in quos eorundem bonorum decimarumque proventus dilargirentur, uberius quam paratis pecuniis, quarum facultas non est semper in promptu, commodarentur. Cui petitioni meae humillimae ut Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer dignetur annuere, etiam atque etiam demisse supplico, et gratiosum responsum expecto. Viennae 6. Septembris 1571.

Eiusdem Sacratissimae Imperatoriae
ac Regiae Maiestatis Vestrae.

CXXV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

In his scriptis meis exhibeo humillime Sacrae Imperatoriae Maiestati Vestrae tria negotia : duo peculiariter mea, tertium vero, quod mihi commune est cum Capitulo meo. Ex duobus primis clementer omnia intelliget, quae proxime inter me et Magnificum dominum Simonem Forgach Supremum Capitaneum ratione quarundam metarum inciderunt. Ex tertio vero rem de Abbatia Zeplak, amplissimo privilegio Sacratissimae Maiestatis Vestrae Seminario Ecclesiae meae Strigoniensi clementer iure perennali ac irrevocabili applicatae perspiciet. 1571. sept. 6.

Supplico itaque humillime, ut his exacte omni-

bus cognitis, quae idem dominus Capitaneus Forgach sine omni legitima atque evidenti causa contra me movit et molitus sit, dignetur ad meam etiam quum aequitatem, tum ad innocentiam quoque benigne respicere, atque illi mandato suo praecipere: ut primum, si quid iuris in aliquibus bonis meis sibi praetendit, non vi, sed jure agat; deinde in jurisdictionem meam sese non ingerat; domui meae, ac domesticis et subditis meis non imperet, neque in eos ius sibi usurpet; terminis muneris sui sit contentus; milites ductui suo concreditos ibi teneat, ubi sunt necessarii. Et ex meis, quum eos Regni ac finium illorum necessitas postulabit, tot ei semper adiungentur, quot requiret. Ea tantummodo ratione et iudicio utatur, ut simul omnes non exigat, ne Wywarium relinquatur sine milite. Ceterum in meos milites et in Capitulum meum non exerceat dominium suo arbitratu; quum etiam Archiepiscopi Strigonienses habeant praerogativas suas. Sed quotiescunque opus erit illi subsidio militari, gerat se humaniter, agnoscatque aliorum etiam nobilitatem et existimationem, communicatoque consilio et necessitate publica cum meo capitaneo, petat ab eodem vel per litteras, vel per nuncios, aut etiam coram, si libuerit, quicquid ei opus fuerit. Et sic mutua intelligentia et uno consensu agant omnia, quae utriusque erunt tum fidei, tum muneris. Neque in alieno tam licenter et cum iniuria praeesse et dominari contendat; quum nemo honorem suum cedit alteri. Et quia hoc ius in Wywarienses milites ambivit etiam Stephanus Dersffy, nec obtinuit ut absurdum: certe nunc etiam indignum esset, si Archiepiscopi Strigonienses cuiuspiam ambitioni demitterentur in hunc modum. Supplico itaque humillime, dignetur

Maiestas Vestra huiusmodi benignissimo suo mandato aequitati, atque honori meo in his omnibus citra moram consulere, et etiam super Abbatia de Zeplak gratiosum et benignum responsum mihi dare; quum aliter illud Seminarium minime stare et conservari poterit. Viennae 6. Septembris 1571.

CXXVI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacratissimam Imperatoriam Maiestatem.

Edocturus Sacratissimam Maiestatem Vestram 1571. sept. 7.
humillime de tota controversia, quae mihi proximis diebus incidit cum Magnifico domino Simone Forgach Supremo Cisdanubianarum Partium Capitaneo, illud imprimis dicendum incumbit: esse mihi duas possessiones in vicinia propinquissima arcis Wywar, Thardosked et Nyarhyd, quae sunt commetaneae cum territorio arcis Swran. In quarum confinio fossa quaedam ducta est paulo longior, habeturque pro metis, quae sunt potissimum arci Swran et possessioni meae Nyarhyd; iuxta quam fossam versus hanc ipsam possessionem meam Nyarhyd est quaedam terrae particula. Cuius causa licet etiam elapsis temporibus fuerit aliqua contentio inter Archiepiscopos et possessores arcis Swran: tamen constat, quod semper Archiepiscopi fuerunt eius possessores, foenumque ibidem eius officiales et subditi falcaverunt. In

quo usu quum et Paulus, et Nicolaus, antecessores mei fuerunt : non subditorum et veteranorum quorundam meorum militum; sed etiam vicinorum, quod in Judicio, si opus fuerit, facillimo probabitur testimonio.

Hanc terrae particulam non ita pridem, quum iam ego primi anni mei in Archiepiscopatu ex ea percepissem emolumenta, Magnificus dominus Simon Forgach aggressus est sibi arrogare. Monitoque eodem Magnifico domino Capitaneo per plures menses tum coram, tum etiam litteris, ne me in bonis meis perturbaret; et si quid in eisdem iuris sibi praetenderet, jure ageret, non vi, neque iniuria, quum essem illi in omnibus pro aequitate responsurus, quaecunque in iuribus meis habuissem, et ex suis cognovissem. Nolens omnino, ut inter nos inimicitiae aliquae orirentur, quiesque et securitas eius confinii turbaretur, essemusque etiam hostibus ludibrio.

Novissime idem dominus Supremus Capitaneus, ductus desiderio videndi arcis Wywariensis incoeptas reparationes, eodem cum Egregio Caspare Pechy venerat. Ubi inter alia collocutus cum provisore meo de controversa terrae particula, communi consensu et voluntate decernunt, ut hinc inde electis octo senioribus rusticis, tam ex eius, quam ex meis bonis, judicio illorum staretur, juramento tamen prius adactis de dicenda veritate, utque interim eadem terra et fructus eius utrique parti permaneant intacti, donec iusta atque integra consequeretur rectificatio.

Sed hac transactione per dominum Capitaneum Forgach non observata, ubi primum digressi fuere ab invicem, et provisor meus recesserat ex Wywar negotiorum Archiepiscopatus causa : Magnificus dominus Capitaneus, visa provisoris mei absentia, licet

iam ego essem Wywarii, misit in dictam terram falcatores, et foenum eius defalcari iussit. Neque id ad me perlatum est prius, quam quum iam et foenum defalcatum fuerit, et venturi erant ex Swran vectores, qui aveherent illud. Provisor vero meus, quum eodem fere tempore Wywario, uti iam dixi, discedebat, vidensque ego, quod Magnificus dominus Capitaneus transactioni non stetisset, pactumque eius violasset, et contenderet etiam usum eiusdem terrae meae per vim sibi vindicare; habito cum iis consilio, qui jura Regni non ignorabant, mandavi eidem provisori, ut memoratum foenum contra aequitatem defalcatum, iure usus mei, omni prorsus armorum contentione remota, curet in discessu inde avehere, et sic iuribus meis consulatur. Adimaturque omnis facultas eidem domino Capitaneo, qua postea in Judicio mihi opponere posset, quod eius violentiae non restitissem debito tempore.

Sic provisor meus movens Wywario, judici possessionis Nyarhyd adiuncti sunt pedites circiter 22, et unicus eques, ex potioribus militibus, Stephanus Raacz, eisdemque mandatum, ut cum necessariis curribus ita vadant ad eam terram, ut vectores domini Capitanei antevertant, et inde foenum advehant Wywarium; caventes omnibus modis, ne quam maiorem iurgiorum causam darent.

Die itaque 15. Julii profecti eo judex, vigintiduo pedites, et unicus dumtaxat eques Stephanus Raacz cum curribus necessariis, eisque sine cuiuspiam impedimento oneratis foeno, pacifice redire coeperant. Quumque iam in medium ferme territorii possessionis meae Nyarhyd pervenissent, consequuntur eos ex Swran duo equites Pauli Doczy, subitoque districtis

gladiis praecedentes currus invadunt, et illos ad redeundum cogere incipiunt. Stephanus eques meus eodem equum adigit; dumque honestis atque amicis verbis illos hortatur, ne essent molesti, accurrit et Paulus Doczy cum circiter septem equitibus, demissaque confestim hasta in Stephanum Raacz meum equitem hostili et animo et impetu, quod ceteri quoque fecerant, manus inter utrosque conseritur; supervenientibusque eodem etiam peditibus Swraniensibus circiter 36, fit seria dimicatio. Nec adhuc Stephanus Raacz eques meus gladium strinxerat, dans omnem operam, ut sine armis dirimeretur contentio. Sed Paulo Doczy urgente acrius in pugnam suos, Stephanus quoque eques meus iubet, quos habuerat pedites conglobari, seque et suos, qua gladiis qua sclopis tueri incipit. Ubi parvo spatio temporis utrinque illatis et acceptis vulneribus, non cessante Stephano meo equite hoc etiam statu rei exhortari Paulum Doczy: „Bene videret, quid ageret; ceterum desineret quoque a furiis, communes dominos inter se non esse hostes capitales, eosque etiam solere et irasci mutuo, et redire in gratiam; nos eorum servitores non decere inter eos ignem igni addere, neque cruenta moliri sive attentare.“ Hiis tandem in hunc modum hucusque actis, Paulus Doczy cum suis omnibus pedem refert, abactoque colonorum meorum possessionis Nyarhyd pecore et iumentis vectorum foeni, abeunt.

Interim autem quum Wywarium rumor contentionis huius pervenisset, inclamareturque per arcem, pedites et colonos meos a Swraniensibus trucidari: nemo ex militibus fuit, qui non diceret, turpe esse Wywariensibus perferre id iniuriae. Legem Regni esse, ut impune vis vi repellatur; idque tam in bono-

rum possessionariorum et aliorum quorumcunque iuribus defendendis, quam etiam in periculis vitae propulsandis. Sic facta cum capitaneo meo, et cum quibusdam ex potioribus militibus deliberatione, ut succurratur iis, qui pro foeno missi fuerant, ne opprimerentur penitus; capitaneus meus circiter cum 40 equitibus proficiscitur eo, nulla alia causa, quam ut succurrat commilitonibus laborantibus, eosdemque periculo subducat. Sed tametsi ipso fere momento iam et Swranienses re bene gesta abscesserant, et Stephanus Raacz eques meus cum paucis peditibus suis Nyarhydiensium pecus recuperaverat; supervenientibus tamen novis ei suppetiis, sumpto ex ira et ex indignatione rei animo, simul omnes insequuti sunt Swranienses, ea sola dumtaxat causa, ut vectorum meorum iumenta quoque recuperarent. Verum quia iam evaserant cum iumentis simul ultra quendam aggerem in Swraniensi territorio ductum, non sunt ulterius progressi; sed ibidem reperto armento Magnifici domini Capitanei, illud abigunt, et revertuntur. Triduo post, restitutis inde iumentis colonorum meorum : hinc quoque armentum domino Capitaneo sine omni defectu remissum, et cessatum est ab hac turba; neque postea in hodiernum usque diem quicquam vel a me vel a meis attentatum, cavendo omni studio, ne quid gravius in eo confinio oriretur.

Tametsi omnes postea ipsi domini Forgach non destiterunt pluribus locis bona mea infestare. Idque sic, quod nisi ego habuissem rationem, pro fidelitate et subieetione mea, Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae et eorum finium; profecto, Clementissime Imperator, decies iam coactus fuissem cum eis ad manus venire, adeo graviter molestare bona

mea pergunt. Quod ipsum etiam obiter, quam paucissimis potero, exponam.

Pluribus locis per Hungariam sitae sunt possessiones quaedam, quae carentes ampliore territorio, sylvis, agrisque necessariis, et promontoriis vinetis aptis, coguntur vicinis esse censuales, ut eiusmodi sylvarum usu, agrorumque et promontoriorum cultura victum sibi acquirant, et sese sustentent. Neque per terrestres dominos eici ex eis possunt iuxta constitutiones publicas ab antiquo sancitas, nisi per aestimationem sumptuum ac laborum, quos in vepretis extirpandis, et in excolendis omnibus aliis pertulissent. Nunc ii domini vicini mei iniuriam damnumque illaturi mihi, colonos meos ex omnibus eorum fundis, in quibus similem culturam, non levibus conditionibus cum avis eorum initis, exercuerunt, aggressi sunt per nullam debitam atque legitimam aestimationem satisfactionemque eiicere, pro incultissimis tum agris tum vinetis omnia excultissima et fructuosissima recipientes. Quam iniuriam, tametsi ego quoque pari facto, et multo etiam cumulatiore, possem illis compensare, quum eorum coloni non pauciora in meis fundis colant: sed supersedi hactenus, ne quid egissem ante tempus eorum exemplo praecipitius. Qui quidem et mecum multo graviora agunt; et colonos meos non secus habent et exagitant, quam si dominum non haberent. Quae suo tempore, si res postulabit, ut ad particularia sit mihi descendendum, non deficiam in probationibus. Verum ne sim prolixior: sic gesta sunt omnia, quae inter me et Magnificum dominum Capitaneum Forgach diebus proximis acciderunt.

Ubi autem, Clementissime Imperator, dominus Capitaneus eo quoque aggravat causam meam, quod

in milites et in ditionem arcis Swran, quae est Vestrae Maiestatis, armatos meos hostiliter immiserim; quasi ego non essem ita fidelis ut ipse, minusque etiam eidem Maiestati Vestrae serviverim quam ipse. Licet ordines militares non duxerim: attamen habeo et ipse, beneficio Dei, mea non contemnenda merita (si bono viro de se dicere concedatur); nec puto, me adhuc vel in re minima fidelitatem meam maculasse; maiores etiam meos tales fuisse, qui mihi non tenebras, sed clarissima et laudatissima nomina, memoriamque omni luce dignam reliquerunt in Regno Hungariae. Non calumnietur itaque me dominus Capitaneus Forgach crimine, in quod non impegi. Sed potius ipsum pudeat, quod tantam tali in loco praefecturam gerens, non jure, sed violenter ius meum, quod in bonis meis habeo, sibi arrogare voluerit, meque lacessiverit rationibus minime dignis. Quem antea pluribus vicibus partim per me ipsum, partim per provisorem meum, et per litteras etiam meas petieram, monueram, rogaveram, ut jure ageret, et privilegiis, si quae haberet, uteretur; quum iam dudum penes Archiepiscopos usus eius terrae permansisset. Sed haec obaudivit bonus dominus, et vi potius, quam aequitate et via juris voluit agere; quemadmodum vel ex his constat, quae praemissa sunt.

Ut autem clarius etiam aliquid addam de militibus. Eotunc, quum haec inciderunt, apud se nullos omnino milites habuerat, praeterquam solum Paulum Doczy; quum ad haec peditibus etiam Lewensibus arcem etiam Swran custodiat, seriatim inde certo numero evocatis. Qua ex re plane apparet, me Sacratissimae Maiestatis Vestrae non oppugnasse milites. Qui certe terras meas nulla vi, nulla iniuria tentarunt;

sed dominus Capitaneus Forgach, qui colonos suos in solo meo foenum praeter omnem aequitatem falcatum miserat. Cui si restiti, violento restiti, et ius meum servavi. Ille itaque accusetur facti huius, qui ei et causam et ansam dedit; non ego, qui defendi mea. Quippe cui si licuit ius usus mei mihi adimere; mihi quoque cur non licuit illud defendere? Idque non peregrinis, sed Regni legibus. Neque aliud inter nos accidit, praeterquam hoc dumtaxat unum, quod hic postremo dixi.

Jam postquam Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae constiterunt et causae et progressus contentionis huius inter me et dominum Capitaneum Forgach exortae; supplico humillime, dignetur clementer sibi persuadere, me nihil aliud in hoc quaesivisse, quam conservationem iurium usus mei, quem habeo in ea terrae particula; alias ita me erga eundem dominum Capitaneum bene affectum esse, ut in uterinum fratrem melius esse non possem. Vestraque Sacratissima Imperatoria Maiestas quocunque modo inter nos transigi clementer mandare dignabitur, ad omnem eiusdem benignam voluntatem accedam; certissimus, quod et honoris mei, et iurium Ecclesiae meae mandabit habere rationem. Tantummodo idem dominus Capitaneus iure requirat, quicquid ad se, vel ad dominos fratres suos, ex his quae sunt inter nos controversa, pertinere arbitrabitur. Respondebo humaniter, nec palmum cuiusvis terrae aut fundi retinebo, quem alienum esse ex autenticis privilegiis legitime cognovero. Expedit tamen plurimum tam Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae, quam reipublicae ac finibus suis, ut eiusmodi dominis capitaneis nonnihil licentia adstringatur, quam quidam ex

eis multo ampliorem sibi usurpant, quam est authoritas attributa. Cetera privatim super his, si clementer mandaverit; quum ratio litterarum plura non admittat.

Ubi vero Maiestas Vestra clementer imperat, ut eidem Magnifico domino Supremo Capitaneo, et a me et ab Wywariensibus meis militibus, mos geratur in omnibus, quaecunque salus et tutela publica, emergensque Sacratissimae Maiestatis Vestrae necessitas postulabit: id ego, clementissime Imperator, iam dudum optime novi. Mihique benigne credat, quod hactenus huic Eius authoritati nunquam parere vel ego, vel mei milites recusarunt, quotiescunque iusta causa Maiestatis Vestrae et Regni sui postulavit, nec in posterum unquam recusabimus. In hac enim parte aequum et iustum est, ut nos omnes alii, peculiaria loca finium tenentes, praesidi supremo pareamus Sed hoc in his tantummodo, quae ad publicam defensionem spectant; non ad privata eius commoda. In quo idem dominus Capitaneus quoque excedit aliquanto, dum vult, ut et capitaneus meus et milites mei vagos et latrocinia exercentes homines illi insectentur, et ad eum deducant vel mittant puniendos. Hoc ut communi omnium Comitum Regni Hungariae libertati jurisdictionique maxime praeiudicat, et est iniurium : ita certe et capitaneus et milites mei magna se infamia fatentur attingi, dum hoc ab eis exigat. Quo si ii offendantur, qui mihi subsunt; quam leve mihi fieri debeat, quod me et meos sibi in servitutem redigat, Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra clementer consideret. Quum nuper etiam discedens hinc, dixerit cuidam ex meis, quod iam deinceps ipse etiam dominii Wywariensis particeps erit. Gravis est is mihi pugio; speroque,

quod me vivo Magnifica eius dominatio hoc optato non potietur, quod alii etiam ante eum venati sunt, sed non assequuti. Utcunque tamen agit; pergat, et effundat ipse quaecunque libet. Ego nusquam attendens alio, quam ad solam Vestram Maiestatem, in Eius etiam gratia semper conquiescam, quoad vivam; daboque sedulo operam, ut publicae saluti et mandatis Vestrae Maiestatis nunquam desim. Lucra avaris sinam, ipse benemereor de patria.

De divisione autem Wywariensis praesidii, et de dimidia eius parte provisori meo collata, ut sit instructior viribus ad oppugnandum dominum Supremum Capitaneum, deque etiam abrogato Vicecapitaneatu Joanni Baichy militi veterano (quem adhuc nec a me, nec ab antecessore meo habuit), et Benedicto Pograny dato, homini iuveni: non est, clementissime Imperator, cur velim orationem longam texere. Sed iuro per Omnipotentem Deum et per Maiestatis Vestrae gratiam, qua nihil post Dei beneficia habeo charius, neque pretiosius: quod hoc utrumque non solum non feci, sed ne cogitavi quidem unquam. Et si forte vel fecissem, vel facere cogitassem: haud dubie supra omnes insanos desipuissem, et errassem toto coelo ac ipsa terra, fuissemque indignus omni amplitudine et omnibus honoribus, ad quos me Maiestas Vestra tanto cum splendore evexit, et apud se illustravit. Neque de hoc ero prolixior, ut de calumnia absurdissima. Peto supplex tantummodo, ut horum mandet clementer haberi inquisitionem: et si ita, ut delatus sum, constiterit, agat de me, ut de homine abiectissimo; si vero cognoverit, errasse in referenda veritate delatores meos, statuat pro Caesarea ac Regia Maiestate et magnitudine sua, ut ipsi luant

meritas poenas, et sint sibi similibus exemplo, ne huiusmodi hominum prodigia apud tantum Imperatorem proborum virorum innocentiae, integritatique et famae studeant detrahere. Non enim ego, Clementissime Imperator, exactam aetatem hac egi inconstantia, hac inprudentia, ut in senectute, qua et gravior et prudentior esse debeam, simili me dehonestarem levitate, mihique ipsi adeo crederem, ut tantum Regni sui confinium non arbitratu Sacratissimae Maiestatis Vestrae, sed meo peculiari iudicio putarem mihi esse gubernandum.

Facessat itaque, Clementissime Imperator, malevolorum meorum malignitas. Neq illis fides habeatur; quoniam non improbitate mea, a qua certe hactenus semper et cavi et abfui, sed integritate et non contemnentibus (így) partibus, quae in bonis viris esse debent, offenduntur, et mihi gratiam Sacratissimae Vestrae Maiestatis invident. Quod ingenium in iis praecipue inesse consuevit, quos aliena virtus honoresque perturbant.

Restat iam dicendum de meo capitaneo, de Joanne Baichy, de provisore, et de Benedicto Pograny. Inter quos, quod attinet ad capitaneum: vir est sane et bonus et militaris, et ita vigilans atque in militari professione industrius, ut non immerito iam diu et antecessoris mei, et Maiestatis Vestrae tempore praefecturam arcis eius gesserit. Ego quoque ductus censura Sacratissimae Maiestatis Vestrae, qua illum post mortem antecessoris mei praefecit Wywario, ita eundem et complexus sum, et in eadem retinui praefectura, ut nunc quoque alium eius loco non quaeram mihi, dummodo ipse mecum manere non recuset. Quantum autem existimationem et authoritatem eius

laedere noluerim; vel ex hiis Maiestas Vestra clementer perpendat, quum ipsum toti rei militari in eadem arce mea Wywar praefecerim. Quod brevi etiam ab ipsomet Sacratissima Maiestas Vestra coram intelliget; optat enim personaliter ad Eam venire.

Joannes autem Baychy queri de me non potest, quem in locum primae conditionis, et in officium primae utilitatis promovi. Nihil etiam in aliis rebus denegavi illi, quascunque a me postulavit, habitus quoque semper in primariorum ordine et honore; nunquam vel adhuc semel cogitavi, ut eum deprimerem, aut moverem loco suo. De quo alioqui plura loquar coram, si opus fuerit.

De provisore quoque bonum est, ut Maiestas Vestra uberius intelligat; quem cite coram Eandem (így) statuam. Is enim est, qui et Sacratissimae Imperatoriae Maiestati Vestrae notus est, et (quem) ego rebus Archiepiscopatus mei cognovi esse admodum utilem, sufficientemque tanto muneri, propter etiam juris peritiam. Quippe qui prorsus nihil agit in officio suo, quod improbari possit. Nisi si propterea, quod colonos meos opprimi, in servitutem redigi, et Ecclesiae meae bona intercipi ac vastari non permittit; cavetque omni studio atque industria, ne mihi alicunde damna inferantur, et iniuriae irrogentur. Iique maxime his eius actionibus offenduntur, qui a simili licentia inhibentur; vellentque, ut tales mihi rerum mearum et curatores et praefecti essent, qui nihili forent, et cum illis consentirent, partirenturque ex aequo proventuum meorum spolia. Multi enim sunt hoc tempore, qui Ecclesiae insidiantur. Non dimidiabunt tamen dies suos. Verum ego, quoniam non sum ea animi hebetudine, ut haec non perspiciam, velimque ad alie-

num stomachum ministros mihi cooptare atque asciscere : non est, Clementissime Imperator, cur ex his perturbari debeat, aut Wywario etiam quippiam metuere. Quod utinam ita sese antea habuisset, ut nunc habet; procul dubio minus et Maiestas Vestra reparatione eius sollicitaretur, et ego anxiarer. Ut quod in manus meas prope deplume et collapsum venit; talesque etiam discordias in eo inveni, quibus nisi ego prospexissem iudicio atque industria non deprimenda, serio illi metuendum erat.

Absint itaque a me, Clementissime Imperator, errores ii, qui certe absunt; ut Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae Supremos Capitaneos non agnoscam; ut in arce tam finitima tam exile praesidium in partes dividam; ut pluribus praesidibus subiiciam; ut veteranos quoque eius milites posthabeam, tyrones illis anteponam; et demum provisores meos, quorum praecipue est bonorum ac proventuum curam gerere, gladiatores faciam, publicam quietem turbem, et in discrimen Regnum adducam. Quae omnia quoniam mihi indignissime et contra omnem veritatem impinguntur : actum erit, Clementissime Imperator, de honore et de dignitate mea; nisi Maiestas Vestra, ut iustissimus Imperator, seriam inquisitionem haberi mandabit, cognitaque rei veritate curabit insuper, ut aut delatorum meorum mendacium, aut mea imprudentia multetur. Ego vero ne defuissem aliis quoque opportunis remediis meae innocentiae et meae aequitati: mox a contentione memorata, convocatis certis personis authenticis, Nitriensis Comitatus Officialibus, et eis ad locum terrae controversae deductis, metisque illis demonstratis, quae sunt non obscurae; curavi quoque, ut idem dominus Capitaneus cum tumultus

huius auctoribus evocaretur in judicium per processum juridicum; quo sic liquidius constaret, nihil me per iniuriam egisse, sed dumtaxat propterea, ut ius usus mei defenderem, et mihi conservarem. Cui studio ac voluntati nunc etiam praecipue intentus, judicium et justiciam postulo.

Quove Maiestas Vestra de hoc toto casu uberius et certius informetur : hic mecum sunt quatuor Wywarienses milites; Paulus Chwsi, Benedictus Pograny, Joannes Gewrewg, et Stephanus Raacz, qui solus cum vectoribus pro foeno missus fuerat, iique omnes fuere in facto. De quibus propterea suggero, ut examinentur, et propius ad cognoscendam veritatem accedatur. Quis autem sit Benedictus Pograny : homo quidem iuvenis, sed quoad militiam non iam tyro, neque ingenio puerili, studio vero et appatatu bellico tali, ut inter omnes alios vix sit tribus inferior. Quem ut ego a puero educavi, ita Sacratissima quoque Maiestas Vestra Sede vacante Archiepiscopali in eodem praesidio clementer collocavit. Nondum tamen a me in eam existimationem evectus est, ut eum ad gerendam Wywariensem praefecturam maturum atque idoneum esse censuerim. Et delatores mei agant, loquantur, conenturque iam quicquid velint; aliter tamen haec omnia non sunt acta, quam ego exposui. Restatque, ut Sacratissimae Maiestati Vestrae humillime supplicem, dignetur id controversiae in examen suum sapientissimum admittere, ut utriusque partis diligenter excussa et cognita aequitate; animadvertat in eam potius, quae movit eius causam, quam quae tueri iura sua coacta fuerit, nihil de iniuria, nihil de hostilitate cogitans. Ego vero, qui huius ipsius controversiae non dedi causam, et passus sum non solum vim, sed

etiam valde turpem criminationem; nihil aliud postulo, quam ut mihi judicium concedatur, et justitia administretur; totumque palam cognoscat Regnum, quod Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra non homini improbo, non amenti, non infideli, neque rerum imperito, tantum tamque illustrem apud se locum dederit, tantamque etiam provinciam administrandam detulerit. Hoc autem secus videri, cognosci, et declarari rite non poterit, nisi jure et justitia mediante, quo delatorum vultus erubescant, mendaces ac dolosae linguae obmutescant, boni vero viri salvetur honor.

Et gratiose exaudiri atque absolvi pro aequitate a calumniis humillime supplico et expecto. Viennae 7. Septembris 1571.

CXXVII.

Andreffy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Andreffy.

Capetias frugum, quas impertitus es domino 1571. sept. 12.
Ebeczkio, probamus. De vino quoque tuo permittimus iudicio; sed moderate. Non enim possumus esse nimis liberales in tam multis erogationibus privatarum necessitatum causa.

Quam tecturam culinae et contiguae illi camerae carpentariis istius urbis civicis urgere et absolvere decrevisti; assentimur et laudamus, ne quid ex improbris paterentur.

Pro carpentariis Sanctae Crucis scribe et tu Miculitio, ut celerius eos mittat. Putamus et obliviosum et negligentem esse, dum magis colonorum miseretur, quam obedit nobis. Curaturi mox et materiam huic stabulo necessariam, ubi liberabor negotio quodam, quod aggressus sum apud Caesaream Maiestatem. Et si ex Sancta Cruce carpentarii non venient, civicis utendum erit. Scis enim per hyemem iam equos nostros non posse carere stabulo.

Fructus alios quoque recepimus copiose et melius curatos, quam priores. Redditum quoque est et allium, et cepae, remisimusque et puttonem suum, et corbes quatuor per eundem subditum nostrum de Pyspeky.

Regesta autem, quae ab Egregio Emerico Saghy petimus, urge, sollicita, eximeque, et quamprimum mitte. Aliter rationes eius nequeunt ad amussim confici.

Mandatum etiam misimus cum his Stephano Tathay, ut doliarios tuos commode alat, et subditis ad illam domum applicatis iubeat, ut dolia, eo quo tu ordinabis, vehere non recusent. Et haec ad binas tuas tibi respondemus. Vale. Viennae 12. Septembris 1571.

CXXVIII.

Baichy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Baychy.

Litteras tuas de quibusdam querimoniis tuis 1571. sept. 14.
accepimus. Quae querimoniae, quum ex coniectura potius sunt, quam ex certa notitia; non est opus, ut tibi pluribus respondeamus. Quum nos, ubi uniuscuiusque servitoris ac militis nostri statum et conditionem ordinavimus et constituimus, omnibus aliis sollicitudinibus eorum ex parte libenter caremus. Optamusque, ut ipsi quoque quieti sint, neque sese ingerant in nostras alias res; quum non trium, aut quatuor hominum, sed multo plurium curam gerimus. Ut itaque singuli eorum parte sua contenti esse debeant, ita et tua tibi debet esse satis; quum non ignores, quantum in te contulerimus nostrae benevolentiae.

Unde autem moti sumus ea ad Capitulum nostrum scribere, quae tu visus es in te ipsum recipere; scias quod non aliunde, quam litteris Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis ad nos datis. In quibus sicut nemo fuit nominatus, ita nec nos quemdam nominavimus. Si itaque tu non es eorum author, non est causa, cur in aliquem invehi debeas. Sed utique non acciderunt ista sine suggestione aliquorum; quum tunc etiam fuerunt in foro, quando adhuc nos eramus istic. Sed ad cognitionem nostram non pervenerunt, nisi quum iam eramus Posonii, ex litteris Suae Maie-

statis. Quomodocunque tamen ista sunt acta, vadant. Bene tamen facient, si huiusmodi mendaces linguam suam imposterum compescuerint, neque talia instillent in aurem Principis, quae nunquam nobis etiam in cogitationem venerunt. At tu, ut vir bonus et a nobis non in postremis habitus, agnosce nostram erga te benevolentiam, et consistas quietus in ordine et in conditione nostra, quae Wywarii non est ultima. Quod reliquum est, a nobis expectes omnia et tu et omnes alii. Quoniam honorem et authoritatem nostram nemini dabimus, bonis autem et obedientibus, nobiscum intelligentiam tenentibus, benefici esse non praetermittemus. Et bene valas. Viennae 14. Septembris 1571.

CXXIX.

Nagyszombat város tanácsának Verancsics Antal.

Ad Senatum Tyrnaviensem.

1571. sept. 19. Accepimus, vos post discessum nostrum a vobis, securius ac licentius quibusdam haereticis in civitate vestra commercium concessisse, quam et religio Catholica permittit, et tam Sacratissima Imperatoria Maiestas, quam etiam nos simul de sinceritate vestrae professionis pollicebamur nobis. Quum etiam publice iam ritus haereticos in infantibus baptisandis, in sepeliendis mortuis, in tenendis scholis, et similia plura referant vos admittere; non sine magno dolore et

displicentia nostra, veraeque religionis confusione, et multarum animarum iactura. Quae quoniam hactenus non credidimus, nec ulla ratione id per vos fieri posse arbitremur; inducti sumus zelo Christianae pietatis has praesentes litteras nostras ad vos dare, vosque petere, ut haec verane sint, an secus, nos quamprimum litteris vestris edoceatis; ut animo aequiore simus, si non erunt vera; et mature ad remedia accurramus, si vos quorumpiam temeritas in aliquam similem licentiam, diversum ab Ecclesia Catholica sentiendi, pertraxisset. Scitis enim, quod ad vos venimus, in spiritu lenitatis; nosque ita vobiscum gessimus, ut et patrem et pastorem pium ac bonum decuit, perseverantesque in hoc instituto nostro ab initio, nunc quoque eadem quoad cultum religionis Catholicae omnium de vobis pollicemur nobis. Verum si quo casu ad ea inclinastis, et cuippiam doctrinae peregrinae, haereticorumque fermento adhaesistis (quod utinam absit), sciatis, nos quoque aliam viam ingressuros, et curaturos, ope Divina et Caesareae Maiestatis domini nostri clementissimi, ne in civitate vestra Deo et Ecclesiae eius Catholicae a sectariis illudatur. Neque nunc ad vos prolixius scribimus; sed dumtaxat petimus vos in Domino, nolite pati, ut quipiam in vobis eo adducantur, ut sese ingerant in ecclesiasticas functiones, quae non pertinent ad laicos; neque usque adeo evehantur in licentiam, ut nostra etiam lenitate et bonitate abutantur. Nos enim quemadmodum in Actis habetur Apostolorum, Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ut Ecclesiam Dei regamus; non autem illos, qui non missi currunt et usurpant spiritu suo, non Dei, sacramentorum administrationem. Qui quidem nisi prudentum vestri similium auctori-

tate et consiliis desierint a malae et a depravatae mentis vertigine; dabunt haud dubie poenas suo tempore Divinae irae, ut Hieroboam, ut Osias, ut Chore, Datan et Abiron; clade quoque eorum omnes involventur, quicunque talium factioni studuerunt. Non hoc humanum est oraculum, sed Divinum. Cavete itaque, mi fratres, mi filii, mi amici, ab hoc casu, neque privatis sensibus Divinas leges metiamini; sed Ecclesiam Romanam Catholicam et Sanctam audite doctrinam eius amplectamini, traditiones tenete. Et bene valete. Viennae 19. Septembris 1571.

CXXX.

Telegdy Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Telegdinum.

1571. sept. 19. Super negotio Abbatiae, et solus, et cum Reverendissimo domino Vesprimiensi egi summo studio. Nec cesso solito ac necessario conatu, ut salva nobis permaneat. Nondum tum responsum obtinuimus Camerae aliis quoque gravissimis negotiis occupatae; speramus tamen bonum responsum, nisi plus quorundam consilia valuerint, quam Caesareae Maiestatis bona intentio. Faciam alioqui omnia, quae per vires humanas fieri poterint; scribamque subito, quicquid consequitur.

Ad cives istos dedimus litteras, cupimusque per eos informari, quicquid haereticarum novitatum admi-

serint. Et si quid erit, ut edocemur; videbitis, quod non semper lenitati studebimus, erumpemusque, quemadmodum delicta quorumdam postulabunt. A nostris tantummodo non dentur mala exempla. Ceterum si doctrina nostra, vitaeque sanctae exempla mundo non defuerint, Principumque authoritas nobis aderit, frustra nos vim ingeremus. His itaque insistamus, neque ii huius rei inculpentur, qui non suo studio, sed Regni necessitate, et voluntate Principis colimus aulam. De haereticorum commentis etiam laetamur; scimus tamen unde haec tela veniunt. Sed et haeretici, et ii, qui ista movent, fallentur, neque ut cupiunt, triumphabunt. Valete. Viennae 19. Septembris 1571.

CXXXI.

A magyar királyi kamarának Verancsics Antal.

Ad Cameram Hungaricam.

Ego Sacratissimae Imperatoriae Maiestati domino nostro clementissimo obedientissimus sum, et fui, et ero semper, quoad vivam. Sed dominationes Vestrae multa mecum agunt, quae sunt et me, et Dominationibus Vestris indigna, prorsusque etiam a clementi Suae Caesareae Maiestatis voluntate aliena. Jam biennales proventus decimarum mearum Gewmeoriensis Comitatus perceperunt, totque me promissis tenuerunt de reddendis earum pretiis, ut iam despe- 1571. sept. 22.

rem, unquam me ea habiturum. Quoniam autem ea conditio, quam ego proponebam de recipiendis decimis Gewmeoriensibus et Thornensibus, ac oppido Rosnobanya, cum pertinentiis quatuor villarum suarum, ut mihi remitteretur pensio, quae prorsus omnem rem meam pervertit, et in tanto sacerdotio nullam facit, non est admissa; hae saltem decimae tales, quales, et tantae quantae sunt, libere mihi permittantur, ut bonorum meorum geram ipsemet curam, ne cum Dominationibus Vestris totis diebus earum causa contendam, neve tot Maiestatis Suae mandata fatigem. Quae tametsi omnia veniunt seria et perspicua, nimirum ut accepta a me compensentur; nihil tamen mihi afferunt, quam verba, dilationes, et promissa nullo cum effectu.

De dimidia itaque parte decimae Districtus Cheythe et Wyhel; obligata fuit laicis contra omnem usum Juris Ecclesiastici. Quum vero eadem eius pars dimidia excedat redditum trium millium florenorum Hungaricalium, et fuit semper praecipuo arci Wywariensi subsidio, num pro quingentis abiici, et Wywarium ea spoliari debeat, Dominationes Vestrae, quae potissimum Regni salutis, et conservationis curam gerunt, videant et expendant.

Ne tamen omnino refrager Sacrae Imperatoriae Maiestatis voluntati, Dominationes Vestrae, quarum praecipue innitur consiliis, et Regni reipublicae prospicit, rogo considerent, quale et quantum mihi est confinium impositum ad conservandum. Sic demum decimas Archiepiscopatus dispensent. Quae quum vix sufficiant tot sumptibus, qui mihi imminent, nec eas Vestrae quoque Dominationes persolvunt iam a biennio, quas arbitratu suo percipiunt; estne possibile,

ut cum Wywariensi ac Bakabaniensi praesidio, Trinchinium quoque sustentare queam? Cogarque etiam obligatione vestra decimas eiusdem Archiepiscopatus in eam arcem alienare, et illi adiicere, quae nulla incommoda, nulla onera, nulla quoque finitima pericula sufferat? Quoniam vero accedunt huc et meae rationes, quibus si haec omnia supradicta fieri, et durare debebunt, quomodo aut unde consulam, modum non reperio, et in opibus maximis maxime egeo.

Ne igitur et ius, et bona Ecclesiae alienentur, ne sustentatio Wywariensis imminuatur, neve mihi etiam tam multa gravamina imponantur, priverque et ego meis commodis; Dominutiones Vestras rogo, dent operam, ut postquam omnino memoratae decimae Trinchinio partem facere debeam, tollatur eius obligationis ratio, et in eo pretio domini possessores arcis eius conveniant mecum, quod praesentium temporum usus ac necessitas, et mei plurimi sumptus postulant. Nec arendam solitam urgeant, nisi si et antiquae ac solitae felicitatis conditionem Regno reddent, atque ita iure quoque easdem arendandi decimas mihi restituto, fungar et ego omni studio, ut illis in ea parte gratificer, quae pro clementi Sacratissimae Maiestatis Eius voluntate eisdem impertiri poterit. Hoc huc adiecto, ut pretia quoque ab eisdem dominis praesenti pecunia, et arendationis tempore mihi deponantur, ne cum Camerae dilationibus expectationes meae confligentur.

Ad possessiones vero Saiopispeky et Welkenye quod attinet; illis quoque poterat carere fiscus. Sed quia Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis benigna cogit postulatio, humillime assentior; petoque, ut hiis a me accipiantur conditionibus, quae sunt in adiuncta

scheda pro Dominationum Vestrarum consilio descriptae; ne alienentur ab Ecclesia, et ei opportuno ac praefixo suo tempore restituantur. Annuaque interim earum pensio sit florenorum Hungaricalium ducentorum, quum sint utilitatis non postremae. Et demum easdem Reverendissimam, Magnificam, et Egregias Dominationes Vestras rogo, velint de his ita statuere, ut et Trinchinio succurratur, et ego sim contentus, Ecclesiaeque ius salvum permaneat, consuleturque etiam Wywario. Quod certe multa exigit, multa haurit, neque est quibusvis causis redditunm suorum commodis spoliandum. Vestrasque Dominationes optime valere cupio. Vienae 22. Septembris 1571.

CXXXII.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Zagrabiensem.

1571. sept. 25. Gratas esse Reverendissimae dominationi Vestrae litteras meas, laetatamque admodum fuisse bona mea valetudine, et quod novae meae dignitatis munus non segniter, neque frigide obeam, edamque etiam (uti Ipsa humanissime scribit) in Ecclesia et in clero meo speratos fructus; ago Eidem et gratias maximas. Et maximam capio etiam intra me voluptatem, quod tantus antistes, mihi et ordini sacro, et charissimae patriae genitura coniunctus, tantopere gaudeat de conversatione mea, et de hiis omnibus aliis, quae a

me rite in Ecclesia Dei peraguntur, Neque ipse efferam mea, quae certe multo minora sunt, quam dicantur. Si tamen firma donarer alicunde Ecclesiae meae residentia, iamque tandem aulicus esse desinerem, procul dubio sperarem, quod ea etiam praestare experirer, de quibus honesti pudoris causa gloriari praetermitto etiam apud Reverendissimam dominationem Vestram; quae felicissime hoc dono fruitur, quod et a Deo, et a Principe sortita est, si modo careret cura et functione rei militaris. Mihi si non contigit, Divinae deferatur Maiestati, quicquid nos esse voluit; et interim ea conemur et velimus, quae possumus.

Domino Lectori, etsi eas gratias habere nequeam, quas eius erga me meretur benevolentia et studium, quum certe minores sumus, quam quidam iudicant; si tamen parcius laudes meas decantaret, fortasse eniterer et habere et referre maiores. Totum hoc tamen do eius erga me amori, in quo nimis excedit. Sed dominatio Vestra Reverendissima parcat illi, et castiget illum; ne me tantopere laudando, maiorem mihi sollicitudinem iniiciat, ut is revera sim, quem praedicat.

Sed ubi Vestra quoque dominatio Reverendissima extollit quandam meam epistolam, eamque ait se tanti facere, quanti Titus et Thimotheus quondam praeceptoris sui ter maximi Pauli faciebant; nescio quid respondeam. Jam enim non est res mihi cum Lectore, sed cum magno et sancto Episcopo. Verum si ei quoque in huiusmodi liceat excedere, ut Lectori; putarem ipsum etiam aeque esse reprehendendum ac Lectorem. Meane scripta cum Paulinis conferri licet? Sed et hoc ego do amori Reverendissimae Vestrae dominationis, quae quanto est Lectore maior

et eminentior, tanto etiam magis me amat, quam ipse Lector, consequenterque magis etiam ipso peccat. In quo nullus excessus esse debeat; quum mihi quoque maiorem necessitatem imponat, ut eius et iudicio et encomiis, quae de me texit, satisfaciam. Pauli vero scripta, et doctrinam imiter tantum, et discam spiritum. Sed quum pecco iam et ipse, et excedam in his modum Lectoris nostri causa, quem bonitatis suae ergo accusamus, Reverendissima dominatio Vestra huic meae verbositati dabit veniam. Alioqui si perget in me laudando, sequeturque Lectorem, reddet me etiam verbosiorem. Utcumque tamen ista obiter commemorem; ego tamen iam vellem Illam videre aliquando. Quod quia nondum mihi conceditur, cogor esse in scribendo prolixior, ut consuetudinem litteris uberioribus conservemus, qua coram frui nequimus. Et iam ad alia.

Primumque de nuptiis Serenissimi Archiducis Austriae Caroli, quae quidem tanto cum splendore, tantaque cum maiestate et dignitate habitae sunt, quantam iusto libro vix complecti possem. Mirumque erat videre Maiestatem Caesaream adeo ubique fuisse et multam et assiduam, ut nemo erat, qui non stuperet, et extolleret hinc Maiestatis Eius in tanta celebritate diligentiam ac studium de dilectione in fratrem; propter quod universi, qui concurrerant, benedicebant illi, et omnia gloriosissima immortaliaque precabantur. In eas autem tantas opes effudit, ut rarum quiddam, et ingens et memorabile esse dicitur. Sponsalia peregit Archiepiscopus Salzburgensis; orationem matrimonialem concionator Caesareus habuit. Nos spectatores dumtaxat fuimus. Et haec de nuptiis satis; donec prodeat plenior earum descriptio, si

quem habuerint authorem. De quo adhuc nihil auditur.

Nostra Comitia habebuntur Novembri mense, dubitatumque est Posoniine, an Sopronii fieri deberent. Necdum plane cognovi, quid Caesar decrevit; quod iam a triduo domi me contineo, mediocris cuiusdam valetudinis gratia.

De externis novitatibus hoc habemus a Budensi Passa, Famagustam esse Turcis deditam. Veneti tabellarii de hoc nihil attulerunt, classes nostras nunciant esse iam coniunctas, Joannemque Austrium esse in ea, et de se multa rei Christianae polliceri. Utinam et ipse, et classis praestet, quae pollicetur. Sed vix iam per anni tempus, quod impegit in hyemem, poterit aliquid experiri, quum iam omnia militaria hiberna requirant. Sic nos omnes Christiani cunctatores, non Fabii, tardissime rebus nostris prospicimus, daturque facultas hostibus, et confirmare sibi, quae obtinuerunt, et instruere sese ad insequentem annum fortius. Nos tutelae Regnorum nostrorum negligentissimi, praecedentiam mordicus urgemus, et contendimus de nobilitate, qua postea tunc utemur in spiritu, quum amiserimus, unde, et ubi nobiles sumus. Ac magnopere Deus! quod Sanctissimi Domini nostri pietatem et studium salutis publicae paucissimi Principes amplectuntur! De quo utinam meliorem et maiorem inciperent iam tandem firmam et certam habere considerationem.

De propulsatis hostibus ad Calapim a Segestia insula admodum placet. Cuperem quoque satisfieri Illi de Banali onere deponendo, quod certe non sit nostrorum humerum. Nec nostrae manus, quae sunt ad hostiam mundam, iugemque sacrificium tractan-

dum sancto chrismate consecratae, gladii ministerio debent esse mancipatae. Et praedixeram ista; tamen sic visum superis, sic maiores voluerunt, Nec ego in rebus Dominationis Vestrae vel laudo vel non laudo quicquam; nisi quod Ipsi videatur.

Sapienti enim non est opus consilio. Et hic fine scribendi posito, Reverendissimam dominationem Vestram Deus diutissime sospitet atque felicitet. Viennae 25. Septembris 1571.

CXXXIII.

Ghyczy Györgynek Verancsics Antal.

Ad Georgium Gyczy Capitaneum.

1571. setp. 26. Jam superiores litteras clauseramus et obsignaveramus, quando aliae tuae nobis venerunt, datae die Sabbati post festum Mathey, simul cum regesto eorum, qui hoc anno ex nostris capti et occisi sunt per Turcas. Super his itaque facturi tibi responsum; animadvertendum tibi est, ut quando res huiusmodi Magnificus dominus Capitaneus Forgach a te exegerit, semper facias tibi in specie ostendi mandatum; et sic super talibus, quae Maiestas Sua iubet, ea facere, et de his bonam, amicam, fraternamque intelligentiam cum Magnifica dominatione sua tenere te oportet; quum hoc nihil derogat nostrae nec authoritati, nec existimationi, quum talia omnia fiunt ad defensionem et Regni et finium eius. Alioqui non est

etiam de his parvalibus contendendum, modo non proveniant ex iniuria mali animi. Nam omnino opus est, ut omnes, qui confinia tenemus, Supremum Capitaneum Suae Maiestatis agnoscamus, et cum eo in custodia et defensione Regni concordes simus, nec unquam tale aliquid committamus, ex quo posset dici, quod nostra causa sive culpa damnum aliquod istis finibus Turcae intulissent. Dominus quoque Supremus Capitaneus non excedat authoritatis suae limites; sed cum iis omnibus, cum quibus defensurus est Regni limites, gerat se amice, humaniter, modesteque, nec turbulenter imperet, nec alienam authoritatem suae subiiciat. Omnes enim unum habemus Principem dominum, nos corpus eius sumus, vultque omnis ratio, ut amemus mutuo, et conveniamus in unitate, in concordia, et in consensu uno. Igitur et tu sic de tuo officio, et ipse dominus Capitaneus Forgach de suo intelligat. Et omnes in servitio Suae Maiestatis ac Regni bonam expressamque voluntatem eiusdem exequemur. Si quid aliud a nobis et a te idem dominus Capitaneus optaverit, agat amice, nosque etiam ipsi impertiamur amicitiam.

Quod autem ad quoddam tuum arduum attinet negotium, et petis dimitti domum per dies aliquot; nos nequaquam volumus, ut nostra causa in domesticis rebus damnum quodpiam accipias, maxime quum hostes etiam sileant. Concedimus itaque, ut excurras domum pro tuo arbitratu; sed talem loco tui dimittas in arce, qui simul cum aliis diligenter rebus eius advigilet.

Praeterea quod ad vocationem Magnifici domini Kylmani miseris ad eum pro negotio quodam importanti, quod non sit ausus perscribere, bene fecisti.

Sed illud ipsum negotium, quum intelliges, quam primum ad nos perscribere non omittas.

Ubi vero scribis de furibus Turcicis, et quid egerint illi contra eos circa Ledecz, quos ad observandum emiseras; in tales aliquid agere non est interdictum, quia ipsi priores in nostram venerunt ditionem. Possunt itaque iure propulsari, capi et interfici; modo neminem ex nostris eosdem hostes domi suae lacessere emittas. Hoc enim Maiestas Sua Caesarea prohibet; fines tamen nostros defendere non prohibet. Abstineas itaque omnino ab emittendis chattis; et si quae ab hostibus emissae fuierint, eas profligare secure poteris. Et memoriam teneas, quomodo ista contingunt; ut si ea scire Maiestas Sua voluerit, presto sis ad rationem dandam, quemadmodum nunc etiam exigit. Et haec sunt, quae tibi ad postremas tuas respondere voluimus. Vale. Viennae 26. Septembris 1571.

CXXXIV.

Mikulich Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Mycwlith.

1571. sept. 26. Carpentarii venerunt, qui tantum sunt carpentarii, quantum et nos et tu. Et non solum nesciunt opificium, quod profitentur, sed neque vectarium tenere didicerunt. Si itaque factum hoc est culpa tua, videas et corrigas; si vero colonorum malitia, castiges eos,

et officiosos reddas. Et si neglexeris, ignavum te in tanto officio appellabimus. Regas itaque contumaces; neque tu toties reprehendi a nobis expectes. Quoniam ut Simon froeno, ita tu calcare eges. Cave itaque, ne sitis pares. Vale. Viennae 26. Septembris 1571.

CXXXV.

Andreffy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Andreffy.

Quoniam ex fidedigna relatione intelleximus, de- 1571. sept. 28.
cimatores vinorum anni superioris plurimis personis decimam nostram relaxasse, tum etiam nonnullos decimam ipsam occultasse et non persolvisse, horumque omnium nomina in decimatorum regestris non contineri, unde nos in decimis nostris non parvam sane iacturam fecerimus; quae fraus et scelus quum nequaquam admittendum et tollerandum sit:

Misimus tibi praefatorum decimatorum anni superioris exempla, ut singulorum locorum decimatoribus, qui per te ad futuram vinorum decimationem emittentur, suum exemplum tradas, eisque inter alia nomine nostro serio committas, ut tempore decimationis ipsius iuxta praedictum et per te traditum regestrum procedant, ac non solum diligenter et fideliter observent, qui anno superiori decimam nobis non solverunt, aut quibus decimatores decimam eorum condonarunt et relaxarunt; verum etiam quantum ii, quorum no-

mina in praescripto regestro per te ipsis assignato habentur, in decimam ipsam solverunt, in futura decimatione accurate et insciis ipsis decimatoribus anni superioris expiscantur et diligenter annotent; ut inde fraudes et furta decimatorum anni superioris intelligi possint. Quod si vero tales aliqui deprehensi fuerint, qui decimas nostras occultaverint, probareque non poterunt, ipsis decimam eorum per decimatores nostros relaxatam esse; eorum omnium vina horna volumus, ut ad ulteriorem usque deliberationem nostram apud illius loci judicem juridice per ipsos decimatores nostros arrestentur et occupentur.

Committimus autem tibi, ut decimatores illos vinorum anni superioris in ea loca, in quibus eodem anno decimas nostras exegerunt, nequaquam emittas; sed eorum loco alios subordines, eisque serio, et accepto etiam ab ipsis stricto iuramento iniungas atque committas, ut quo pacto praefati anni superioris decimatores in decimatione ipsa sese gesserint, quantumve ex decimis nostris pro se vel superioribus eorum usurpaverint atque subtraxerint, diligenter resciscant et annotent, teque scripto suo statim absoluta decimatione edoceant. Quod tandem ad nos illico perferri volumus, atque tibi mandamus. Vale. Viennae 28. Septembris 1571.

CXXXVI.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus etc. fatemur et recognoscimus per praesentes litteras nostras, quod fidelis noster Reverendissimus in Christo pater dominus Anthonius Verantius, Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus et Secretarius per Hungariam Cancellarius, et Consiliarius Noster, cum ad clementem requisitionem nostram, tum etiam pro sua erga nos fide singulari, ac etiam salutis et commodorum afflictissimi Regni nostri Hungariae studiosissimus, duas possessiones suas Sayopispekj et Welkenye in Comitatu Gemeriensi existentes et habitas, pertinentesque ad oppidum suum Archiepiscopale Rosnobanya nuncupatum, nobis in sustentationem castelli nostri Pwthnok per hoc duntaxat turbulentissimum tempus, quo partes illae Regni nostri gravissimis bellorum motibus premuntur et periclitantur, obsequenter commodavit ea lege et conditione, ut pro pio nostro studio, quo omnium Ecclesiarum Dei bona et tuemur, et perpetuo salva esse volumus, caedem duae possessiones nullo unquam vel nostro, vel successorum nostrorum Regum Hungariae tempore ab eadem Metropolitana Ecclesia Strigoniensi alienentur quoquomodo; sed ubi et quamprimum eaedem partes Regni nostri bellis et periculis supradictis sublevatae et supportatae fuerint, eidem Ecclesiae Strigoniensi, consequenterque ipsi Anthonio Verantio Archiepiscopo, ac succesoribus suis Archiepiscopis, etiamsi quo casu 1571. okt. 11

turbulentum hoc tempus diutius duraret, per nos, ac per haeredes et successores nostros Reges Hungariae, de facto et sine omni solutione, redemptione, difficultatisque cuiusvis interventu remittantur et restituantur. Proque his ipsis possessionibus semper, quoad in potestate nostra vel successorum nostrorum fuerint, eidem Ecclesiae Strigoniensi, consequenterque praesenti et futuris suis Archiepiscopis, in singulos annos, ex tricesimae nostrae Tyrnaviensis proventibus, ducenti floreni Hungaricales integre ac sine ullo defectu et dilatione, constituto suo tempore numerentur atque solvantur, nosque eandem Ecclesiam Strigoniensem, consequenterque ipsum Anthonium Verantium et successores suos Archiepiscopos de non alienandis ab eadem Ecclesia, et tam moderno, quam futuris eius Archiepiscopis, memoratis duabus possessionibus, deque earum statuto suo tempore et occasione restitutione, ac etiam de solutione ducentorum florenorum singulis annis facienda, certos et securos volentes reddere, eandem Ecclesiam, praesentemque et futuros eius Archiepiscopos assecuravimus, certificavimus, eisdemque promisimus clementer stb. In cuius rei fidem, maiusque et evidentius testimonium, has litteras nostras sigillo nostro secreto, quo ut Rex Hungariae utimur, ac propriae manus nostrae subscriptione communitas, eidem Ecclesiae Strigoniensi, ac Anthonio Verantio Archiepiscopo, suisque successoribus Archiepiscopis dandas et concedendas duximus. Datum Viennae Austriae undecima die Octobris anno Domini quo supra (1571.)

CXXXVII.

Zsámboki Jánosnak Verancsics Antal.

Anthonius Verantius Electus Strigoniensis Joanni Sambuco fratri S.

De carminibus habeo maximas gratias, easque etiam referam, si non re alia, at vino saltem Georgiano; curaboque, ut sit tale, quod promereatur tanti munus encomii. De purpurae amictu nondum cogito; accipio utique tamen tuae erga me tam praeclarae voluntatis ac studii significationem eo animo, quo tua soleo omnia. De domo autem datum est responsum: quod iam antea promissa fuerit alteri, nec duobus licere illam elocari. Rogo itaque te, mi Sambuce, cures mihi aliam, quae et arci vicina, et nulli inquilino sit obnoxia; curiaeque laxitate, et habitationum copia polleat, nec duabus portis pateat. Vale. Viennae 19. Octobris 1571. 1571. okt. 16.

CXXXVIII.

Baichy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Baychy.

Hic sparsi sunt rumores ex quibusdam piscatoribus ignotis nobis, proxime circiter diem 22. huius mensis excurrisse te cum equitibus nostris ad rumores satis vanos ad Wdward usque, non sine gravi 1571. okt. 27.

periculo et militum nostrorum, et etiam arcis; maxime, quod nunc absit istinc noster Capitaneus. Quoniam autem putamus te non esse oblitum, quam strictissime Maiestas Caesarea, dominus noster clementissimus, omnibus finitimis militibus, eorumque Dominis praecepit, ne excurrant, neque paci turbandae occasiones praebeant; scis etiam, quam saepe commiserimus nos quoque, ut quieti sederetis : bene itaque videas, ne quid tale per te committatur in re huiusmodi. Quoniam nec Maiestati Caesareae satisfacies, nec nobis gratificaberis. Et tametsi propulsandi sint hostes, dum in conspectum vestrum venirent; hoc tamen etiam casu, ita curam adhibeas, ut expetu in eos non educatur eruptio; prout aiunt, nunc fuisse factum, quod omnes milites huc illuc discurrebant non aliter, quam ad solatium exivissent. Scripsimus de hoc tibi, ut imposterum circumspectius et tu et omnes agant alii. Quia si quis insperatus casus incidet, nos dicemur ignavi et inepti ad dominium, vos vero inobedientes, et parum praediti scientia militari. Cavete igitur et nobis, et vobis, ne et nos et vos in talem notam incidamus. Arcem itaque custodiendam cures.

De rebus autem novis habemus : classem Christianam Turcicam profligasse, captasque triremes 180, Turcas occisos 15 millia, vivos Venetias abductos 5 millia; reliquas triremes fere omnes submersas fuisse, nec plures, quam 13 evasisse. Laudetis Deum itaque. Et bene valeas. Posonii 27. Octobris 1571.

CXXXIX.

Lindvay Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Lyndvensem.

Ad hesternas litteras tuas, quibus scire voluisti, ubinam essemus impraesentia; scito itaque, nos feria quarta proxima huc appulisse. Quare quod ad victualia, de quibus scribis, attinet, ea vellemus, ut crebrius ad has duas nostras domos mitteres, absentibus etiam nobis. Quas omnino semper volumus esse instructas, idque ex Wywariensi administratione. Ceterum iam undique, et huc, et Viennam usones comportantur; Capitulo etiam nostro his diebus capti sunt circiter 20; nostri piscatores quid agant, nescimus, quum iam etiam de scutellaribus male nobis satisfaciunt. Unde iam nolumus hac de re ulterius confligctari, et illorum pauperum mendaciis et improbitate illudi; eisque talem praefecimus officialem, qui nostri maiorem et meliorem habebit rationem. Interim autem, donec hoc ad finem deducemus, eos, quum ad nos venies, ducas tecum. Et habeant secum omnes schedas quietantiales de memoratis scutellaribus, tantamque pecuniam, quanta defectus suos poterunt nobis satisfacere. Quia deinceps nos nobis pisces procurabimus; ipsi vero pecunia nos solitis diebus contententur. De hoc antea etiam scripsimus et loquuti sumus tibi, sed obauditi, non obediti sumus; scelus autem rusticanum contra nos procedit. Quod reliquum, piscatores quidam istinc venientes huc curarunt 1571. okt. 27.

nos edocendos, die 22. mensis huius milites nostros fere omnes equestris ordinis, ad rumorem quemdam de Turcis, ad Wdward usque excurrisse bene potos, nec ullum ordinem tenuisse, idque ad visum usque rusticorum, cum quibus, aiunt, etiam Joannem Baychy fuisse. Quod certe nos valde male habuit. Admone itaque Joannem Baychy, ut arcem custodiat, non discurrat per campum absentibus et nobis et Capitaneo, suaque lucra ita omnes quaerant, ut loco deserviant, qui tuetur totum Regnum. De captivo nostro nihil rescripsisti nobis; et adhuc scire cupimus. De emendo equo Pauli Vallas memineris. Et bene valeas. Posonii 27. Octobris 1571.

CXL.

Klubnik Bálintnak Verancsics Antal.

Ad Valentinum Klubnyk.

1571. okt. 29. Non est tibi satis, Vicario nostro molestum te esse, nisi et iam in nos, ac in Sedem nostram iniurias tuas torqueres. Quare monemus te, ut ab hoc spiritu desistas; et causas, quas in Metropolitano foro nostro agis, agas juridicis progressibus; neque praepostero ordine legum Regni, eas ad superiorem provoces ducasque judicem. Alioqui si perges in hac licentia, scito, nos te non laturos; curaturosque, ut correptus in viam redeas. Vale. Posonii 29. Octobris 1571.

CXLI.

Az esztergami káptalannak Verancsics Antal.

Ad Capitulum Strigoniense.

Classis nostra commisso proelio cum Turcica ad Ambracium sinum in Aegeo mari die VII. mensis huius, quae iam sese in Propontidem recipiebat declinatura nostrae impetum, pugnavit Dei beneficio felicissime, memorabilique victoria de hostibus triumphavit, Turcarum XXXX millibus desideratis, qui partim sunt caesi, partim cum supremo Duce suo Pertavo Passa capti, triremibus 180 in potestatem actis, et depressis non parvo numero, soloque ex Ducibus ordinum hostilium nonnisi solo Rege Tunettano Occaly nuncupato, vix cum quinquaginta variae conditionis navigiis fuga elapso. 1571. okt. 29.

Nostris quoque tanta victoria non cessit incruenta. Diu enim pugnatum fuisse aiunt, multique et ex Christianis militibus, et ex Venetarum, Hispanicarumque triremium praefectis ceciderunt. Summus quoque totius expeditionis nostrae Dux, Joannes Austrius accepit vulnera; qui Venetae praefuit Sebastianus Wenerius occubuit, et triremes nostrae septem perierunt. Turcae extrema ferme clade affecti sunt. Idque victoriae quum iam in dies aliis atque aliis confirmetur tabellariis, miraque Dei erga nos Christianos bonitas et clementia inennarabilis appareat, qui non vult cervices nostros in perpetuum subiici Turcicae tyrannidi; decet nos quoque cum reliquo

Christiano coetu hymnum cantare Domino, qui equum et sessorem prementem nos gloriose vicerit et in mari prostraverit. Quare, ubi primum has legatis nostras, convenite frequentes; processionem devotam toti clero ac civitati nostro nomine edicite; convocataque campanarum sono tota in templum multitudine, primum „Te Deum laudamus" devotissimo et humillimo cantu absolvi; deinde sacrosancto missae sacrificio in gratiarum actionem celebrato, curetis etiam, ut pro concione edoceatur populus, sitque admonitus Dei Omnipotentis misericordiarum, et studeat eidem omni conatu esse gratus. Nec insolescat tanti Divini muneris donativo; verum magis sese demittat, et firmiter credat, esse apud eum nostri curam, sed sic, si legem eius servaverimus, et Ecclesiae suae Sanctae, quae est una et sine omni ruga atque macula, morem geremus, neque ulla alia, nisi eius doctrina vivemus. Et bene valete. Posonii 29. Octobris 1571.

Melléklet.

Copia litterarum cuiusdam capitanei, qui navali proelio VII. Octobris anno 1571. commisso interfuit, ad fratrem suum in Caesarea aula existentem scriptarum.

Messina 16. Septembris solvimus, et recta Corcyram versus tendentes, eo venimus 26. eiusdem; quo in loco invenimus a Turcis omnia incendio, multis insuper aliis illatis damnis devastata, incensis etiam singulis suburbiis. Ubi perstitimus usque ad ultimum diem, quo die discedentes, venimus in portum appellatum „le Gomenizze," in quo per duos dies commorari ob contrarios ventos marisque tem-

pestatem coacti fuimus. Quo biduo ab Illustrissimo domino don Joanne de Austria delectus militum fuit habitus et munitionum per singulas triremes. Hinc navigavimus 3. Octobris, cumque per sex miliaria profecti essemus, dominus don Joannes classicum canere iussit; quo audito, ac si hostis adesset, omnes se ordine accomodantes praepararunt.

Navigatio istum tenebat ordinem: Suprema Siciliae triremis la „Capitanea“ appellata, cum aliis octo triremibus, intervallo octo miliarium praecessere. Quas dominus don Joannes Andreas Doria, dextrum tenens cornu proelii cum quinquaginta quatuor triremibus, illas octo recta sequebatur. Demum dominus don Joannes de Austria cum duobus Generalibus, Pontificis et Venetorum, sequebatur cum toto corpore classis, quod erat octuaginta triremium. Demum insequebatur Proveditor Generalis Barbarigho sinistrum tenens cornu cum aliis quinquaginta quatuor triremibus. Quas omnes parvo spatio, ultimum agmen tenens, suprema Neapolitana triremis cum aliis triginta sequebatur. Posteaquam acies sic ordinatae fuerant, omnesque suum in locum positi, toto isto die progressi sumus in ista acie, neque portum prius attigimus, quam sero, 5. Octobris venientes in portum appelatum „di Viscardo.“ Postridie, qui fuit 6., inde remigavimus, ac progressi sex miliaribus pervenimus in portum, appellatum „Val de Alessandria,“ in quo per integrum illum diem mansimus, intelligentes classim Turcicam revera in sinu sive portu Zacynthi persistere, a nobis circiter miliaria octoginta; quod tamen et in Corcyra, et alis in locis acceperamus. Qua de causa imposueramus sex tormenta magna, vel frangendis muris apta, nedum triremibus; cum Sua

Celsitudo eius erat sententiae, ut si classis Turcica portum exire detrectaret, quamprimum advenientibus a tergo relictis navibus, expositurus esset viginti millia peditum in terram continentem, et concutere castella in fronte sive portu Zacynthi posita, ad devincendam postmodum classim Turcicam. Ex portu iam dicto „Val d' Alessandria“ discessimus 6. Octobris nocte prima vigilia versus Zacynthum hac spe, ut reperiremus classim Turcorum; quem in locum praeterita iam nocte et albescente die cum pervenissemus, circumnavigantibus nobis collem quemdam „Scoglia“ dictum, simul cum benedicto illo septimo, die Dominico scilicet, obque Sanctam Justinam memorabili, comparuit hostium triremis aperto in mari in loco appellato „li Corzolari,“ prope sinum Zacynthi, cum illa ipsa nocte ablegatum a classe Turcorum Carachiasy corsaro-piratam obviam tendentem nobis animadverteramus, cito tamen ad suos se receperat. In illo itaque loco apparentes iam hostes pugnandi copiam dabant, et nos nostram aciem instruebamus ad proelium. Generalibus in medium locum positis, et procedentibus nostris triremibus lunata acie, maximae nostrae sex triremes galeazze appellatae primo hostem adortae sunt. Quae quamprimum in conspectu Turcos habuissent, globos tormentorum emittebant, et nos pedetentim insequentes, secundum ordinationem hosti appropinquavimus. Ante omnia autem dominus Joannes de Austria ex sua triremi in parvam descendens, circumibat suorum cohortandorum gratia, utque pro gloria Christiani nominis fortissime proeliarentur. Cornu vero nostrum sinistrum, navigando ceteras antevertebat ad obviandum Turcis; quo in loco pugna diu anceps, et dubia fuit. Secuti sumus et

nos, atque sinistrum cornu Turcorum aggressi sumus. Denique totum proelii atque classis corpus in Turcos invaserat, ubi proeliando hinc inde fortissime quinque horae sunt consumptae, quibus nondum, utram in partem victoria inclinatura esset, apparebat; verum tamen cum nostris tormentis aliquot hostilium triremium in profundum mare demisissemus, nostrique sclopetarii saepius emissis globis plus occidendis hostibus efficerent, quam suis Turci lapidibus atque sagittis nocerent, paulatim nostra coepit esse victoria, illis timore percussis retrocedentibus. Tantus enim fragor atque sonitus, imo quasi tonitru nostrorum fuit bombardarum, et tormentorum fumus, ut alterutros utrinque videre vix poteramus, nisi cominus pugnando. Nos quoque per tres horas dubio, imo vero ferme desperato Marte, maximo nobis imminente periculo, maximo cum discrimine vitae pugnavimus; cum nostrae triremis prora adoriebatur (ſgy) a duabus hostilibus, una a parte sinistra Carachiossa puppim cum una sua triremi aggrediebatur, atque etiam cum alia parva triremi. Hac omnes ab una nostra haerentes magnis difficultatibus nos implicabant, quibus tamen fortissime restitimus per quatuor horas pugnando, Divino auxilio potius quam humano fulti et freti, singularique celeritate et industria nostri praefecti, unico cuidam grosso tormento, quem Itali vocabant „bombardiero del canon grosso," qui unam ex istis triremibus a prora pendentibus magno foramine incusso, atque ingenti hiatu insecuto, in profundum demisit. Illico idem tormentum, usque ad medietatem suae longitudinis celerrime catena ferrea aliisque parvis globis oneratum et impletum, „con un altro colpo," hoc est alio ictu emissis globis atque catena,

alterius triremis a prora pendentis summitatem dissecuit, Turcosque ibi stantes omnes in mare proiecit, atque sic nos ex isto periculo extricare incoepimus. Aliae enim a latere pendentes, illarum anteriorum infelici successu moti atque percussi, fugam ceperunt, Carachiosa vero a puppi nobis instans, ac harpagonibus nobis inhaerens, tandem a nobis cum centum quinquaginta Turcis et eo amplius occisus est; parva quoque illius triremis cum rebus non admodum pretiosis capta fuit. Neque vero satis verbis explicare possum nostrorum militum fortitudinem, invictumque animum; sed res ipsa pro nobis loquitur, praesertim cum non valde absimiles videri possimus imaginis pingi solitae Sancti Stephani, vel Sancti Sebastiani. E nostris enim nullus ne unus sine vulnere superfuit, qui non vel sagittis, vel lapidibus, vel globo bombardae saucius laesusque fuerit. Proelium coepit circiter horam quartam solis iam in nostro hemispherio vertentis, quae poterat secundum nostrum horologium esse undecima; victoria ad nos inclinavit circa tempus occasus solis, nosque fugientes Turcos in mediam usque noctem insequebamur. Quasdam hostilium igne cremavimus, quasdam submersimus, quasdam cepimus; ita, ut interfectorum Turcorum sanguine mare decoloratum rubrum, non album videretur; multis insuper Turcis in servitutem redactis. Sequenti quoque aurora diei mare cadaveribus et triremium ruderibus plenum videbatur. Turcorum classis fuit ducentarum quadraginta triremium, et circiter sexaginta triremes parvae fustae appellatae, ut ex captivis intelleximus; qui non existimarant in primis, tantum nostrarum esse numerum. Turcos quoque saepius in animo habuisse capere fugam, verum

Hali Passa potius existimarat esse fortiter hic, quam ignominiose Constantinopoli moriendum. Quare poenam capitis iis constituit, qui pugnare remitterent languidioresque essent. Triremis domini Joannis de Austria adorta fuit illam Passae Perthan Generalis Turcorum, qui capta sua triremi, mox interfectus fuit. Dominus Marcus Anthonius Columna, quamvis et ipse tribus Turcorum triremibus circumventus fuerat, tamen ubi auxilio illi quidam fuere, vicit magna cum sui gloria et honore. Bonus quoque ille et venerandus senex Generalis Venetorum Veniero more robustissimi tyronis hostem repulit, atque pugnavit; qui licet saucius esset, Halym tamen Passam, qui forte illi obvenerat, fortissime vicit. Ex praecipuis Venetae nobilitatis decem et septem capitanei occubuerunt, multi praeterea alii nobiles Hispanorum, et Italorum ingens numerus desideratus fuit. Verum omnia specialiter investiganda temporis angustia nondum concessit, duces nostri ab omnibus summis laudibus extolluntur, tanquam officio suo strenue functi: quales sunt Illustrissimus dominus Don Joannes de Austria, dominus Columna, dominus Veniero, dominus Dorea, et Marchio de Sancta Cruce, qui postremum agmen tenens inclinanti parti auxilio fuit. Turcorum occisa sunt supra 40,000, quinquaginta triremes submersae sunt, centum sexaginta una captae, quae omnes usui esse possunt; ceterae incendio et ruina periere, vel inutiles sunt. Captorum insuper Turcorum magnus est numerus: liberatorum Christianorum extiterunt 15,000, qui catenis alligati Turcorum in classi fuerant. Homines alicuius authoritatis et ponderis inter Turcos occisi sunt isti: Haly Passa, Perthan Passa Generalis, Beeg de Rodi, di Scio, de Medlin, della

Cavalla, di Napoli di Romania, di Nigroponte, di Sancta Maura. Et hi omnes erant Beghi. Item Caragossa, Carochiali, Carsaro, Siroc, capitaneus Carochiabnue, Carapeti, Previsaga, Murato; isti omnes capitanei. Et hi fuere praecipui Turcorum occisorum, neque nullus fuga evasit, qui esset alicuius virtutis sive authoritatis, praeterquam Vichialis Rex Algierae.

Ex portu Cardae 9. Octobris Anno 1571.

CXLII.

A nagyszombati pogároknak Verancsics Antal.

Ad Tyrnavienses Cives.

1571. nov. 2. Quoniam vobis in omnibus libenter gratificamur, in quibuscunque possumus; ideo hospitium vobis in privata ac civili domo nostra Posoniensi iuxta petitionem vestram concessimus animo propensissimo, quandocunque eo uti volueritis. In archiepiscopali idem facere non recusaremus, si tot familiarium nostrorum diversae conditionis personis non esset obnoxia. Verum quia in iam concessa vobis commode esse poteritis, de alia excusatos nos habere non gravabimini.

Ceterum quum iam nos de victoria nostrae classis, qua de Turcis mari profligatis triumphat, certiores factos esse non dubitemus: ideo quemadmodum ubique per omnes nationes, provincias, urbesque sedulae reddantur laudes et gratiae; judicavimus

oportere, ut hae quoque duae civitates Dioecesis nostrae, Posonium et Tyrnavia, muneri suo satisfaciant, et suas gratias cum publicis totius Orbis Christiani coniungere non praetermittant, neque recusent. Quum enim haec clades totas omnino Turcae maritimas vires hauserit, debilitataque etiam reliqua eius potentia sit ex parte maxima, maximas quoque vel nos afflictissimi Hungari, uniti in religione Catholica, cui haec ipsa data est victoria, Deo debemus agere gratias, eundemque omni cum humilitate ac devotione orare, ut hoc confirmet, quod operatus est pro nobis; nosque et dignos faciat tantae suae gratiae, et hostem Christi sui, ac nostrum, omnipotens manus eius urgeat vehementius, et tyrannidem eius frangat fortius, ut respiremus, et sciant omnes nostri inimici, Deum nos habere, nec destitutos esse tutela eius.

Quare, quoniam nos hesterna die in hac civitate functi sumus hoc munere gratiarum actionis cum toto clero et populo eius, cuius concursus ac devotio tanta in Deum apparuit, ut nesciamus, si unquam alias fecerimus laetiores; hortamur vos, ut quum per fratres nostros requisiti fueritis, velitis vos quoque simul cum eis hoc Divinae eius erga nos misericordiae beneficium recognoscere, et gratiis pro nostra humana possibilitate compensare. Quod obsequium vestrum quum sit futurum Deo gratissimum, iuxta illud: „Da Deo laudem et gloriam"; tum nos etiam multis nominibus demerebimini, vobisque propensissimi erimus ad gratificandum in omnibus, quae a spirituali pastore desiderabunt animae vestrae, aeternae salutis studiosissimae, et Catholicae professioni obsequentissimae. Bene valete. Posonii 2. Novembris 1571.

CXLIII.

Lindvay Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Lindvensem.

1571. nov. 3. Victualia, quae misisti, reddita sunt; cum defectu caponum quinque et unius anseris. Nec butyri plus, quam pintae duae, quae sufficient in biduum.

Opus portarum, quod procedit, laudamus; caveaturque veterum amolitio, donec novae absolvantur, et mox collocari possint. Quia non est tutum, diutius earum locum patentem tenere.

Boves et oves mactabiles, capiendosque usones expectabimus. Eorum tamen piscatoribus valde parum credimus, utcunque tu nos iubes esse spe bona.

De piscibus scutellaribus eundem defectum patimur hic Posonii, quem Viennae, dudumque piscatores nostros liberavimus itinere Viennensi. Sed quod nos Posonii ac Tyrnaviae quoque pecunia propria edimus pisces, ut Viennae; aut culpa tua est, aut piscatores nostri sunt improbi. Dic itaque illis, quod eorum pisces iam imposterum neque hic, neque istic edere, sed eorum pretium numerari volumus. Praeficiemusque piscinis et piscationibus illis nostris peculiarem nostrum hominem, postquam et tu verbis nos ex ea parte pascas. Ut autem nobis pecuniis satisfiat primo quoque tempore per eosdem pro defectibus commissis hactenus, denuo et quidem iam quarta vice committimus tibi, ut id sedulo, et sine dilatione cures.

Neque malas eorum consuetudines praeferas nostris juribus et nostrae dignitati.

Ubi ais, officii tui authoritatem diminutam et variatam esse, tibique etiam praeferri officialem Tyrnaviensem et Szewleosiensem; idem posses dicere de officiali Sanctae Crucis, et de Posoniensi provisore. Quum tamen expressum tibi sit, ne te in his intromittas, quorum nos peculiarem curam nobis reservaverimus: existimamus, tibi iniuriam non fieri, sed potius nobis. Quum et vina ex Szewleos Tyrnaviam misisti, et nostra quaedam robora ex Zerdahel amandasti, nescimus quo, sine commissione nostra: vide, an hoc fieri debuit. Quum et vina illa in Szewleos, et robora in Zerdahel manere voluerimus ad deliberationem nostram. Te itaque his offendi nolumus, quae nos interdum tibi scribimus pro informatione tua. Componentes et instruentes te, ut scires nobis pro nostra voluntate, non pro tuo arbitratu inservire. Neque sic tecum nos agere oporteret. Sed quia tumet nos ad agendum cogis modis quibusdam nobis non placentibus: putamus tempestive nobis in te esse dirigenda, quibus nobis minus satisfacere videaris. Quum provisores nostros aliter nostri curae intentos atque sollicitos esse velimus.

Quam sit diu, quod discessimus Wywario, meministi arbitramur. Intra quod tempus, quoties ad mensam nostram respexeris, quanto etiam has domos nostras commeatu vel iuveris, vel instruxeris, pudet me dicere. Tu te nobis etiam cumulate satisfecisse asseveras, dolesque de nostris querimoniis; quum ad haec etiam obaudis mandata nostra. Nam in negotio Zakolcensi nec egisti, nec peregisti quicquam; quod est nobis importantissimum. De captivo nostro Turca

nihil, quod scire volebamus, rescripsisti. Rem Commissariorum neglexisti, vel potius silentio involvisti; novis tantummodo litibus cum domino Forgach vacas; nobisque etiam Caesaream Maiestatem commotam reddis, movesque etiam tuis rebus multa, idque sic, ut et nobis et tibi ipsi lites suscitas. Quid etiam transegeris cum Capitulo apud Sanctum Benedictum, nos ne verbo quidem edoces. Pluraque sunt huiusmodi, quae nos male habent, dum interim egregie negligimur. Quod haud quaquam fieri volumus. Quandoquidem si tibi de honestissima conventione et statu constituerimus, certe ea affatim contentus esse deberes; ratioque, et omnis aequitas postulat, ut reliqua omnia, quae vel ordinaria, vel extraordinaria via industriae, quaestus, byrsagiorum, et similium administratione tua proveniunt, ad nostras utilitates et emolumenta conferas; totusque in eo sis, ut memineris in singulas horas, quid nobis debeas, et quae nobis de te polliciti simus. Ne igitur desis et nobis, et officio tuo; curesque sedulo, ut de his non contendamus. Quia redditus nostros meliore cura administrari, nec eos cum quoquam dividi aut partiri volumus. Quae quum curabis, ut te edocemus, erunt tibi pro officio tuo omnia integra, nosque ab expostulationibus cessabimus. Vale. Posonii 3. Novembris 1571.

CXLIV.

A soproni papságnak Verancsics Antal.

Ad Sopronieusem Clerum.

Credimus intellexisse vos, qualem et quantam 1571. nov. 6.
victoriam mari de Turcis dominus Deus die septima mensis huius dederit Christianae classi. Quae tanta fuisse dicitur, ut ex trecentis triremibus hostium vix quatuor, sicuti nunciant, evaserint. Interfectisque maiori ex parte omnibus tum Ducibus, tum militibus, ceteraque tota fere turba hostili, Summus quoque Dux eius est desideratus. Triremes 180 captae, 14 etiam millia captivorum, qui Constantinopolim vehebantur, liberata. Magna sane est haec victoria, et magnas omnes gratias Deo agere debent Christiani, et magnopere petere, ut Divina Maiestas eius eandem victoriam provehat ad maiora, et vindicet nomen Christianum a servitute et iugo tam potentis hostis.

Ideo quum per universum Orbem Christianum laudes Divinae Maiestatis eius cum laetitia decantantur, et gratiae summa cum humilitate, summissioneque aguntur; par est, ut Hungaria quoque idem faciat, et vota publica comitetur. Jamque quum et Viennae Maiestas Caesarea, dominus noster clementissimus, hoc per clerum et per totum eius populum obiri fecit: nec nos quoque hic idipsum exequi intermisimus, curavimusque idem et Tyrnaviae fieri; monemus, hortamurque, et etiam committimus vobis in Domino, ut re, modo, atque ordine cum istis dominis civibus,

amicis nostris, et cum fratribus monasterii Soproniensis, ceteroque toto clero communicato, detis operam, ut istic quoque missa solemniter celebrata, ac processione facta, canticoque „Te Deum laudamus“ decantato, memoratae gratiae Deo Omnipotenti, viventi, ac videnti, cum omni devotione peragantur, et versiculis orationeque cura nostra edita, concludantur. Declaremusque pio hoc effectu, nunquam nos commissuros, ut Dei dexterae, qua hostem nostrum fortissime et validissime prostravit, ingrati esse velimus. Idque muneris quum absolvetis edocete nos vestris litteris, quam feliciter omnis haec res vobis succedet. Et bene valete. Posonii 6. Novembris 1571.

CXLV.

A magyar királyi kamarának Verancsics Antal.

Ad Cameram Hungaricam.

1571. nov. 10. Proxime quum Dominationes Vestrae miserant Viennam ratione pretiorum decimae nostrae Gewmeoriensis florenos quadringentos; scripscrant, quod reliquum essent depotsituri nobis, quum redissemus Posonium. Nunc, quia iam rediimus et egemus sumptibus, Easdem rogamus, velint nos de dicto reliquo contentare; quod ab Eisdem bono animo accipiemus, et officiose recognoscemus. Transactionem quoque cum Maiestate Caesarea, domino nostro clementissimo, factam super duabus nostris possessionibus Sayopy-

speky et Welkenye misimus, ut eam Dominationes Vestrae videant, et tricesimatori Tyrnaviensi mandatum dent, ut nobis citra aliquam dilationem pro hoc primo anno, cuius fructus iam, ut etiam praecedentium, libere perceperunt, satisfaciant de ducentorum florenorum pensione; taliterque de futuris etiam illi authoritate sua perscribant, ut quotannis simus ad suum diem satisfacti. Et felicissime valeant. Posonii X. Novembris 1571.

CXLVI.

Draskovich György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Drascovium Zagrabiensem Episcopum.

Ad ternas Reverendissimae dominationis Vestrae 1571. nov. 13.
serius respondemus, non quidem negligentia, sed data opera; quod stante priore deliberatione Comitiorum Sacratissimae Imperialis Maiestatis, domini nostri clementissimi, sperabamus omnino sub eis nos coniunctum iri, et mutua consuetudine frui, nobis sane iam desiderata. Sed postquam haec utriusque nostrum spes dilata est ad alium terminum festi videlicet Epiphaniae Domini, interim excusari cupimus, si quid huic officio peccaverimus.

Patrocinio autem, quod ad nos detulerat per venerabilem Paulum Cralotium, Ecclesiae Zagrabiensis Canonicum, pro eliberatione captivitatis Turcicae Francisci Philippowyth, similiter sui Canonici, egimus

apud Maiestatem Caesaream; summoque studio Kewrt Agam postulavit, ut huic ipsi Francisco Philippowith donaretur, et eo liberaretur e captivitate. Nec responsum sine spe habuimus. Quid tamen postremo Maiestas Sua decreverit, recedentibus nobis e curia, ignoramus. Libenterque etiam imposterum Reverendissimae dominationi Vestrae, et in similibus, et in aliis petitionibus suis, semper gratificabimur, quibus idonei esse poterimus.

Melchiorem Koszwyth, nobilem et conterraneum nostrum, excepimus, eumque ex cognomine agnovimus. Ceterum postquam istic annona panis tenuior habeatur, quam hic apud nos; nutriemus quidem illum, sed ecclesiastica beneficia doctioribus impendemus; quum hactenus etiam Sancti Petri navicula fluctuaverit, et scandalum pertulerit ignorantia multorum eius ministrorum. Nec iam decet nos priorum exempla repetere, et doctrinam, quae et florere, et vigere in Ecclesia debet, negligere. Quum qui in hoc album cooptari debent, sacrae nos litterae docent, ut tales noverint proferre nova et vetera, plusque sciant Divina contemplari et docere, quam alea et chartis ludere. Quibus quum hic decoxit domi, hausitque conviviis omnia; putamus iam ei sero esse, litterario ludo et ecclesiastico ordini sese mancipare. Et ex his Reverendissima dominatio Vestra videat, quantum et diligamus, et oblectemur huiusmodi umbris.

Michaelem Zkoblicium consanguineum suum nunc iam remisimus domum, aestivis et hybernis vestitum, instructumque viatico competenti. Cui certe non defuimus, nec defuissemus etiam imposterum. Sed quum afflixit eum gravissimus morbus, nec aulae malevalentibus admodum sunt commodae, domi curetur.

Quum hoc tempore sanis etiam aula minus satisfaciat, augetque proventus; adeo mortalibus omnia videntur defecisse.

De novitatibus agendum multis non est, postquam vel hac unica tantum Maiestas Divina et magnificavit suam potentiam, et Christianos suos amplificavit et protexit; classe Turcica in manus nostras tradita, et novi huius Pharaonis deiectis ac debellatis viribus navalibus. Cui propterea, et soli agendae sunt gratiae et decantandae laudes. Quia certe nunc iam demum hoc evidenti argumento declaravit mundo, Deum Christianis esse propitium, paterneque cum eis agere; quod eos castigat, quos amat, nec deserit penitus, ubi eorum virtutem sanescere, et in malo deficere animadvertit. Quam bonitatem Dei, nisi vel ex hoc praesenti tanto beneficio, tamque insperato, ad eum non redierimus, legi eius non paruerimus, in Catholicam Romanam Ecclesiam non recurremus, priora opera non faciemus, prodigiosis haereticorum falsitatibus aspernatis et abiectis; verendum est, charissime et observandissime frater, ne accusemur ingratitudinis, et hanc adeo memorabilem victoriam emendatione delictorum nostrorum non promerebimur, Deoque ipsi, qui pro nobis pugnavit, plane ostendemus, quod neque intelligimus, neque requirimus illum. Serviamus itaque Divinae eius Maiestati in timore, et exultemus nobis in tremore, agamusque summa cum humilitate illi gratias; agnoscentes, quod quos amat, corrigit, nec in aeternum eos abiicit, pro quibus dedit filium, et misericordiae suae spe, armaturaque instruxit. Nos ne deessemus nostro muneri in agendis Deo gratiis, exemplo omnium, qui agnoscunt tanti doni praestantiam et opportunitatem, quia dominium maris pericli-

tabatur, commonito primum ad conveniendum toto urbis huius populo, in festo tandem Omnium Sanctorum easdem cum eo, qui certe frequentissimus concurrerat, exequuti sumus perquam devote gratias. Quove supplicium animorum nostrorum efficacius testaremur affectus, in his ipsis exprimendis nostris gratiis, eas, quanto aptius potuimus, praesenti tempore accomodavimus, novae orationis cura habita, qua (ut ad nos perlatum est postea) non fuerunt pauci, quibus et cordis intima, et in oculis motae fuerunt lachrimae. Nec id immerito. Quia ab ingressu Turcarum in Europam, tanta clade a Christianis nunquam sunt percussi. Tantumque nobis haec unica attulit victoria, ut iam de imperio maris non est quod dubitemus Dei bonitate; si occasionis opportunitatem, quae etiam ab eo est, non negligemus, Sed, ut tandem desinamus, orationis eius exemplum fraternitati Reverendissimae dominationis Vestrae misimus, ut intelligat, quantopere functioni nostrae studeamus, et recordemur veterum et piarum monitionum Eius. Quibus sane (quod amanter etiam, nedum libenter confitemur) meliores, et pastoralis officii nostri facti sumus diligentiores. De quo Deo et Reverendissimae dominationis Vestrae fraternitati agentes gratias, Eandem feliciter quoque valere cupimus. Posonii 13. Novembris 1571. Reverendissimae dominationis Vestrae etc.

CXLVII.

Stekel Anzelmnek Verancsics Antal.

Ad Anselmum Stecchelium.

His diebus quinque tuas litteras eiusdem argumenti accepi. Quae, ut sero mihi sunt redditae, ita et multa sorditie fuere maculatae. Quod et incuriam, et improbitatem tabellariorum arguebat. Ego vero illis etiam male sum precatus, crucemque pessimam imprecatus, qui amicorum rebus tam negligenter consulunt. Ac, ut graviore maledicto feriantur, tu quoque des eos Sathanae, et luant poenas tanto commeritas flagitio. Quo factum est, ut et tu subsidio postulato diutius egueris, et de meo abs te fortasse alienato animo suspicionem ceperis. Quod omnino fieri nollem; quum is animus erga te meus idem sit, qui fuit semper. Utque hoc re ipsa tibi comprobemus; designes hic nobis quamprimum hominem quempiam, cui petitum subsidium curemus deponi, eiusque fideli etiam ad te perferatur opera, quum nos non habeamus, per quem id secure exequi possimus. Jaurinum enim nostrorum cum eat nemo, et pecuniam cuivis committere non est hac tempestate tutum. Matures igitur sic de hoc constituere, ut tibi non desit nostra liberalitas. Quod autem scribis de panegyrico, quo me iam ab aliquot decantas annis, dudum nimirum esse elimatum et exauctum; habeo tibi gratias. Nec differas proelo eum subiicere; sub quo quum tandem fuerit, curabimus tibi nova etiam subsidia, ut in lucem 1571. nov. 18.

evadat, et fruamur nonnihil Musarum tuarum favoribus, hosque iam seniles annos nostros spe futurae nostri memoriae tuo officio recreemus. Quum et nos ut homo ambitiosus utique sumus, et tua scriniorum tenebris non depereant. Posonii 18. Novembris 1571.

CXLVIII.

Szent-Kereszt mezőváros lakosainak Verancsics Antal.

Ad Oppidanos Sanctae Crucis et eius pertinentias.

1571. nov. 22. Primum ubi petitis, ut vestra privilegia confirmemus, hoc ante diaetam facere non possumus. Quoniam autem plures habetis antecessorum nostrorum concessiones, quae vobis factae sunt pro temporum conditione et necessitate; nos etiam considerato praesentium temporum statu, quum iam veterum vestrorum privilegiorum confirmandorum tempus advenerit, cum commoditate nostra tunc videbimus, Deo volente, quae vobis confirmare debebimus, et quae non. Interim sitis pacifici.

Ad educillationem vinorum quod attinet, publica est constitutio in Regno, ut his partibus, in quibus vina non proveniunt, subditis non liceat vina vel propria, vel emptitia educillare, nisi postremis tribus anni mensibus: hoc est Octobre, Novembre et Decembre; reliquis terrestris dominus educillat. Ad quam constitutionem volumus, ut vos quoque, quum in territoriis vestris vina non proveniunt, non gravate accomo-

detis. Et haec constitutio quaeratur in constitutionibus anni 1550.

Ubi vero querimini, quod libertini, seu nobiles in medio vestri habitantes vina sua educillant, contra jus et antiquam consuetudinem; assentimur vestrae petitioni, neque pati volumus imposterum, ut hoc illis liceat, sive solvant et serviant una vobiscum, sive non. Quin potius commisimus officialibus nostris, ut ex bonis nostris exire cogant, et alibi nobilitatem et jus peculiare sibi quaerant.

In repletura defectus vinorum ex Zewleos anni praeteriti, nolumus vos pro nunc vexari, vobisque facimus gratiam, ut ab ea sitis immunes. Imposterum tamen constituimus, ut undecunque vina nostra ad oppidum nostrum Sanctae Crucis, et ad eius pertinentias convehetis, ea in loco bono modo repleri faciatis, curetisque, ut fideliter deducantur, quocunque deduci debebunt, et iuramento mediante testamini, quod per viam nihil de eis demptum fuerit. Alioqui ipsimet vectores ea repletura tenebuntur.

Ubi vero supplicatis, ut vobis, quum vina nostra educillare debebitis, pauciores akones vini ad educillandum concedamus; in hoc non est, quod laboretis. Quia, quum vobis tribus tantummodo mensibus ex constitutione publica licebit vina vestra educillare, reliquis autem nobis; non debetis de hoc esse solliciti. Verum constituimus, ut imposterum, dum vina nostra educillabuntur, ea bibere nemo cogatur, neque cuiquam dentur in credentiam. Sed quicunque eadem bibere volent, bibant praesenti pecunia et pretio competenti, iuxta eorundem locorum solitam consuetudinem. Edictum tamen volumus vobis esse, ne vicinorum vina quorumcunque bibatis, neque inferatis

occulte. In quo si deliqueritis, gravissime puniemini. Quia omnis aequitas dictat, ut in bonis nostris nostra vina bibantur, non aliena. Et hoc habeatis pro perpetua lege.

Triticum quod attinet ex Cremnicia, et ex aliis nostris proventibus, in sortem futurae restitutionis, si illud vobis dilargiri commode poterit, neque in pensionem solvendam Cremniciensi Camerae ad Bakabanienses milites cogemur; adesse illis non omittemus. Sed parata ac praesenti pecunia, quam si abundanter habetis ad emenda vina, cur etiam ad emendum triticum habere non debeatis. De hoc tamen officiali nostro commisimus, ut quae per eum vobis fieri poterunt subsidia, egere vos non patiatur.

De laboribus nobis privatim, aut arci nostrae Wywar adeo finitimae, et securitati totius Regni opportunae impendendis, ubi vos gravari conquerimini, et dicitis, quod aestate proxima ad eos subditos nostros, qui ex vobis reparationi Wywariensi servierunt, per duas circiter hebdomadas, ac etiam ad certa robora eodem convecta, exposueritis aliquot centena florenorum: hoc nobis videtur incredibile. Et ideo volumus omnino certificari de huiusmodi sumptu nimis excessivo. Quapropter commisimus officiali nostro, ut suis opportunis et necessariis modis per inquisitionem et iuramenta id rei resciat, nosque certiores faciat.

Et quoniam servire tam nobis domino terrestri, quam etiam arcis nostrae reparationibus, praeter omnem rationem et aequitatem recusatis, quum adhuc nobis particulariter fere nihil laboraveritis, nisi quod superiore anno reparationem eiusdem arcis nostrae Wywar iuvistis per tempus valde breve: indigne et

indebite conquerimini; nescientes fortasse constitutionem publicam Regni Sopronii anno Domini 1550. in Generali Conventu decretam, qua singuli omnium Regni Ordinum ac Statuum coloni dominis suis terrestribus quadraginta dies dumtaxat, quibuscunque in rebus, ad arcium vero finitimarum munitiones, si ipsi arces habuerint, etiam plures, Regni periculo existente, iubentur inservire. Ad hanc itaque constitutionem publicam volumus, ut imposterum vos quoque obsequenter accomodetis. Nec recusetis memoratae arci nostrae munitiones ita adiuvare, ut ceteri bonorum Archiepiscopatus nostri subditi; postquam aliis servitiis sive laboribus admodum raris et paucis, extorsionibus vero nullis molestamini.

Debetis tamen animadvertere, ut quum ad huiusmodi labores arcis nostrae finitimae evocabimini: nolumus omnino, ut vos ad eorum sumptum, quos missuri estis, ullam contributionem inter sese imponatis. Quia maiores, et qui sunt inter vos ditiores, dupplo et triplo plus extorquetis a subditis nostris, delectisque pauperrimis, et omnium miserrimis ac imbecillibus ad labores impositos, cum tenuissimis sumptibus eos expeditis, quorum aliqui vix stare possunt in pedibus, nedum laborare; vos vero, qui estis maiores, ad eosdem labores non vaditis, collectaeque pecuniae maiorem partem inter se dividitis. Cui iniquitati ac damno colonorum nostrorum ac nostro occurrentes: ordinamus, mandamusque strictissime, ut imposterum nequaquam audeatis sibiipsis has contributiones imponere, si nos eas non imponimus. Utque inter vos observetur aequalitas, neve inferiores a superioribus pro vilioribus habeantur: volumus et similiter mandamus, ut quum ad huiusmodi servitia

evocamini, per sortes communes, et aequales mittendos deligatis. Et sicut ex decreto publicarum constitutionum dominis tenemini inservire; ita quilibet sorte delectus ad labores, suis propriis utatur sumptibus, seque etiam propria redimat pecunia, si ipsemet ire aut noluerit, aut nequiverit. In arce autem quandocunque laborabitis, ordinavimus, ut vobis praebenda commoda quotidie detur; sic et defectum esus et potus non patiemini.

Ubi vero agitis de molitoribus sive de carpentariis vestris, (qui) missi sunt Posonium, ex commissione nostra pro fabricando equis nostris stabulo, petentes, ne imposterum ex Comitatu vestro ad labores in inferioribus locis descendere cogamini: bene iam vitiosissimos mores vestros didicimus. Miramurque, quod saepissime quoque a nobis summa lenitate moniti, ut cessaretis esse contumaces; adhuc tamen versipelle ingenium vestrum non mutatis. Servire nobis in privato non vultis; arci Wywariensi minus; robora conferre publico Regni commodo recusatis; si quid est reparandum in domo nostra propria subterfugitis; omnium rerum libertates exigitis; nec iam scimus discernere, vosne nostri sitis subditi, aut nos vestri. Jusseramus officiali nostro, ut quospiam ex carpentariis de vestri medio mitteret huc pro stabulo faciendo, nec id quidem gratis, sed pro convenienti mercede, quemadmodum et Turociensibus semper persolvimus omnes labores, quos nobis impenderunt. Eos et tarde misistis, et quum iam venerunt, finxerunt se rudes esse, nec tale scire opificium. Sic et ipsi domum remissi sunt, et equi nostri hyemant sine stabulo. Haec vestra latrocinia qualia sint, vosmet aperte videtis. Quum ad haec eosdem quoque carpen-

tarios vidimus et Cremniciae, et per omnia nobis vicina loca laborare, ac etiam istic. Ex quo cernitur manifeste, nobis eos nescire laborare, scire autem omnibus aliis.

Ne igitur diutius permittamus vos uti contra nos temeritate ac licentia; quid is idem officialis noster et vobiscum, et cum illis improbis carpentariis facere debeat, a nobis accepit in mandatis. Vobisque strictissime mandamus, ei pareatis et mutetis mores; quia iam insolentias vestras ferre nequimus.

Quod autem ubique tributa et telonia super vos accipiunt, patiuntur hoc et alii coloni nostri; sed ante diaetam hic defectus rectificari non potest. Quum igitur de hoc bene et nos meminimus, vos etiam ad illud tempus habete patientiam.

Ut praeterea iterum redeamus ad confirmationem nostrorum privilegiorum; quoniam in eo privilegio, quod confirmari urgetis, valde sunt pauca, et quia multa habetis alia, tam in legibus, et in libertatibus, quam etiam in consuetudinibus, aliaque servatis more vicinorum, alia vero iuxta leges publicas, et secundum Archiepiscoporum, qui ante nos fuerunt, indulta; cupientesque omnia ista cognoscere, et in unum comportare, et sic quieti vestrae consulere: committimus vobis, ut omnia eiusmodi curetis, quanto celerius poteritis, in unum colligere, et nobis praesentare, suoque tempore dabimus operam, ut tale vobis componamus privilegium, quo et Judicia vestra melius tractabuntur, et alia quoque habebitis commodiora, quam hactenus habuistis, observantes usus quosdam ad libitum, nec scriptos, nec authenticos. Istaque causa a particularium supersedebimus (confirmatione).

In causa colonorum de Nagy-Locha quod atti-

net; hoc triduo, Deo volente, ascendemus Tyrnaviam, et colloquuti cum Capitulo, statuemus de Judicio, vosque mox edocebimus, quomodo et quando debebit fieri.

Appellationis quoque Stephani Barthos et Thomae Cherny ratione habita; commisimus officiali nostro, ut coram Egregio domino Vicecomite, et aliquibus dominis nobilibus, id appellationis in persona nostra revideant, et secundum Deum judicent, et sententiam ferant; sic ut imposterum cesset haec con troversia.

De causa quoque judicis Kozonensis hoc sentimus; nimirum ut, quoniam huiusmodi controversiae tam veteres, et quae transierunt ter et quater in praesciptionem, neque nitantur litteralibus instrumentis, neque legitimis uti possunt iuramentis; ideo reus, et possidens in pace relinquatur, si actor deficit in his, quae praemisimus. Memineritisque, ut huiusmodi lites antiquas suscitari non permittatis, quae carebunt scriptis juribus, et legitimis juramentis tueri non poterunt. Et bene valete. Posonii 22. Novembris 1571.

CXLIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Imperatoriam Maiestatem.

Binis Sacratissimae Imperatoriae Maiestatis Vestrae litteris monitus, ut Eandem humiliter informarem, quid stipendii vel salarii datur annuatim in arce Wywar custodi munitionum et notario structurarum; serius respondeo, quum ego quoque a praefectis meis serius sum edoctus. Quam moram mihi Sacratissima Maiestas Vestra dignabitur clementer condonare. Antea autem, quum ea arx Eiusdem Maiestatis Vestrae sumptibus curabatur et fortificabatur, hoc utrumque officium duabus personis committebatur, quarum unicuique per mensem dabantur floreni Hungaricales novem et denarii sexaginta. Postea sublato e vivis notario structurarum memorato, devoluta iam eiusdem arcis cura in meas manus, solus Augustinus Lypter proxime mortuus munitiones custodivit, et suo peculiari dumtaxat salario servatus est. Tametsi pro utroque multum laboravit, sed alterum non est ei concessum; quum duo arcis eiusdem castellani utuntur officio sollicitandarum structurarum cogendorumque laboratorum ad prosequenda opera. Sumptus autem, qui fiunt ad eadem opera, annotat provisor, et eorum rationem exhibet Archiepiscopo. Cuius pecunia et custos munitionum, et castellani contentantur, Camera haudquaquam ad hanc rem molestata. 1571. nov.

Quum itaque hac de causa non sit iam opus

notario structurarum in memorata arce Wywar, quo officio castellani, ut periti, gentem nostram exercere operibus multo melius, quam externus aliquis, sciant; sufficiet custodem tantummodo munitionum servare eo salario, quo et Augustinus Lypter servatus est. Nisi quid aliud Sacratissima Imperatoria Maiestas Vestra novo addi iubebit. Tametsi huiusmodi salaria non essent nimis exaugenda, quum mihi sumptuum plurimae et vix sustentandae causae incumbant. Alioqui sic transigatur cum isto bono viro Adamo Smidhofer, ut Maiestati Vestrae Sacratissimae melius videbitur; clementerque mandabit, ut ad me mittatur, quo quamprimum officio suo praeficiendum modis suis curem. Et Deus Optimus Maximus Sacratissimam Maiestatem Vestram diutissime sospitet atque felicitet. Posonii 23. Novembris 1571.

CL.

Unokaöcscsének Faustusnak Verancsics Antal.

Ad Faustum nepotem.

1571. nov. 23. Quotquot hactenus ad me dedisti litteras Venetiis, omnes accepi. Vetula cum Casimiro fratre tuo, si charta ludere iam desierit, quo studio hic non quaeritur panis, neque acquiritur, et cum Joanne Paulo, primo vere Aeno et Danubio venire poterit; subsidium ambabus istis familiis ad kalendas Januarii mittam. Sed non ad explendos humores tuos, qui de-

nuo ex Hungaro Hungarus es factus. Nollem te his levitatibus agitari. De negotio laurae, quid mater tua sentiat, nondum me certiorem fecisti. Nec displicet franci responsio, si femina iuvenis fortiter, ut profitetur, viduitatem servabit, nec deseret filios donec adoleverint. Alioqui curam eius habere ne ego quoque negligam. Sed interim honoris domus nostrae sollicitus, feci de his mentionem. Si tamen constantiam suam, ut promittit, sic etiam nobis tuebitur, salva sunt omnia, meque exonerabo tantae sollicitudninis non postrema parte. De statu autem istius utriusque familiae, quid mater tua sentit, ex interventu victoriae mari de Turcis obtentae, nescio, scireque optarem. Ceterum da operam, ut mittas mihi tres pectines huius generis, quale hitteris meis adiunxi; adverteque, ut nec maiores nec minores sint, neque etiam vel in densitatem astringantur, vel in raritatem explicentur. Reliquum est, salutes ambas cognatas meas, et totam familiam earum. Vale. Posonii 23. Novembris 1571.

CLI.

Wágy Ferencznek és Nagy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Franciscum Wagy et Joannem Nagy.

Violentias, direptiones, caedes, vulnerationes, et 1571. nov 24.
plerasque alias oppressiones, quas Magnificus dominus Simon Forgach Supremus Capitaneus per suos curat fieri in bonis nostris, intelleximus aeque a praefectis

nostris, ac a vobis, estque nobis cura, ut prospiciamus viis et modis opportunis, ne imposterum subditi nostri a quoppiam affligantur. Jamque haec omnia ad Maiestatem Caesaream detulimus. Vos quod par pari non reddidistis, prudenter fecistis; quum adhuc et leges, et justitiam, et Regem Regnum habet. Illud tantummodo committimus vobis, ut de his omnibus distinctam et authenticam cognitionem capiatis, vel per Vicecomitem, vel per Judicem Nobilium, in libellumque collatis omnibus, unam copiam ad nos quamprimum destinetis, alteram vero ad Comitatum deferatis, ut suo tempore nostrae quoque iniuriae damnaque cognoscantur, cum eiusdem Comitatus damnis atque iniuriis; postquam isti grassatores nos quoque cum eodem Comitatu aequaliter diripiant, expilant, verberant, vulnerant, interficiunt. Simul enim huiusmodi passi; merito debent et dolere, et expostulari simul. Sed bene haec omnia obite, et perficite; ne quid in medium producatis, quod probare non poteritis. Ut autem, ad nos scribendo, nomina quoque quorumdam attigistis, qui sese tam praeclare, tamque fortiter gesserunt in his contra nos perpetrandis; curetis, ut idipsum postea etiam faciatis, quum has querimonias tam ad Comitatum deferetis, quam in his, quae ad nos transmittetis. Etenim eos etiam ibi requiremus, ubi non vi, sed aequitate agetur. Diligenter itaque id mandati nostri exequamini. Et bene valete. Posonii 24. Novembris 1571.

CLII.

Nagy Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Nagy.

Quod iam vinorum quoque nostrorum, tam deci- 1571. nov. 24.
malium, quam nonalium, perceptionem absolvisti, placet. Et tametsi plura habituros nos sperabamus, Deo tamen sint et pro his habendae gratiae. Verum da operam, ut primo quoquo tempore confice integrum et distinctum regestrum, tam de frugibus omnis generis, quam etiam de vinis, seorsumque de nonali, et seorsum de decimali, ac demum de omnibus aliis obventionibus et emolumentis, quae istic per annum nobis provenire soleant. Illudque ad nos mittas cum aliquibus etiam pecuniis, quaecunque interim ad tuas manus pervenissent. Advigiles quoque, ut memorata vina ac fruges nostrae non corrumpantur. Nec quicquam de his omnibus facias ante, quam a nobis, quod fieri voluerimus, accipias.

Ceterum Maiestas Caesarea petit a nobis instantissime, ut per bona nostra disponamus Maiestati Suae vivos fasianos, perdices, et caesareas quas vocant aves. Committimus itaque tibi quam strictissime; ut cures, quo, quamprimum fieri poterit, habeamus de his avibus vivis copiam, quanto maiore haberi poterunt. Nec in eis comparandis ulli nostrae pecuniae parcas; etiamsi in colonos nostros erit eroganda. Caveasque omnino, ne hoc obaudias; nisi si nos magnopere contra te indignari volueris. Principis enim

petitioni nos nequaquam licet non obtemperare. Intende itaque in hanc curam, et in hoc studium omnem tuam et cogitationem, et industriam. Nec labori quoque parcas. Vale. Posonii 24. Novembris 1571.

CLIII.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Locumtenentem.

1571. nov. 25. Nos hoc biduo movebimus, Deo volente, hinc, et Nitriam, quantum per faedatas luto vias poterimus, maturabimus; ducturi nobiscum Praepositum Felhewiensem propter assistentiam. Quo speramus etiam Reverendum dominum de Sagh affuturum. Et si actus nostri negotii prima dominica Adventus fieri non poterit, fiet secunda, aut in festo Divi Nicolai; nobisque ignoscat, si quietem Eius perturbamus. Publica cogit nos necessitas; alioqui curabimus, ut in minimo, quoad eius fieri poterit, minime molestetur. Ex bonis vero nostris iam dudum commisimus, ut officialis eo excurrat, et nostri curam gerat. Nova, si quae erunt, hodie expectantur; et quaecunque acceperimus, cum Reverendissima dominatione Vestra communicabimus, quum aderimus. Valeat optime et feliciter. Posonii 25. Novembris 1571.

CLIV.

Lindvay Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Lyndvensem.

Nos hoc biduo proficiscimur, Deo volente, Nitriam; et ibi triduo re nostra expedita, Tyrnaviam revertemur. Jam quo mittenda nobis erunt victualia, scis. Quaecunque autem fuerint Nitriae necessaria, curabit Pograny ex officio suo, commissione vero tua. Ad ea vero, quae dominus Supremus Capitaneus et sui agant in bonis nostris, quid respondeamus tibi? aut etiam quod consilium demus? nescimus. Quum nullas videamus leges, quae nos contra hos grassatores tueri possint, nisi Caesarea et Regia Maiestas defenderit. Tu itaque, qui omnium huc pertinentium peramplam habes peritiam, nos potius edoceas, et etiam agas, quod nobis expedire possit; nulla prorsus attentata vi, donec actioni nostrae genuinam formam reperiemus; interim iam Sua Maiestate de omnibus edocta. Usones autem advecti sunt huc quatuor; duosque iam amici nobis ademerunt. Habenda itaque cura est de aliis. Capitaneus vero noster diu iam foris moratur; nec scimus, quonam sit loco, quamque cito reversurus. Quum et arx securius agat praesente praefecto suo; et nos vellemus, ut iam tandem sese resolveret super negotio, quod est nobiscum illi. Vale. Posonii 25. Novembris 1571. 1571. nov. 25.

CLV.

Szent-Péter mezőváros lelkészének Verancsics Antal.

Ad parochum oppidi Zenthpéter.

1571. dec. 8. Illustris et Magnificus Comes Julius a Salmis petiit nos, ut proventus tuos ad parochiam tuam ex decimis nostris pertinentes tibi per decimatores nostros reddi curaremus. Quum et Illustri ac Magnifico domino Comiti libenter gratificemur, et aliena non omnino usurpamus, studentes diligenter, ut unicuique suum reddatur; verum quum Catholica Ecclesia, ut pia ac benigna mater, satis abundanter providerit, ne filii sui, ministri Dei, alimentis careant: nos etiam antistites eius, qui huiusmodi rerum procurationem gerimus, bene prospicere debemus, quibusnam huius generis eiusdem Ecclesiae peculium dilargiamur. Propterea videntes hoc nostro praesenti saeculo, complures Ecclesiarum pastores ac ministros variis erroribus dogmatum esse respersos, omnesque conari, ut Catholicae fructibus vescantur, doctrina non pascantur, neque cum illa sentiant, sed cum peregrinis fornicantur. Cui indignitati occurrere volentes: commisimus, ut huiusmodi redditus nonnisi Catholicis operariis, et in vineam Domini Sabbaoth legitime missis concedantur. Tu igitur quum sis ignotus nobis, nec plane scimus aliquid de professione tua: hortamur te in Domino, et si omnino sis ovicula gregis commissi nobis, etiam mandamus, ut ad nos quampri-

mum venias, et cognoscamus, num Illustris ac Magnifici domini Comitis patrocinium, nostrum vero favorem, et Ecclesiae Catholicae subsidia merearis. Vale. Tyrnaviae 8. Decembris 1571.

CLVI.

Zsámboki Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Sambucum.

Placuit nobis admodum sacrae nostrae classis tropheum, quod Imperatoriae Maiestati erexisti, pulcherrimo elogio tum prosaico, tum poetico, de profligata Turcica in sinu Corinthiaco. Sed heus tu! Quonam provectus es tam repente, ut ausus fueris ita hanc victoriam efferre, ut affirmes iam de Turcae actum esse imperio? Qui vel adhuc initio, quo ex Asia alienis navibus in Europam traiecerit, nec sciverit, quid sit carinis altum secare, utrique tum continenti potentissime imperabat. Nunc supra XII amplissimis et opulentissimis Regnis auctus; scire ex te cupio, num una clade deiici, prosterni, atque extingui possit, consideres. Nec alioqui parum est, tota classe fuisse spoliatum, exutumque et viris, et instrumentis navalibus. Verum si cetera expendas diligentius, quae supersunt illi, quum ad vires maritimas reparandas, tum ad terrestres commovendas, quae ipsi semper fuere genuinae et propriae; putasne tam cito collapsurum, quam nos tam diuturno iugo eius 1571. dec. 13.

pressi, et optamus, et ex desiderio, quo quietis ac securitatis tenemur, nobis pollicemur? Quod enim miseri volunt, hoc haud dubie facile credunt. Sed ne molestius de his disputem; haec sane ingens est victoria. Atque eo etiam amplior et augustior primum, quod Deus exercituum caelitus concordes nostros fecerit, qui iam diu concordiam ignoraverant; et deinde sic pro nobis pugnaverit, ut quicquid felicium eventuum hoc conflictu datum est nostrae classi, ut ei soli deferendum esse pronunciem. Neque scio, an unquam ille felicius dimicaverit, qui de se dixit: „Veni, vidi, vici.“ Rarum est enim, et vix etiam in omnibus historiis inventu facile, classem tam grandem, et iam a tot annis triumphantem, horis VIII debellatam et totam in potestatem fuisse redactam, ex summis eius ducibus nonnisi uno Occhali nuncupato, et quatuor vel quinque triremibus fuga servatis, reliqua tota tum militum, tum classiariorum turba partim caesa et mari obruta, partim vero capta, et XII ferme Christianorum millibus, qui in captivitatem agebantur, liberatis. Quo magis nobis iam enitendum est, ut hoc praesenti Divinae Maiestatis ac potentiae beneficio moniti meminerimus, non omnino nos in sempiternum Turcae esse traditos; sed ab eodem paterne castigari, ut ad eum convertamur, legem eius observemus, mandatis pareamus, et diligamus mutuo, demusque operam, ut eandem reconciliemus, ad Catholicam fidem reversi, et ecclesiis commentiis atque angularibus destitutis. Sic demum nos florebimus, et Jesus noster pugnabit pro nobis; quibus non certe reliquit gladium testamento, quod sibi Mahometes arrogavit; sed pacem, et cum unitate charitatem. Nec de his plura modo. Et ad novum hospitium quod attinet;

misi istuc Galassum meum, cui domum ostendes, eique si placuerit, mihi non displicebit. Novit enim in hoc, quicquid animi habere soleam. Stabo itaque eius iudicio. Neque ea illius stipe gravabor, de qua scripsisti mihi, modo domus arrideat, neque in ea desiderentur, quae superioribus meis attigeram. De mea valetudine si quaeris, bene habeo. Curo res Ecclesiae, clericorum ordinationes paro, festisque Nataliciis absolutis Posonium redibo, diemque ibidem Comitiorum expectabo, iam tandem Nitriae secunda huius sacro pallio insignitus, donatusque Archiepiscopali plenitudine. Si tamen interim et Strigonio potiemur, et hostes hinc etiam summovebimus, quorum iam petulantiam ut terra quoque Divina vis comprimere non gravetur, et oremus Altissimum et laetemur moderate de tam donis gratuitis, ut maiora in nos conferat. Et quos hostes tam fortiter nostra causa coepit frangere, in finem usque conterat. Vale. Tyrnaviae 13. Decembris 1571.

CLVII.

Ghyczy Györgynek Verancsics Antal.

Ad Georgium Gyczy.

Litteras tuas Francisco Tompae militi nostro ad nos datas, accepimus et intelleximus. Scitoque, quod Maiestas Caesarea, dominus noster clementissimus, aliud nobiscum super re militari non transegit, quam 1571. dec. 17.

ut, quandocunque Maiestas Sua per Commissarios suos lustrationem de militibus nostris clementer fieri voluerit; nobis neque admonitis fiat, suaeque benignissimae in hoc voluntati non aegre pareamus. Isti itaque praesentes domini Commissarii, si volunt lustrare nostros milites utriusque ordinis, nequaquam recuses, sed obedias: cures tamen, ut sicut et tu, et provisor noster semper nobis dicitis, nullum defectum esse in militibus nostris; ita nunc advigilate ambo, ut aliqua ex simili causa non arguamur. Quandoquidem et Pograny dixerit nobis, equites nostros tot in proxima lustratione fuisse numeratos, ut excesserint etiam ordinarium numerum. Quare confidimus, quod tu vel maxime consules existimationi vestrae; curabisque, ut quum iidem nostri milites in lustra prodibunt, ita sese instruant et appareant, ut nobis nihil opponi possit, vel ab aemulis nostris, vel a dominis Maiestatis Suae Commissariis.

Magnificus autem dominus Forgach melius faceret, si res suas curaret, in alienas sese non ingereret, neque iis molestus esset, qui et Suae Maiestati, et Regno bene servierunt ac serviunt, et imposterum etiam servient. Alioqui quicquid agat et loquatur, iam plane videmus, quantum nobis de eius erga nos benevolentia polliceri possimus. Ideo scias, quod Maiestas Caesarea neque nos, neque milites nostros illi subiecit sic, ut ipse contendit. Quod quum, Deo volente, una erimus, omnem transactionem nostram tibi ostendemus. In quantum autem hoc interim debeas illis dominis deferre, ex superioribus aliquot litteris nostris instructum te esse non dubitamus. Quos terminos te excedere nolumus, et suae dominationi tantum deferas, quantum ambo Supremo Maie-

statis Suae Capitaneo pro ratione et eius officii, et nostrae dignitatis debeamus. Privatum nostrum jus, dominium, honoremque, nemini subiicias.

Ceterum si perget molestius urgere, de quibus scribis diligentius, iuramentum tuum, per manus dominorum Commissariorum Maiestatis Caesareae nobis factum in accepta possessione arcis Wywar, eidem exponas; et videat demum, si Archiepiscopus Strigoniensis, et eius praesidium Wywariense, ab eodem Magnifico domino Forgach pendere debeat.

Verum his omissis, dabis operam, ut quantum fieri poterit, honorem et bona nostra tueri et protegere contendas, nobisque amicos potius, quam inimicos concilies. Et quicunque ad istas partes venient nomine Sacratissimae Maiestatis Imperatoriae, indigebuntque vel comitiva, vel quacunque re alia, citra ullam dilationem cures omnes iuvandos, commendandosque, et comitandos, quoad quaeppiam exigent pericula. Hoc enim et nostrum et tuum decet officium, fidesque utriusque postulat, qua ambo Sacratissimae Suae Imperatoriae Maiestati obligamur.

De mandato autem Caesareo super lustram quod scribis; bonum est huiusmodi mandata habere, caute en sunt expetenda. Quum tamen ita est transactio, ut libere, nobis etiam insciis, lustram fieri concedamus, non est super hoc contendendum; quum nos in eo sumus omni studio, ut in militibus nostris nullus unquam defectus committatur. Jungamur itaque ambo fideli et debito nostro officio in his omnibus, quae Principi nostro, et nostrae patriae, nostroque etiam honori debeamus. Aemuli vero atque inimici nostri rumpantur sua malitia; nos subiectioni, et obedientiae nostrae non desimus, laetique sinceritate nostra fruamur.

Ubi autem domum tuam per paucos dies causa nuptiarum cuiusdam tuae neptis dimitti postulas, id ita tibi concedimus, ut bene pervideas, ne quid interim a quoppiam sit periculo metuendum. Vellemusque, quod quum tu istinc absis, alii omnes ministri nostri praesentes sint, ne uno tempore plures absint. Vale. Tyrnaviae 17. Docembris 1571.

CLVIII.

Bornemisza Péternek Verancsics Antal.

Anthonius Verantius Archiepiscopus Strigoniensis Petro Abstemio Galgocensi haeretico.

1571. dec. 18. Occupatus cura imminentium festivitatum Natalis Domini respondere tibi et pro mea et pro tua satisfactione non potui. Est enim, de quibus per litteras colloquamur, si ea et me dare oporteat, quae petis, et te sic recipere, ut maiora etiam obtineas, si et ego rite dedero, et tu merito acceperis. Cupio enim sic hoc utrumque fieri, ut datum atque acceptum beneficium fructificet in Domino, amboque Sanctae Catholicae Matri Ecclesiae, quam Romanam et universalem Orbis Christiani nominamus, deferamus; ubera quoque eius uberrima non inviti agnoscamus; et sic demum non solum illius horreis, sed etiam torcularibus perfruamur. Vale. Tyrnaviae 18. Decembris 1571.

CLIX.

Pozsonyi tisztartójának Verancsics Antal.

Ad provisorem Posoniensem.

Magister Georgius Welichinus, Custos Ecclesiae nostrae conquestus est nobis gravissime de te; nimirum, quod eam quartam suam Districtus Sempte et Cheklez minus pro aequitate reddideris, suppressis pluribus pagis, ex quibus quartam suam non ei administraveris; nec passus sis hominem suum decimationi interesse. Quae quum laudari nequeunt, quum te maxime talem esse non deceat: vitato igitur communi et vulgarium hominum in his ingenio; scire te volumus, nolle nos, ut in similibus similes fratres nostri offendantur, quum ubi haec incidunt in quartis, paria incidunt etiam in decimis. Da itaque operam, ut eidem Custodi satisfacias, tuisque commodis iustioribus et honestioribus rationibus consulas. Vale. Tyrnaviae 20. Decembris 1571. 1571. dec. 20.

CLX.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

Ad Serenissimum Archiducem Carolum.

1571. dec. 23. Quoniam convenit, ut Serenitas Vestra intelligat omnia, quaecunque successivis diebus contingunt in finitimis locis, et ea potissimum, ex quibus pericula aliqua metuuntur: propterea primis diebus mensis huius, quomodo praxis quaedam captivorum Wywariensium detecta sit, ex adiuncta scheda, quam ad me capitaneus meus misit, distincte et prolixius cognoscet. Singillatim enim omnes quaestioni subditi, torturis etiam dicere coacti sunt, quae et ipsi intra arcem per haec festa Natalitia patraturi, et extra Turcae Budenses, Pesthienses, Strigonienses, Albensesque cum pluribus aliis conaturi erant, si commentum eorum latuisset, et illis successisset.

Sed laudetur Deus, qui non est passus tantum tamque inopinatum casum ad effectum suum pervenire. Ego autem, ut inposterum sollicitudine periculi, quod ex eisdem captivis quotidie metuebatur, non laboremus: iam ternis litteris meis strictissime mandavi capitaneo meo, ut eos ad unum omnes educi faciat, nec deinceps vel unicus in ipsa arce teneatur; et praeterea nulli mercatus in ea admittantur, nulla quoque commercia tractentur, et misceantur, qui non sunt eius subditi; sed forius, et nonnihil etiam a vallo longius. Prohibito quoque per eam transitu omni generi et conditioni hominum; peculiaribus in-

super hominibus constitutis, qui in portis observent adeuntes, nec ignotos ante intromittant, quam admoneantur castellani, et per eos capitaneus.

Ad haec, ut hoc tempore glacierum non desit eidem arci custodia : iam et mandata Serenitatis Vestrae emisi, ut pro constitutione Regni publica immittantur ei suppetiae; et ego Posonium et Tyrnaviam homines destinavi, qui meo nomine ducentos vel trecentos pedites pixidarios conscribant, et Wywarium deducant; eodem et ego sine ulla mora profecturus, si me Serenitas Vestra clementer dimittere dignabitur. Quia nisi similibus provisionibus eorum praesentia, quorum interest, non affuerit : certe non ita rite et pro rei exigentia per vicarios publicis huiusmodi necessitatibus satisfit, et saepenumero incidit, quod desideretur; quum interim complura sint, quae me eo evocant. Et ubi plus servirem quam hic? — hoc praesertim tempore, quo in omnes horas ille finitimus locus exigit sui procurationem. Quae omnia Serenitati Vestrae humillime significare volui, ne quid impingeretur meo silentio. Ipsa tamen Serenitas Vestra clementer deliberet; et quicquid benigne mihi mandaverit, id obedienter et sufficienter faciam. In Nova Civitate Austriae 26. Decembris 1571.

Melléklet.

Nova ad Strigoniensem, per Capitaneum suum Wywariensem scripta.

Quod 12. die Decembris quidam Rascianus nomine Lazarus per Capitaneum Wywariensem e captivitate dimissus, fassus est ad fidem suam de aliis

Turcicis captivis, talem praxim inter sese esse subordinatam. Ut aliqui eorum, qui extra carcerem mittuntur, et foris versantur, funem inferant in carcerem, ex quo ipsi lychmen ignitum faciant, quod postea eorum unus, qui foris versaretur, imponat unius domus tecturae, quae ex straminibus est, hoc tamen taliter composito, ut si de mane funiculus ille ignitus subiiceretur, in serum succenderetur. Sed hoc, antequam experiri voluerint, Turcis finitimis ad scitum daturos se, diemque illis praefixuros esse.

Aliam praxim taliter Turcis denunciaverunt: quod si aquae conglacientur, coeperintque Wywarienses glacies secare, et aperire foraminibus; extunc Turcae oblongas scalas praeparent, sicque per siccum in arcem impetum facere poterunt.

19. Decembris quidam alii duo ex captivis, Elezodapassa et Memy dicti, confessi sunt per torturas, quod ad festa Natalitia Turcae Strigonienses, Budenses, Pesthienses, Vyssęgradienses, Neugradienses et Albenses, equites simul et pedites magno numero convenirent, scalas, asseres, oblonga ligna, et instrumenta ignita secum adducerent, et arcem super glaciem pertentarent; quod tunc temporis aqua congelaretur, nec in latum glacies ipsae exciderentur, possentque in fossa arcis trans sectionem illam scalae ipsae pertingere.

Alii quoque captivi complures examinati, confessi sunt hanc praxim iam pridem inter ipsos fuisse agitatam, et modo etiam ad Bėghum Strigoniensem denunciatum esse: ut veniente gelido tempore, vel ad festum Nativitatis Domini, vel si tunc fieri non posset, post festum, tam Beghus, quam Passa Budensis, peditibus, equitibusque copiosis instructi eo veni-

rent. Et si ex eorum composito illo die aderint, pars peditum apud villam Nyarhyd versus molendinum traiiciat, aggrediantur que subito propugnaculum illud, quod est a parte illius pagi Nyarhyd, iniiciantque in arcem instrumenta ignita. Ex alia vero parte inferiori, equites et pedites irruant contra propugnaculum Vdwardi. Siquidem, quum in eo tumulo sint casae peditum arcis et Capitanei eorum, poterunt immissis pilis ignitis casas illas incendere. Postea super sectionem glacierum scalas et asseres transponant, super quibus transire poterunt. Sicque tandem facto impetu, scalas ad vallum admoveant, et pertentent. Similiter et apud propugnaculum Leeky faciant. Intus vero pari modo captivi ignem suscitando laborabunt. Quod si hac via non succederet, extunc aggerem molendini, quod ad pagum Leek habetur, intersecare oportet, effluenteque aqua ex ipsa fossa, facilius infra arcem impressionem in eam facere poterunt.

Ad haec autem omnia tentanda Beghum quoque ipsum paratum esse, per quemdam captivum Haydar nunciavit reliquis captivis; hortatusque est eos, ut nihil contristarentur, sed expectarent modicum temporis, et esset illos eliberaturus.

Exhibitae Serenissimo domino Archiduci 26. Decembris 1571.

CLXI.

Az udvari kamarának Verancsics Antal.

Ad Cameram Aulicam.

1571. dec. 26. Annus est, quod laborem pro piseto, et pro quibusdam aliis, quae iam ex tot scriptis meis Magnificis dominationibus Vestris constant; nec adhuc ullam assequor expeditionem. Easdem itaque rogo, velint iam tandem id mearum rerum expedire, meque non remorari expectatione informationum tam longa; quum et de Zoliensis decimae pretio, et de piseti huius anni proventu semper sit in manu Earum non solum cognoscendi, sed etiam disponendi et constituendi. Tantummodo mandent Comiti Camerae Cremniciensis, ut mihi piseto cedat; quo et tempestive curam eius ineam, et possim tandem expeditius tot oneribus, quae mihi incumbunt, vacare. Nec enim me iam privata, sed certe publica commoda movent. Juvent itaque Magnificae dominationes Vestrae haec mea studia, et hos meos conatus; et declarent, quantopere faveant mihi. Quibus ego quoque nunquam gratificari desinam. In Nova Civitate 26. Decembris 1571.

CLXII.

Byudy Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem Bywdy.

Responsurus ad ea, de quibus nuper ad me Dominatio Vestra scripsit; non video causam, cur possit de me queri. Novit ipsamet et statum, et necessitatem, et pericula arcis Wywar; nec ignorat quoque, quantopere obligentur milites continuis diebus adesse personaliter illi, qui eius merentur stipendiis, et ex bonis eius fructus percipiunt. Dominatio Vestra Magnifica usa per aliquot annos his eius beneficiis, quantam ei operam praestiterit, non est in obscuro. Quia ne hospes quidem illam adierit per totum hoc tempus, quo sese militem eius nuncupaverit; quanto minus vel in ea resederit, vel custodiae ac defensioni eius vigilaverit. Ipsi itaque iudicandum relinquo, laeserimne Illam eo facto, quo Ipsa quoque in quosvis alios, etiam primae dignationis homines fuisset usa, si arci Wywar praefuisset, quemadmodum ego. Cui nunc etiam adeo mirae ab hostibus tenduntur insidiae, ut nesciam capere consilium, quomodo debeam conservationi ac defensioni eius prospicere. 1571. dec. 26.

Quoniam autem finitima loca non indigent absentibus praesidiariis, sed praesentibus; rogo non aegre ferat, si illi prospexerim, locum dominationis Vestrae alteri committendo. Qui nisi resederit, et exemplo vestro abesse voluerit, idem cum tali me facturum,

quod cum Ea feci, non dubitet; quoniam militibus, non civibus opus est finitimis locis.

Ubi autem queritur, quod absente Ea fecerim translationem huiusmodi; libere Illa quidem queritur, sed non iuste. Nam et monui Illam per litteras, ut veniat et resideat, ac etiam militis praesidiarii munus obeat. Sed si Ipsa voluit me dilationibus suis detinere, licuit et mihi fungi meo officio, et non deesse, quin praesidium Wywariense in suo numero, qui mihi est impositus, deesset. Scripsi autem Illi honestissime; nec in re alia, puto, eam offendi, quum attigi veritatem. De qua etiam proverbium est, quod odium pariat.

Ne autem ea etiam ex re me accuset, quod si Ipsa abfuit, eius tamen gregarii locum ordinis sui servaverunt; is Eius locus quomodo ante me servatus sit, nescio; prima tamen lustratione, quam Wywarij egi, equites Dominationis Vestrae non lustrarunt plures, quam quatuor. Si vero nec in hoc defectus incidisset, cum sola tamen Dominatione Vestra facta est conventio, non cum suis gregariis. Ideo Ipsamet tenebatur muneri suo satisfacere; ad quod quum Eam humanissime vocaverim, indigne nihil commisi, postquam non venit. Et quia vel ex Eius etiam testimonio apparet, quod decreverat eodem carere ordine causis non illegitimis; eo ego etiam excusatior esse debeo, quod finitimo tanti momenti loco, quo fere omnes reliquiae proteguntur, tempestive, coniecturis non falsis, cognito suo animo, prospexerim; Ea non offensa, nisi in tantum, in quantum passionibus suis credit et tribuit.

Esset autem mihi, quod possem dicere, etiam de communi aequitate, qua agit pro suis proventibus

anni proximi. Quam aequitatem si excutere volumus, ostendet, quod nec anno 70-o possitis iure petere, quia non eos persona vestra merueritis; et deberetis etiam annorum iam aliquot retroactorum restituere, si rem, non mecum, qui Dominationem Vestram semper amavi, sed cum aliquo alio, parum humanitatis obtinente haberetis. Sed haec facessant a me; dummodo Magnifica dominatio Vestra ad aequitatem accedat, et iam eo, quod hàctenus ex servitute Wywariensi percepit, contentetur; imposterum ii locum Eius obeant, quibus sorte obtigerit, et Wywario in eventum omnis fortunae eam operam suam navabunt, quae non desiderabitur.

Francisco autem Thompae, contemplatione amicitiae Vestrae Dominationis assignavi ordinem sex equorum, et officium etiam trium villarum addidi; propterea, si quam contra eum actionem habeat, nequaquam ita partes eius contra Dominationem Vestram tuebor, ut justitiae desim. Quin potius curabo, ut stet juri, et eidem Dominationi Vestrae omnis aequitas administretur. Certa semper de meo erga se animo, ut de eius, qui sit Illi coniunctissimus; persuasa, quod in praesenti negotio nihil egerim privato commodo, sed certe publico; ne desit tutela arci, quae reliqua videtur nobis esse facta ad tuendum, quod iam de amisso Regno restat nobis. Et bene valeat. Ex Nova Civitate Austriae 26. Decembris 1571.

CLXIII.

Ghyczy Györgynek Verancsics Antal.

Ad Egregium Georgium Ghiczy Capitaneum Wywariensem.

1571. dec. 29. Exemimus mandatum ad Cameram Hungaricam, uti iubeat Selliensibus, et ad eos pertinentibus, ut quamprimum vos per haec glacierum tempora illos accerseritis, Wywarium iuxta eorum obligationem, cui ab ipso usque erectionis istius arcis tempore fuerunt obstricti, quanto plures poterunt, armati ascendant; et istic sint, donec periculi conditio exiget. Ego etiam iam Posonii et Tyrnaviae facio conscribi 200 pedites, quos similiter istuc deduci iussi; vos tantummodo sine mora mittite unum, qui eos in deducendo regat, quemadmodum aliis litteris meis mandavi. Nec desitis tutelae istius loci, etiamsi sella huc illuc deducamini, ubi opus erit; ut omnes praesidiarii, tam equites quam pedites, vigilantes sint ad evertendum omne periculum, quod nunc tempore glacierum metuitur.

Ut autem eo etiam tutius arx ista sese habeat, omnino faciatis istic educi omnes captivos, nec unicus in ea servetur, ad quoscunque pertinebunt. Neque cuiuspiam in hoc respectum habeatis; quia etiam Suae Serenitatis haec est voluntas et mandatum. Cui ostendimus omnia in scriptis, quae iidem captivi in perniciem tanti loci, et tot clarorum militum molie-

bantur. Eorumque omnes, quorum fuerint, ibi curam gerant, ubi melius poterunt. Quoniam privata utilitas non est respicienda, ubi publicum imminet periculum. Memineritis itaque sic hoc mandatum nostrum obire, ne possimus queri.

Gregorius Nagy, quod a nobis postulavit, habeat pronunc patientiam; et sit contentus his, quae hactenus habuit. Quam plures etiam sunt, qui a nobis expectant.

De domo Caspari Jakabhazy providete vos, quomodo poteritis, ut etiam ipse sit provisus. Speramusque eum talem futurum in servitio arcis istius, qualem et ipse exigat, et nos fore confidimus.

Joannes Baichy expectet, uti ante scripsi. Non erit nobis in postremis.

Paulo Racz, si istic est, exhibete has adiunctas litteras; si vero abest, eas ad illum mittite. Vult omnino aliquid, et quod non est exiguum; sed aperte non eloquitur. Scripsimus itaque ad eum, ut nos de voluntate sua clarius edoceat; omnia cum eo facturi, quae poterimus loco vestri nemini concesso.

Quod itaque reliquum est : curetis diligenter, ut quamprimum compleatur numerus militum amissorum; nec tardetis.

Lucas Balog, nescimus, an tuto nunc domum dimitti possit; quum si etiam abesset, advocandus hoc periculi tempore esset. Sed si verum est, quod uxori et fratri imminet periculum vitae, cognoscatis; et si sic fuerit, detis illi aliquot dies, videndi suos infirmos; sin minus, hortemini eum, ne sit tempore periculosorum rumorum absens. Id quod erit nobis

valde gratum; ipse quoque fungetur suo, quum diutius praesens erit. Hoc alioqui tamen vestro iudicio relinquimus. Et bene valete. Ex Nova Civitate die 29. Decembris 1571.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

A

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK

ÁTNÉZETE.

ELSŐ OSZTÁLY: OKMÁNYTÁRAK.

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR, a brüsseli országos levéltárból és a burgundi könyvtárból. Összeszedte s lemásolta Hatvani Mihály (Horváth Mihály). I. KÖT. 1441—1538, Pest 1857. XXI és 387. — II. KÖT. 1538—1553, Pest, VIII és 367 l. — III. KÖT. 1553—1608. Pest 1859. VIII és 324 l. — IV. KÖT. 1608—1652. Pest 1859. VIII és 323 l. I. Ferdinánd kir. hasonmásolt levelével. — *Monum. Diplom. I—IV. kötet.*

MAGYAR TÖRTÉNELMI OKMÁNYTÁR, londoni könyv- és levéltárakból. Összeszedte és lemásolta Simonyi Ernő. 1521—1717. Pest 1859. VII és 318. l. — *Monum. Diplom. V. köt.*

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR (Fejér György Codex Diplomaticusának folytatása). Közzé teszi Wenzel Gusztáv. I. KÖT. 1001—1235 és Függelékül: *Kritikai jegyzetek Fejér György „Codex Dipl. Hungariae Ecclesiasticus et Civilis" czímű munkájának az árpádi korszakot illető része felett.* Pest 1860. XLII és 405 l. — II. KÖT. 1234—1260. és Függelékül, *Az Árpádkori Új Okmánytár és a kapcsolt országok okmányai.* Pest 1861 XIX. és 402. l. — III. KÖT. 1261—1272. s Függelékül: *Olaszhon levéltára a magyar történelem szempontjából.* Pest 1862. XV és 363 l. — IV. KÖT. 1272—1290. Pest 1862. XX és 414 l. — V. KÖT. 1290—1301. és Függelékül: *Theiner Ágoston „Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram illustrantia" czímű munkájáról.* Pest 1864. XXI és 336 l. — VI. KÖT. v. a második folyam I. kötete: 890—1235. Pest 1867. XXXVI és 578 l. — VII. KÖT. v. a második folyam II. kötete: 1235—1260. Pest, 1869 XXVI és 561 l. — VIII. köt. vagy a második folyam III. kötete: 1261—1272. Pest 1870. XXII. és 479 l. — *Monum. Diplom. VI—XIII. köt.*

ALVINCZI PÉTER OKMÁNYTÁRA Erdély visszacsatolása felett a m. királylyal folytatott alkudozások történetéhez 1685—88. Közzé tette Szilágyi Sándor. I. kötet. VI és 421 l., — II. köt. 338 és LVIII. — *Monum. Diplom. XIV. XV. kötet.*

Ezen kötetek sorába fel vannak véve, s egymás után sajtó alá adatnak: az *Árpádkori Új Okmánytárnak* egyelőre még négy kötete: a *Milánói M. Okmánytár*, két kötetben. *Beátrix királyné Levelestára*, két kötetben.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

SZERÉMI GYÖRGY, II. Lajos és János királyok házi káplánja EMLÉKIRATA MAGYARORSZÁG ROMLÁSÁRÓL. 1484—1543. Közli Wenzel Gusztáv. Pest 1857. XXXIV és 410 l. — *Monum. Script. I. köt.*

VERANCSICS ANTAL, m. kir. helytartó, esztergami érsek ÖSSZES MUNKÁI, közli Szalay László (1—7.) és Wenzel Gusztáv (8.) I. KÖT. Történelmi dolgozatok deák nyelven. Pest 1857. XX. és 370 l. — II. KÖT. Történelmi dolgozatok magyar nyelven, és Vegyesek. Pest 1857. XV és 321 l. — III. KÖT. Első portai követség 1553—1554. Pest 1858. XII és 463 l. — IV. KÖT. 1555—1557. Pest 1859. XI és V. 401 l. — V. KÖT. Második portai követség 1567—1568. Pest 1860. VIII és 396 l. — VI. KÖT. Vegyes Levelek 1538—1549. Pest 1860. VI és 373 l. — VII. KÖT. Vegyes

Levelek 1549—1559. Pest 1865. VI és 365 l. — VIII. KÖT. Vegyes Levelek 1559—1562. Pest 1868. XIV és 399 l. — IX. KÖT. Vegyes levelek 1563—69. Pest 1870. VI és 515 l. — X. KÖT. Vegyes Levelek 1569—71. Pest 1871. XV és 5 l. *Monum. Script. II—VI. IX. X. XIX. XX. XXV. kötet.*

GR. ILLÉSHÁZY ISTVÁN nádor FÖLJEGYZÉSEI 1592—1603. s HIDVÉGI MIKÓ FERENCZ HISTÓRIÁJA 1594—1613. BÍRÓ SÁMUEL folytatásával és két Függelékkel: Enyedi Pál Énekéből 1600—1601. s okmányok Mikóhoz és Illésházyhoz. Közli Kazinczy Gábor. P. 1863. X és 331 l. *Monum. Script. VII. köt.*

ROZSNYAY DÁVID, az utolsó török deák, TÖRTÉNETI MARADVÁNYAI. Összeszedte s jegyzetekkel, életrajzával ellátva kiadta Szilágyi Sándor. Pest 1867. 462 l. — *Monum. Script. VIII. köt.*

ERDÉLYI HISTÓRIA. APOR PÉTER MUNKÁI. Közli Kazinczy Gábor. Lusus Mundi. *Synopsis mutationum notabiliorum aetate mea in Transylvania, et progressus vitae meae.* Metamorphosis Transylvaniae (az magyar) CSEREI MIHÁLY Pótlékai és Megjegyzéseivel. Pest 1863. X és 494 l. — *Monum. Script. XI. köt.*

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY magyar kir. történetíró MAGYAR HISTÓRIÁJA 1490—1552. A m. kir. egyetemi könyvtár eredeti kéziratából szerző életével közli Toldy Ferencz. I. KÖT. Második Ulászló uralkodása; szerzőnek ... Pest 1863. CIX és 461 l. — II. KÖT. Miksának trónra léptétől 1567-ig. Pest 1867. IX és 495 l. — III. KÖT. 1567— ... Brutus elveszett XIV—XX. könyveinek töredékei 1571-ig, és Magyarországról írt Levelei (sajtó alatt). — *Monum. Script. XII. XIII. XIV. köt.*

GHYMESI FORGÁCH FERENCZ nagyváradi püspök MAGYAR HISTÓRIÁJA 1540—1572. Forgách Simon és Istvánffi Miklós Jegyzéseikkel és Forgách Ferencz kisebb irataival együtt. A hg. Esterházy család kéziratából közli Majer Fidél; bevezette Toldy Ferencz. Pest 1866. LXXXVIII és 565 l. — *Monum. Script. XVI. köt.*

BARANYAI DECSI JÁNOS MAGYAR HISTÓRIÁJA 1592—1598. A szerző életével közli Toldy Ferencz. Pest 1866. LXXX és 328 l. — *Monum. Script. XVII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1676—78 *évekből.* Közli Torma Károly. Pest 1866. XII és 199 l. — *Monum. Script. XVIII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1693/4-ből; ugyanannak Levelezőkönyve 1694; Dobai Zsigmond Naplója 1686; Sándor Gáspár, Bay Mihály és András, meg Balogh László Naplóik 1694-ből. Közli Thaly Kálmán. Pest 1868. 2 részben XXXII és 784 l. — *Monum. Script. XXIII. köt.*

KÉSMÁRKI TÖKÖLY IMRE NAPLÓJA 1693—94. *évekből.* Eredeti kéziratból közli Nagy Iván. Pest 1863. VIII és 701 lap. *Monum. Script. XV. köt.*

Sajtó alatt: KRITOBULOSZ, az utolsó byzanti történetírótól II. Mohamet Élete, görögül és magyarul, 2 köt. Dethier Antal- és Szabó Károlytól.

VERANCSICS ANTAL Összes Munkái Wenzeltől. XI. köt.


SZAMOSKÖZI ISTVÁN fennmaradt Tört. Munkái, 2 köt. Toldy F.

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR, IX. kötet.

LONDONI MAGYAR OKMÁNYTÁR Simonyi Ernőtől. II. k.


TÖRTÉNELMI TÁR XV. XVI. k. [illegible]

Pest. Nyomatott az „Athenaeum” nyomdában. [illegible]








Widener Library
3 2044 100 892 074